BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
7 G
27

4

P

E

Ex

6.7.G.27

JACOBI PONTANI
DE SOCIETATE IESV,
POETICARVM INSTITVTIONVM LIBRI III.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Editio tertia cum auctario, & Indice hactenus deſiderato.

Eiuſdem Tyrocinium poëticum cum ſupplemento.



BIB. VAL. ROM.

Cum Gratia & Priuilegio Cæſ. Maieſt.

INGOLSTADII,

Ex Typographia ADAMI SARTORII

Anno Domini M. DC.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DIſciplinam Poetarũ vnam omnium diſciplinarum longè amœniſſimam atq; pulcherrimam, nondum vel ſecundùm ſe ipſam ſatis, vel ad conſuetudinem noſtrorum hominum, ac temporum idoneè, appoſiteq; ſeu græcis, ſeu latinis litteris pertractatam, & illuſtratam eſſe, tantùm eos fallit, qui haud nimis magnum ſtudium, nec adeo multam operam ad eius perceptionem accommodauerunt. Ariſtotelis quidem in hoc genere monumenta, præterquam quod obſcuritate ſua lectorem reiiciũt, etiam mutila, & imperfecta ſunt, deq; tragœdia duntaxat loquuntur. Horatius noluit certè via quadam & ratione

perſequi artem poeticam: nec iſto nomine epiſtolam illam ſuam ad Piſones ipſemet inſcripſit. Quid ergo eſt? Poetarum æui ſui indoctorum & arrogantiam comprimere, & demonſtratis virtutibus peccata emendare laborauit. De Scaligeri, Vidæ, & aliorum commentariis mittam dicere: hoc ſolum, & affirmatè aſſeuranterq; pronuntiauerim, qualeſcunq; ſint, & quantũcunq; accuratè, copioſè, diſtinctè poeticen explicauerint, nihilominus eorũ neminem ita ſcripſiſſe, quemadmodum vti ſcriberent, maximopere optandum fuit: nempe, vt velut in cæteris ſtudiorum liberalium doctrinis cæteri, quãquam recentiores: ſic ipſi quoque in hac per gymnaſia diſcentibus, verum & commodum ad Heliconem iter oſtenderent: ac proinde à magiſtris expeditè, ac dilucidè explanari, & ab auditorib⁹ ad ſolidam gloriam è poematum confectione pariundam penitus combibi poſſent. Quo in negotio perſæpe nõ parua me habuit admiratio, Rempub. noſtram ſcholaſticam

aut

aut non ſenſiſſe adhuc ignominiam ac detrimenta ſua: aut ſi ſenſit, non enixiſſimè contendiſſe, quò iis leuata ac libera, officiis ſuis fungeretur omnibus: nec ſe amplius aliqua in parte claudam atque mancam intueretur. Dic mihi ſodes, quo ſub celo tandem, quibus terrarum oris erudiuntur homines in arte poetica? Reliquæ diſciplinæ liberales, & diſciplinæ ſunt omnino, & præceptorum ſubordinata ſerie comprehenſæ, magiſtros atque interpretes deſiderant. Hæc diſciplina nulla eſt, præceptionibus nullis continetur, doctores nullos requirit: quia, ſi modo credimus, poetæ nullo ſatu, ſua ſponte, αὐτοφυῶς, vt fungi per ſyluas enaſcuntur, nec legibus indigent. Orationes conponere nemo quiſquam aggreditur, qui artificium dicendi ignorat: quem fugit quid ſit Rhetorica, quis eius finis, quæ materia, quæ partes. Præterea quid ſit exordium, narratio, confirmatio, epilogus, & alia ſimiliter. At poema iubētur & putantur poſſe fingere, qui eius artem nul-

Iam guſtauerunt: qui neque ſciunt vim & naturam poëtices: neque de eius fine, partibus, & partis cuiuſque proprietatibus per nebulam aliquando audiuerunt: neque quibus rebus verè bonum, omníque numero feſtiuum, & probabile carmen efficiatur acceperunt. *Scribimus indocti, doctiqúe poemata paſſim.* Tu vt facultatem tam eximiam, & præclaram in triuiis quæras? Tu vt in Grammaticorum chartis poeticam eſſe ſitam ſomnies? in dimenſione ſyllabarum, in conſtitutione pedum, in verſuum formis, in ecthlipſibus, ſynalœphis, paragogis? Sunt hæc neceſſaria, dici aliter non poteſt: veruntamen exilia, minuta, leuia, puerilia præ cæteris cenſeantur oportet, quæ ab eruditiſſimis viris de poetarum arte commiſſa literis circumferuntur. Quæ cum à ſtudioſis ferme neſciantur, fit, vt abſque poetica poetæ cogantur fieri: & cum aut heroicum, aut elegiacum, aut lyricum, aut comicum quip-

quippiam cantant, ter beatos ſeſe putent, ſi vnam aut alteram locutiunculam de poetarum antiquorum hortulis decerptam intexuerint: omnia enim huiuſmodi floſculis, pigmentiſque metiuntur: reliqua tam multa in vnaquaque poeſi obſeruanda, qualia, & quanta ſint, ne coniectura quidem informant. Hinc inſuper alia calamitas: quod poetas ipſos parum vtiliter ac fructuosè lectitāt. Quid enim poetam deceat, quid ille ſpectet, vnde ſua cuique præſtantia, ſua ornamenta, ſua cuique vitia, vt illa æmulentur, hæc deuitent, nunquam didicerunt. Proinde mira poemata pangunt, Muſis ſcilicet, & Apolline nullo, vt Martialis dixit: & verſificatores euadunt illi quidem perpaucis menſibus, poetæ autem ad calendas Græcas ſcilicet: aut ſaltem multo tardius, quàm elephanti pariunt. Eſt verò inter illos & hos tantum diſcrimen, quantum profanì credere vix poſſunt.

Hæc ſæpenumero mecum non ſine dolore & ſtomacho voluens ego, tantoq́ue incommodo mederi vehementer cupiens, minimè quidem perfectam, & cui nihil admodum deeſſet, poeticam, ſed pro exiguitate mea Inſtitutiones conſcripſi: in quibus, vt earum ratio moduſq́ue deſiderat, & breuior fui, & difficiliora, magiſq́ue implicata prætermiſi, meq́ue quantum fas, ad imbecilliorem ingeniorum captum attemperaui: nec ea plane tranſilui, aut contempſi, quæ etiam á Grammaticis traduntur, cum tamen Grammaticorum non ſint. Sed cum illi tanquam in caducam poſſeſſionem venerint, teneant eam ſanè, nobis ſi non libentibus, at diſſimulantibus, at tacentibus: dummodo ne ipſos ſimul adoleſcentes teneant. Verùm cum eos çognitione illa elementaria, ſeu rudimentorum infecerint, deinceps ad maiora & grauiora huius artis dimittant: quam ex omnibus artibus minimè notam, & non paucis impeditam eſſe difficultatibus, qui ſe ad eam hau-

haurien dam dediderunt, iuxta mecum confitebuntur: maximè cum agit de tragœdia. De qua, vt item de comœdia, ideo nonnulla diſſerui, quia id inſtitutum exigere videbatur. Ea porrò ipſa quæ attuli, præterquam quod ad ſcriptores melius percipiendos, & ad iudicandum non inutilia fore duco, etiam ad dramata aliquanto rectius facienda profutura ſpero. Quanquam mihi grandiorum, & quaſi triariorum hæc ſcriptio videri ſolet, qui facilè ſibi apud alios præcepta τῶν κωμῳδοποιῶν, καὶ τραγῳδοποιῶν inuenient. Quæ de hymno & funebri poeſi à me ſcripta ſunt, in iis quem ſequerer ducem nullum reperi. Quò magis lectorum æquitas ignoſcet, ſi quid peccaſſe me iudicauerint. Interea igitur laboribus hiſce meis vtantur, fruantur licet poeticæ candidati, donec alius quiſpiam plura, meliora, & omni ratione aptiora, gratioraque ediderit. Quod ego non ſolum non timeo: quin etiam vt id fiat, & ἐμεῦ

ζῶντος, καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο fiat, magnopere Deum rogo, & quæſo: cuius munus agnoſco, quidquid proſum literarum amatoribus. Prodeſſe autem tam concupiſco, quam me hominem eſſe natum gaudeo.

INDEX CAPITVM
LIBRI PRIMI.

I.	*De neceſſitate artis.*	1
II.	*Notatio & natura Poetices.*	3
III.	*Poetam neceſſariò imitari.*	7
IV.	*Poetam ex neceſſitate adhibere carmen, & de ordinibus poetarum.*	10
V.	*Quæ materia Poetæ.*	13
VI.	*Quis Poetæ finis.*	16
VII.	*Quid diſtent poema & poeſis.*	19
VIII.	*Tres poematum modi, eorumq́; appellationes, & ſpecies.*	21
IX.	*De exercitatione, & modo ſcribendi: item genera quædam exercitationis poeticæ.*	24
X.	*De imitatione, & quænam, quoque pacto imitanda.*	28
XI.	*De argumento viribus conuenienter ſumendo, deq́ue carminis & poeſeos genere deligendo.*	34
XII.	*Conquirendam prius rerum ac verborum ſupellectilem, & de tranquillitate animi ac ſeceſſu.*	38

XIII.

XIII. *De iudicio.* 42

XIV. *De erratis Poetarum.* 45

XV. *De vitiis carminum, & horum caſtigatione.* 47

XVI. *De diligentia emendationis, & recognitionis.* 50

LIBRI SECVNDI.

DE EPOPOEIA.

I. *Quid potiſſimùm velit hoc nomẽ: item de verſu hexametro, & heroico: & quid ſit Epopœia.* 54

II. *Obſeruanda in Epopœia.* 57

III. *De principio Epopœiæ: poſtea de Propoſitione.* 58

IV. *De Inuocatione.* 62

V. *Ordo narrationis epicæ.* 63

VI. *Epicæ & hiſtoricæ narrationis cognatio & diuerſitas.* 66

VII. *Præcepta narrationis epicæ.* 70

VIII. *Leges aliquot ad hexametri elegantiam.* 73

IX. *Verſus cum rerum natura, numero, verbis, & ſono congruere oportere.* 77

X. *De cauendis quibuſdam vitiis.* 81

XI. *Hexametrum non peſſimè tum in participium tum in monoſyllabum deſinere.* 83

DE CO-

DE COMOEDIA.

XII. *Definitur Comœdia, & Tragicocomœdia.* 87
XIII. *Comœdiæ origo, ætates, genera.* 88
XIV. *De partibus Comœdiæ κατὰ τὸ ποῖον, ſeu qualitatis.* 93
XV. *De partibus comœdiæ κατὰ τὸ πόσον, ſeu quãtitatis.* 101
XVI. *De actibus, ſcenis, & actoribus ſeu perſonis.* 102
XVII. *Plautus & Terentius comparati.* 104

DE TRAGOEDIA.

XVIII. *Notatio & definitio Tragœdiæ: item quî fiat vt delectet.* 107
XIX. *Ratio & forma Tragœdiæ.* 110
XX. *Tragœdiæ & Comœdiæ diſcrimina.* 113
XXI. *De appellationibus fabularum, ſiue dramatum.* 115
XXII. *Æſchylus, Sophocles, Euripides comparati.* 118
XXIII. DE BVCOLICA POESI. 120

DE ELEGIACA POESI.

XXIV. *Vſus, notatio, inuentor Elegiæ.* 121
XXV. *Virtutes, & artificium elegorum.* 124
XXVI. *De inciſione pentametri, & eius exitu.* 128

DE LYRICA POESI.

XXVII. *Laudes & nomina lyricorum verſuum.* 132

XXIIX.

XXIIX. *De partibus Odarum.* 134
XXIX. *De rebus & artificio carminis lyrici.* 136
XXX. *Lepos & gratia Anacreontei carminis.* 138

DE HYMNO.

XXXI. *Finitio Hymni, & antiquitas.* 142
XXXII. *De Hymnis in Deum Opt. Max.* 144
XXXIII. *De Hymnis in Diuos.* 147
XXXIV. *De Hymnis in Virginem Dei matrem.* 150
XXXV. *Metra, longitudo Hymnorum.* 153
XXXVI. DE IAMBEA POESI. 155

DE SATYRICA POESI.

XXXVII. *Nomen, origo, & natura Satyræ.* 159
XXXIIX. *Argumenta, finis, vtilitas Satyræ.* 161
XXXIX. *Artificium Satyræ* 163

LIBRI TERTII.

DE EPIGRAMMATE.

I. *Notatio & vſus Epigrammatis.* 165
II. *Laus Epigrammatis, materia, difficultas.* 166
III. *Definitio Epigrammatis, eiusq; prima diuiſio.* 168
IV. *Amplius de ſimpli compoſitoq; Epigrammate, & in extremo ſecunda diuiſio.* 169

V. Ter-

V. *Tertium diuiditur Epigramma, ſecũdum tria genera poematis.* 173
VI. *Quarta diuiſio Epigrammatis, ſecundum tria genera cauſſarum.* 175
VII. *De Epigrammate in quo paria paribus, & cõtraria contrariis referuntur.* 181
VIII. *De Epigrammate dialogico.* 183
IX. *De Echone.* 186
X. *De Emblemate.* 188
XI. *Duæ primariæ virtutes Epigrammatis, argutia & breuitas.* 190
XII. *De ſuauitate & aliis Epigrammat. ornamentis.* 192
XIII. *De ſcita concluſione Epigrammatis.* 199

DE EPITAPHIO SEV FVNEBRI POESI.

XIV. *Quid ſit ἐπιτάφιος λόγος, Epicedium, Nænia.* 201
XV. *Materia funebrium.* 203
XVI. *De Epitaphio Impp. Regum, Principum, Nobilium, & Illuſtrium.* 206
XVII. *De Epitaphio Ducum atq; militum.* 210
XVIII. *De Epitaphio ſanctorum, religioſorum, eruditorum ac ſapientum.* 214
XIX. *De Epitaphio conſanguinearum: item Virginum, & Matrumfamiliâs.* 219

XX. *De Epitaphio patris, fratris, filiorum.* 223

XXI. *De Epitaphio infantum, puerorum, & adoleſcentum.* 229

XXII. *De Epitaphio amici.* 233

XXIII. *De iocoſis & ſalſis Epitaphiis.* 234

XXIV. *Doctrinæ epitaphicæ appendix.* 236

AVCTARIVM. *Collatio Poetices cum Pictura, & Muſica.* 239.

AVCTORES PRÆCIPVI, EX QVIBVS PROFECIMVS.

ARISTOTELES. VICTORIVS.
PLVTARCHVS. VIDA.
HORATIVS. SEB. REGVLVS.
SCALIGER. CICERO.
VIPERANVS.
MINTVRNVS. QVINTILIANVS.
ROBORTELLVS. DONATVS.

POETI-

POETICARVM INSTITVTIONVM LIBER PRIMVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE NECESSITATE ARTIS.

CAPVT I.

POETICAM veteres illi quendam impetum, incitationémue cum ingenio ſeu natura cõiunctam exiſtimarunt. Eam incitationem Græci ἐνθουσιασμὸν, noſtri furorem poeticũ appellare voluerunt: & ipſi poetæ per Heliconem, Parnaſſum montes, Permeſſum, Caſtalium, &c. flumina, & fontes ſuos aliud nihil inſinuarunt, quàm ſe id quod efficerent, vnius naturæ diuinitus agitatæ beneficio efficere. M. Tullius vocat cõcitationem, inflammationem animorum, quæ declaret in ipſis animis vim ineſſe diuinam, & quendam quaſi afflatum furoris. Ex quo etiam ſcripſit oratione pro Archia. *Atqui ſic à ſummis hominibus eruditiſſimisq; accepimus, cæterarum rerum ſtudia, & doctrina & præceptis conſtare: poetã natura ipſa valere, & mentis viribus excitari, & quaſi diuino quodam ſpiritu afflari.* In 1. Tuſcul. ait eos grauia plenaqúe carmina cæ-

leſti mentis inſtinctu fundere. Fuerunt item Orpheus, Linus, Muſæus, Homerus poetæ clariſsimi pluribus ante ſæculis, quã vllæ præceptiones poeticæ apparuerunt. Et, vt abſoluam, vulgo in ore eſt: poetas naſci, oratores fieri.

Verumenimuero vt inſit admiranda quædam & diuina vis excellentium poetarum ingeniis, ſi cutineſt: (ne tot ſapientes nihil vidiſſe dicamus) nihilominus artificio etiam locum relinqui, ſatis indicat, quod tum antiqui, tum recentes, non minus poeticæ, quam aliarum facultatum leges rationémque docendo tradiderunt. Horatius allata quæſtione, naturáne an ars plus ad carminis laudem proficeret, alteram ab altera ſeparari ac diuelli non poſſe aſſeruit.

ego nec ſtudium ſine diuite vena,
Nec rude quod proſit video ingenium: alterius ſic
Altera poſcit opem res, & coniurat amicè.

Congruunt cum his illa Simyli apud Stobæum, quanquam vniuerſe, non tantum de ſtudio poeticæ prolata.

οὔτε φύσις ἱκανὴ γίνεται τέχνης ἄτερ
πρὸς οὐδὲν ἐπιτήδευμα παράπαν οὐδενὶ,
οὔτε πᾶν τέχνη μὴ φύσιν κεκτημένη.
Sine arte nuſquam omnino natura eſt ſatis,
Quodcunq; tandem ſtudium nominaueris,
Nec ars adempta natura quidquam poteſt.

Ars tanquam certiſsima dux viam demonſtrat: quam ſi fideliter ſequemur, nunquã offendemus. Et quamuis non pauca ſunt, quę nullis præceptionibus pariuntur, propterea quod à natura inſerũtur, nihilominus eadem naturæ dona ab arte ma-

giſtra perficiuntur. Cæterùm quomodo in philoſophia res è diuerſis elementis coagmẽtatas ex eo videmus accipere vocabulum, quod in vnaquaq; partes habet potiores: ſic quoniam veteres illum mentis concitatę ſpiritum in poeta plurimùm valere animaduertebant, quem cura & induſtria comitarentur, non antecederent, quòd erat maius, id etiam ſolum eſſe affirmarunt. Ergo poetica nec ſoluta legibus temere vagatur: nec legibus tota conſtringitur:& cùm naturam ſiue ingenium maximè, inprimiſq́ue deſideret, vt ne quid ad perfectionem deſit, artẽ quoq;, tantúmue? præterea laborem, exercitationẽ, imitationem depoſcit. Quo nonnulli referendũ opinantur, quod Pindarus cecinit, poetas lacte ſimul & melle paſci. Lac enim fœcundã, vberem, & ſuauem naturam: mel ipſum artificium & proficiẽdi conatum videri: quandoquidem citra ſtudium, laborem atq; diligentiam mel nequaquam comparatur.

NOTATIO, ET NATVRA POETICES.

CAPVT II.

POETAE nomen παρὰ τὸ ποιεῖν deflexum eſt. Quã vocem facere & fingere cum interpretentur (quanquam non abſolutè, ſed ea notione, qua docendi probandiue cauſſa dicimus, fingam* hoc, illud eſſe, ita fieri, ita factum futurumue, quod quidem cum natura, & fine poetices ſatis concordat) poeta nobis factor & fictor, ſiue imitator, & poetica proinde ars faciẽdi & fingendi, ſiue

imitãdi exponetur. Fingere enim ſeu effingere eſt imitari: nempe rẽ illam, cuius imago & ſimilitudo fingitur: & qui imitatur, effingit quippiam. Quod quale in hac noſtra diſciplina ſit, deinceps dilucidius intelligetur. Cum igitur artes reliquæ omnes, quæ vel factione, vel imitatione conſtant, propter communem verbi, τῦ ποιεῖν, inquam, poteſtatem poeticæ, ipſi vero earundem artifices poetæ appellari poſsint, tenendũ eſt, ſolam ſcientiam, quæ dulci, ac certis numeris tẽperata oratione vitam atque mores hominum effictos explanat, & tãquam depingit, ſeu quę mores & ſtudia hominum fictis rebus ac perſonis tractat, quia vtrumque excellentiſsimè pręſtat, proprium hoc ſortiri nomen; quique id præſtare norunt, ſolos poetas nuncupari. Sic cum omnis locutio ſit oratio, nihilomin9 vnius eloquẽtis locutio hoc proprio ſignata nomine eſt: quia nimirum ornatu, copia, grauitate præcellit: cuius auctores ſoli, oratores dicũtur. Similiter quoniam res ipſas non tam narrãdo intelligentiæ hominum ſubiicere, quam faciendo & procreando quodãmodo, in eorũ conſpectu videntur collocare: cum non tantummodo rerum extantium formas & ſimulacra elegantiſsimè imitando conſequantur, & exprimant: ſed inſuper non extantium, quę tamen extare poſſent, & ita poſſent (quod quidẽ magis ipſorum eſt officium) nouas, mirificas planè ſpecies, ac ſimilitudines præclaro quodam modo progignant, & tanquã è nihilo res fingendo producant, altera illa ſignificatio τῦ ποιεῖν, facere ſcilicet, peræque ἀντωνομαστικῶς in poeticam poetaſque conuenit. Non aliena eſt huic loco ſentẽtia Euſtathij in 1. Iliad.

Iliad. de poetæ vocabulo magnifice prædicantis. *τὸ ποιεῖν ὅλως μὲν τὸ πράττειν, ἰδιάζεται δὲ ἡ λέξις καὶ ἐπὶ τὸ ῥαψῳδούντων κατά τι ἐξαιρετὸν διὰ τὸ τῆς ἐν αὐτοῖς πράξεως ταύτης ἔξοχον ὡς θεῖον, καὶ ἐλλόγιμον. Ποιεῖν generatim eſt facere: propriè tamen, & ſingulari ratione ποιεῖν dicuntur, qui carmina faciunt: ob eorum videlicet in eo genere faciendi praclaram eloquentiam, ac diuinitatem quandam.*

Sit ergo poetica, *Ars, hominum actiones effingens, eaſque ad vitam inſtituendam carminibus explicans.* Quod de actionibus dicitur, caue de probis duntaxat accipias. Eſt enim quando rerum ἀκολουθία, & neceſsitas, & decorum perſonarum requirit, vt improbos quoq; imitentur & afferant in medium, q̃ nec honeſta ſunt, nec laudabilia: qualia ſunt videlicet ſerui nequam, ſenes auari, duces ignaui aut pręſidẽtes, adulteri, ebrioſi, proditores, impij, profuſi, garruli, &c. Verùm iſtuc eo fine, quo hiſtoriarũ ſcriptores crudeliter, impiè, ſtultè, incontinenter ac turpiter patrata vnà cũ clementer, piè, prudenter, moderatè & honeſtè factis commemorãt. Eodẽ quo philoſophi, quo theologi, qui in virtute tradenda vitia quoq; demonſtrant: illam quidem vt conſectemur: hęc vt fugiam⁹: quorum vtrumq;, niſi vtrumuis nouerimus, facere qui tãdem poſſumus? Qui res ab honeſtate remotas tantum ſcriptitãt (vt quidam totos etiam libros nequitiis amatoriis compleuerunt) illi profectò arte, quę niſi cõmendanda præcipit, per ſummã licentiam abutũtur, eorumq; lectione adoleſcẽtulis ad cõcipiendas libidinum flammas propter imbecillitatem cõſilij

paratioribus abſtinendum eſt. Quare vt ad ſuperiora redeam, non quem imitentur, quid narrent, quid agant poetæ: ſed quamobrē, qua mente, quibusque rationibus, hoc intuendū eſt. Humanarum rerum ſtatum ponere ante oculos ſtudēt: in quib⁹ dici nequit quam multa, quam diuerſa omnium virtutum vitiorumque exempla verſentur, quam diſsimilia ſtudia vigeant: quando alij honeſta, alij iucunda, alij vtilia, alij etiam nefanda vel vtilitatis, vel iucūditatis obiecta ſpecie in fraudem acti amplectuntur: & hi priuatis, illi publicis commodis inſeruiunt. Huc facit quod ſcribit Plutarchus. *Poeſis, inquit, eſt imitatio morum & vitarum hominum non perfectorum, aut ſincerorum, aut ab omni reprehenſione immunium: ſed in quibus locum habeat multum perturbationum, opinionum, mendaciorum, ignorationum: quæ tamen ij ob naturæ bonitatem ſæpenumero corrigunt.* Iam imitatio ſeu fictio poeticam ab iis artibus ſecernit, quæ imitatione nulla continentur: carmen ab his, quę tametſi imitantur & fingunt, vt dialogi, metrum tamen non adhibent. Idcirco ſi vel imitatio, vel carmen abfuerit, poeſis nulla erit.

At verò vſus, quē penes arbitrium eſt, & ius, & norma loquendi, poetas nominare conſueuit, qui tantū norūt metra funditare, quique ἐν τῷ μιμεῖσθαι nihil valent. Hos docti verſificatores vocant. Vulgi morem nos quoque per hos libros ſępiſsimè tenebimus, & de poeta ac poeſi perinde loquemur, quaſi ποιεῖν eſſet metra tantum componere, ſeu ἐμμέτρως λέγειν: quæ notio poſtea huic verbo affiſta creditur. Quia enim ποιηταὶ fictores illi vterentur

tur ἐμμέτρῳ λόγῳ, idcirco ἐμμέτρως λέγων dictus eſt ποιητὴς, & ἐμμέτρως λέγειν ποιεῖσθαι. Quod (metro inquam, vti) quanquam eſt neceſſarium, ipſum tamen per ſe, vt infra docebo, non ſufficit.

POETAM NECESSARIÒ imitari.

CAPVT III.

QVI metro, ſeu carmine nihil imitātur, nihil fingunt: ſolùm diſputant ac docent, artiſue alicuius præcepta diſſerūt, ſiue aliud quippiā ſcriptione certo numero numeroſa perſequuntur, quorum ingens reperitur numerus, videndum eſt ecquid in ordinem poetarū ecipiendi ſint. Ariſtoteles *Homero, ait, & Empedocli nihil commune eſt præter metrū. Quapropter illum quidem poetam iuſtū eſt nominare, hunc verò phyſiologum* (hoc eſt naturę explicatorem: ſiquidem de natura libros verſibus confecit) *non poetam.* His duobus Græcis Virgilius & Lucretius Latini velut è religione reſpondent. Vt namque Homerus prælia ad Troiam, & errores Vlyſsis: ſic noſter Maro ὕστερον πρότερον errores Æneæ per maria, per terras primùm, deinde eiuſdem in Italia pugnata bella decantauit. Lucretius verò Empedoclis exemplo de rerum natura verſus elaborauit. Immo enimuero vnus idémque Virgilius in Æneide quidem Homerum, vt poſuimus, in Georgicis (tametſi longè aliam materiam, ruſticam ſcilicet, exſequitur) Empedoclem

nobis exhibet. Rurſum Ariſtoteles, vt tollat errorem vulgi, arbitrantis id nominandum poema, quod eſſet metricum, aſſerit hiſtoricum & poetam nō hoc differre, quod hic metris illigatam, ille ſolutam ac liberam orationem vſurpet: *quia licet, inquit, Herodoti ſcripta ad metrum redigere, & manebit tamen hiſtoria, vt prius, non poema.* Sententia igitur tanti viri, cum metro quippiam aliud, nempe imitatio ineſt in poemate, extra quam poematis nomen amitteret. Ea verò nulla cernitur in hiſtoria. Quà de orationibus, fas eſt hiſtoricis talem iis affingere, quos oratores nonnunquam inducunt, non modo quali potuiſſent vti, verum etiam quali debuiſſent. Atque in iſtiuſmodi orationibus effingendis eorum artificium pæne totum conſumitur. Et in eo quidem ſimilitudinem poetarum tenent, qui idem inſtitutum nō in orationibus duntaxat, quas perſonis attribuunt, ſed in tota quoque narratione cuſtodiunt: cum hiſtoricis negatum ſit quidquam proferre, quod factum non ſit, quātumuis veriſimile videatur. Plutarchus homo in diſciplinis graui auctoritate, vt ait Gellius, cum Ariſtotele conſentit lib. de aud. poet. Statuit enim Empedoclem, Parmenidem in Phyſicis, Nicandrum in Theriacis, Theognidem in ſententiis illis moralibus non poema, ſed verſus tantum condere, & ab arte poetica mutuari ſolum numeros pro vehiculo, vt pedeſtris inceſſus humilitatem effugiant. Quomodo nimirum qui de obſcuritate naturę politè & copioſè diſputat, illā copiā, & nitorem ab oratore mutuū ſumit. Igitur fabuloſa fictio erit tāquam forma & anima poeſeos, cum fingere

gere magis, quam verſificari poetam reddat. Quocirca rectè idem Plutarchus. *Etenim ſacrificia quædã nouimus choris & tibiis carentia: poeſin fabularũ & figmẽtorum expertem non nouimus. Itaque Socrates quibuſdam ſomniis ad ſcribendum carmẽ compulſus, quum ipſe, vt qui per omnem vitam pro veritate decertaſſet, facultate probabiliter fingendi deſtitueretur, Aeſopi fabellas argumentum ſibi delegit: poeſin nõ putans eam, à qua abeſſet fictio.* Vidit hoc ipſum Germanorum natio: cui poema ſonat ein gedicht / poeta ein dichter: non autem verſch macher / oder reimer. Ac verſus ideo poetæ aſſumunt, quod ſciunt, omnes naturà oblectari numeris, numeroſeqúe compoſita ob egregiam ſuauitatem libentius legi, ac firmius animo ac memoria retineri. Propter ſublimitatem quoque, elationem & amplitudinem, ad quam accomodatus eſt verſus: in quo ſummiſsioni & humilitati ſolutæ orationis opponitur. Ac de carminis quidem iucunditate pulchrè Iſocrates exordio Euagoræ diſſeruit. Nec profectò iure diceremus poeſin picturam, ſi carmine tantum abſolueretur, ſine vllis fabulæ tanquam lineamentis. Ideo autem picturæ nomen ei datur, quoniam perinde vt in tabella, humanarum actionum effigies quaſdam, rerumq́ ſimulacra oratione dulci exprimere, & ante oculos ſtatuere contendit: quare non pictura tantum, ſed loquens pictura appellatur.

* *
*

A 5 POETAM

POETAM EX NECESSITATE ADhibere carmen, & de ordinibus Poetarum.

CAPVT IV.

NON quia plus valet imitatio, quam carmen ſiue metrum, idcirco illa tantum requiritur. Demoſthenes pronuntiationi primas, ſecundas, tertias concedebat in eloquentia: ergo alias partes non deſiderabat? Qui Mileſias Appulei ſolutam quandam poëſin, Lucianum quendam ſolutum Ariſtophanem eſſe iudicant: item Soſitheum, & Terpandrum Rhodios, Xenarchum, & Sophronem ſoluta ſcriptione poëmata dediſse, Æſopum apud Philoſtratum poetam nominari confirmant, his ita occurrimus. Hos & alios eiuſdem claſsis nō aliter, quam pictores, mimos imitatoresqúe cæteros propter vſum nominis, generalemq́ꝫ ſignificatum ſcilicet, de quo ſupra diſputatum eſt, poetas appellari poſſe. Lucianus quidem ipſemet dialogo, qui inſcribitur, *Contra eum qui dixerat, Prometheus es in Verbis*, fatetur ſe prorſus diuerſa coniungere, comœdiam dialogo, Spectata materia, ſe eſſe Comicum: conſiderata orationis forma, non eſſe. Quod ſi materia ſola, dicam amplius, ſi materia δραματικῶς explicata poetam efficit, Lucianus eſto poeta Comicus: quē tamen eſſe ſe ipſemet perſpicuè inficiatur. Oportet aſtrictam metro orationem aut omnium ſcriptorum communem, aut quorundam propriam ac pe-

ac peculiarem haberi, quãdo ſolutæ eſt ἀντίστροφος, illamq́ ex altera parte reſpicit. Atqui non apparet, quibus eam iuſtius tribuamus, quam poetis: quæ proinde meritò, ac ſummo iurę, poetarum, ſeu poetica oratio nominatur. Si quis M. Tullij dialogos de Orat. de Legibus, de Amicitia, de Senectute poemata, Ciceronem ipſum propterea poetam vocaret, an non putaremus hunc ad gentiles & agnatos deducendum? Rideantur ergo, qui Platoni ob dialogos eius, poeticã quaſi ciuitatem dare non verentur. Adhuc, an quemadmodum δραματικὸν, ſic etiam ἐξηγηματικὸν, aut μικτὸν poema ſoluta oratione contexi poſsit? Poteſtne, inquam, fieri heroicum ſeu epicum, vt carmen abſit? Virgilium narrant Æneidem prius ſolutis verbis compoſuiſſe. Erátne tum poema? Quod ſi ſola imitatio poſtulatur, quomodo dialogos, qui reſpondent dramatis, ſic epicum quoq; abſq; metro componi poſſe fatendum erit. Nec vident iſti, ſe, dum carmen tollunt, aut certè non eſſe neceſſarium nugantur, tot ornamentis ſpoliare poeſin: quæ, ſi carmen non requiritur, nec ipſa requirentur, cùm niſi in carmine, & cum carmine cõſiſtere nequeant. Atqui affirmare, illa ornamẽta à poetis non poſtulari, in re aperta deſipere, ac delirare eſt. Conſequitur itaque, vt carmen quoq;, in quo illa nituntur, abeſſe à poeſi nullo modo debeat: non ſolùm quia proprium eſt eius inſtrumentum, & communis vſus id approbauit, verumetiam quia poeſeos eſſentiam cum imitatione conſtituit. Nec ſi ſoluta oratio abeſſe poteſt ab hiſtoria (nam Herodoti hiſtoria verſibus explicata nihilominus

erit

erit hiſtoria,teſte Ariſtotele)idcirco metrum quoque abeſſe poterit à poeſi. Nec viciſsim, ſi Herodotus cum verſibus manebit hiſtoricus, ideo etiã Homerus, Sophocles, & alij ſine verſibus manebunt poetæ.

Et quia poetarum ordines varij ſunt, iiqúe magnam partem à genere carminis nomen ferunt, age videamus, quid de his illuſtres auctores ſenſerint. Quatuor potiſsimùm genera videtur voluiſſe in Orat. perf. M. Tullius, Epicos ſiue Heroicos, Iambographos, Tragicos, Lyricos ſiue Melicos: in quorum primo principem numerat Homerum, in altero Archilochum, in tertio Sophoclem, in poſtremo Pindarum. In libello de opt. gen. orat. recenſuit Tragicos, Comicos, Epicos, Melicos, Dithyrambicos. Quo loco pro ratione inſtituti fuit in enumerando accuratior, & vt credibile eſt, Iambographos Comicorum nomine complexus eſt: propterea quod in comœdia iambi vſus eſt frequentiſsimus. Horatius ad Piſones adduxit in mediũ ſex ordines. Heroicos, Elegiacos, Lyricos, Iambicos, Comicos, Tragicos. Dithyrambicos ideo prætermiſit: quod ea ætate nemo factitaret id genus poemata. Diomedes Grammaticus ſex omnino carminum qualitates atque ſpecies ſtatuit, è quibus totidem poetarum claſſes orirentur. Cæſius Baſſus octo. Lycophronis explicator vndecim. Diuiſio illa ſecundum ſpiritum ſecundum ætatem, ſecundum ſubiectum, eſt Scalig. lib. 1. cap. 2. In quo rectè dictum ἐξηγητικὸν, δραματικὸν, μικτὸν narratiuum, actiuum, mixtum cum ſint modi quidam, quibus vtitur imitatio, non

non poſſe haberi pro differentiis generum poetices, ſeu poetarum. Cæterùm ſi poetæ vis & facultas in fictione ducenda eſt potius: ſi item poeta immeritò appellatur, qui imitatione caret, probari vtique non poterunt diuiſiones illæ, quæ vel materiam, vel genus carminis tãtummodo conſiderant, eaq; diuerſitate poetarum diſcrimina metiuntur. Etſi enim carmen ita à poeta ſuſcipitur, vt omittere non liceat, ipſum tamẽ honorem ac nomen poetæ non magis cuiquam conciliat, quam corpus humanũ cuipiam dat eſſe hominem, ſi animus conſilij & intelligentiæ compos defuerit. Quod ſi quis ſecum attentius perpẽdat, quid muneris poeta verus exerceat, nempe hominum actiones imitando exprimere, quæ aut honeſtæ ſint & bonæ, aut inhoneſtæ & malæ, (eo modo quem cap. 2. demonſtrauimus, cum exemplis ſententiam illuſtraremus) atque ideo aut laude aut vituperatione afficiendæ: tria potiſsimùm poetarũ genera, epicum, comicum, tragicum inueniet.

QVAE MATERIA POETAE.

CAPVT V.

CICERO. 1. de Orat. eãdem prope, hoc eſt, æquè amplam, vagam, lõgè lateq; diffuſam poetæ, quàm oratori materiam ſubiecit, his verbis: *Eſt enim finitimus oratori poeta, numeris aſtrictior paulò, verborum autem licentia liberior: multis ornandi generibus ſocius ac pæne par: in hoc quidem certè prope idem, nullis vt terminis circumſcribat, aut definiat ius ſuũ, quo mi-*

nus ei

nus ei liceat eadem illa facultate & copia vagari quà velit. Iam porrò notum eſt, quid & quantum in illa eruditiſsima diſputatione L. Craſſus Oratori, id eſt, eloquenti permiſerit, in quo regnare poſsit eius oratio, theſin puta & hypotheſin: breuiter, res omnes. Et ſanè cum hiſtoriam poetarū euoluimus nihil propemodum, ſeu ſupra lunę orbem & æternum, ſeu infra, & fluxum caducumq́ue ſit, aſtricto dicendi genere non comprehēſum & explicatum videmus.

Quod cum ita ſit, nihilominus de materia poetæ anguſtius, & ad definitionem huius *δυνάμεως*, vt Plutarchus vocat, atque ad officium poetæ aliquanto accommodatius differendum eſt. E quo tamen ſermone noſtro, quam multę adhuc, quam magnæ, quam variæ res poetæ ſubiiciantur elucebit. Sepius hactenus inculcatum eſt, ſolere poetas hominum actiones imitari: ea ſcilicet, quæ fieri & agi ab hominibus poſſunt: adde, ita vt poſſunt, vel vt debent. In his effingendis, & ad vſum atq; commodum vitæ exprimendis eorum cura, labor, induſtria ſe intendit: & hæc nimirum eſt illorum materia, actiones humanæ. Inde fit, vt iiſdem bonarum malarumq; fugiendarum & expetēdarum rerū perutilis ſit, & perneceſſaria cognitio: perindeq; illis, vt oratoribus diſcenda philoſophia de moribus: quandoquidem ex affectionibus ac moribus humanæ actiones proueniunt: quarum aliæ ſtudioſæ, aliæ vitioſæ dicūtur. Aſſumet igitur poeta quantumcunq; opus fuerit à magiſtris illis moralibus, & rem è Socraticis chartis petet, vt ſcribēdi rectè, ſapere ſit & principium & fons: eóque

modo

modo officium docebit, vt diuiſiones, definitiones, ratiocinationes, interrogationes funditus repudians, compoſitiſsimâ oratione, exemplisq́ue pulcherrimis à ſe vel primũ excogitatis, vel ingenioſis fictionibus amplificatis & illuſtratis, & quodãmodo conditis, etiam diuerſos animi motus miſceat, & lectores ſiue ſpectatores vel alliciat, vel rapiat quò placuerit. Hinc eſt, quòd viri ſapientes poeſin quandam eſſe philoſophiam, fabularum inuolucris tectam aſſeruerunt. At verò cum artes ac diſciplinæ omnes ad naturam humanam adiuuandam perficiendamq́ue pertineant, quænam ſcientia poetis non concedetur? Videlicet Homerus & Virgilius hominum diuerſiſsimorum actiones, ſermones, ingenia, mores, affectus, ſtudia imitari: illi de ſuperis, mediis, infimis: illi de naturalibus, de cæleſtibus, de regionibus, ciuitatibus, legibus, artibus, inſtitutis, virtutibus, vitiis ſcribere quidquam potuiſsent, niſi multarum doctrinarum, atque vniuerſarum pæne rerum periti extitiſſent. Non pertractabit vllam artem poeta, vt poeta: ſed diſciplinis, quæ ſunt libero dignæ, ſeſe perpoliet cumulabitq́ue: inde tanquam gemmis poema ſuum variabit ac diſtinguet, & velut aliud agens, illis ornamentis carmen ſuum verecundè aſperget: facietq́ue vt omnes intelligant, eum minimè rudem, & in præclaris cognitionibus non prorſus hoſpitem ad poemata componenda acceſſiſſe.

QVIS

QVIS SIT POETAE FINIS.

CAPVT VI.

POETA eſt μιμητὴς, quoniam poeſis præcipuè eſt μίμησις, & à Plutarcho μιμητικὴ τέχνη ars imitatrix, ſiue ars in imitatione poſita vocatur, & ab Ariſtotele ex imitatione orta dicitur. Horatius inſuper egregium poetam doctum imitatorem nominauit. Huiuſmodi imitatio admirationem ac delectationem gignit. Quæ ſi ſola quæreretur à poetis (vt falsò affirmabat Eratoſthenes, quamuis nonnulla voluptatis tãtum gratia fingere liceat in poemate) non iniuria eã ſolam ſtatueremus finem vltimum, & imitationem medium. Nunc qui ſunt germani poetæ, humanarum actionum effictione vitam noſtrã conantur excolere, non ſine delectatione: cuius cauſſa etiam carminibus vtuntur: docere, inquam, volũt, idq; potius, & delectare ſimul. Ea propter poetarum finis erit compoſitus: vt dicamus, poetis eſſe ſcopum docere & delectare: ſed per imitationem, & carmen velut conditiones penitus neceſſarias. Quocirca fines illos ſimplices, docere tantùm, delectare tantùm iis relinquemus, qui veri ac legitimi poetæ non ſunt: quanquam hoc nomine ab eruditis quoque, non ſolùm ab indoctis perſæpe appellentur: quorum nos morem hiſce libris frequentamus, & ita facturos cap. 2. in extremo ſupra promiſimus. Sic de poetis locutus eſt Horatius.

Aut

Aut prodeſſe volunt, aut delectare poetæ,
Aut ſimul & iucunda, & idonea dicere vitæ

Diſtinctè & manifeſtè tres fines adducit, quorum poſtremum ipſe mox commendat,cæteriſq; antcponit.

Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.

Poteſt tamen etiã delectãdo docere poeta: quandoquidem omnis oratio nos aliquid ſcire facit: & docendo delectare,quamuis non imitetur: vt delectãt Virgil. in Georg. Lucretius, Manilius,& qui ſunt eiuſdem familiæ: multæ enim illecebræ carminum, multæ ſuauitates. At nos de morum doctrina loquimur, à qua imitationem ſeiungi non patimur. Quare & Horatius in illis verſibus paulo ante prolatis, vt certum doctrinæ genus intelligeremus, verbum(prodeſſe)quam (docere) maluit. Apertius autem in ſecundo,cum dixit: *& idonea dicere vitæ*. Rerum certè naturalium, & iſtiuſmodi aliæ eruditiones obſcuræ atque difficiles, ad vitam moderandam accommodatæ non ſunt: quippe quæ nec meliorem quenquam, nec deteriorem conciliant.

Quod deinde Flaccus ait in ead.epiſt. poema animis iuuandis, hoc eſt, delectandis eſſe natum,& idcirco cum ſymphonia componit, quæ propter ſolam vtique voluptatem reperta eſt,id propterea dictum ſcire licet, quod cum vates ſæpe tantùm indulgeant fictionibus, vt quæ ſimplicius multo doceri potuiſſent, ea variis commentis veſtiant,& vndiq; omnibus elegantiis ornamentiſq; operiant (vulgo gratificãtes, cui ſemper iucunda magis quã vtilia ſunt in amoribus:& quod ſalutarem doctri-

nam niſi leporibus & oblectamentis multimodis reſperſam facilè aſpernatur) videntur rem ad vnam duntaxat voluptatem excitandam ſuſcepiſſe. Nihilominus indiſerta prudentia ſtultæ loquacitati nunquam non anteferri debet.

At enim quomodo dicimus delectare poetas, cum nunc quidem iracundiam concitent, nunc fletum excutiant, nunc odium inflamment, nunc dolorem, timorem, & alias demum affectiones lætitiæ delectationiq́ contrarias commoueant? Intelligendum eſt, etiam in iſtis motibus ac perturbationibus poetam delectare: non certè, quia crudelitas, ira, horror, metus habeant vllam in ſe voluptatem: ſed quia dulce eſt hominibus ipſum artificium, quo quidem ad iſtiuſmodi affectus volentes ac nolentes ſe impelli ſentiunt. Ipſum porrò artificium eſt ſcita & accurata imitatio: quæ, vt ait Plutarchus, ſiue pulchræ, ſiue turpis rei ſimilitudinem exprimat, laudatur. Sed hac de re denuò, vbi de tragœdia diſputabitur, & quem modo nominabam, multa lib. de aud. poet.

Iam quemadmodum oratio noſtra poſsit imitari, perſpicuum fit ex eo, quod ſcribit Ariſtoteles: ſermonem eſſe mentis noſtræ interpretem atque nuntium, & verba eſſe notas (ſymbola ille vocat) ſenſuum animi. Senſus autem cogitationesq́ noſtræ ideas, ſimilitudines, imagines rerum concipiunt, qui conceptus philoſophis noſtratibus, latinis notiones, Græcis ἔννοιαι. Difficillimum ſanè negotium, ac perquam laborioſum, perinde rem animo complecti, ac ſi oculis ipſis intuerere. Induendi affectus diuerſi, prorſusq́ pugnantes: ſuſcipiendæ

endæ variorum hominum perſonæ: mille modis verſandus & commutandus animus. Quæ niſi ingenioſus, prudens, ſapiens, eruditus, nemo faciet. At faciunt Poetæ. Quales igitur eos exiſtimare cõuenit? Imitatur item hiſtrionica mores, affectus, motus corporis, actiones, perſonas, adhibita voce, vultu, & decora motione totius corporis, accommodatè ad perſuaſiones ſpectatorum. Poetica imitatio tacita eſt, vocem, vultum, geſtum non habet: ſermone tantum ſcripto mores actionesq́ humanas refert. Veruntamen ambæ, illa audientibus, & ſpectantibus: hæc legentibus imagines rerum ingenerant: eſtq́ hiſtrionica tanquam famula & miniſtra poeticæ: nec iſta illa, ſed illa iſta indiget.

QVID DISTENT POEMA & Poeſis.

CAPVT VII.

ERVDITORVM nonnulli hoc diſcriminis agnoſcunt: vt poeſis nominetur, & ſit opus, ſiue contextus ſcriptorum, ſeu corpus totius operis effecti. Sic Cicero dixit: Anacreontis tota poeſis eſt amatoria: totum videlicet opus, totúſue liber, quem reliquit Anacreon poeta lyricus. Poema contra vocitetur, & ſit pars operis, pars poeſeos, ſeu puſillum quiddam, & inuentio parua, quæ verbis non ita multis expediatur. Illa, vt Ilias, Odyſſea, Æneis: hæc, vt Margites, aut armo-

rum Achillis fabricatio, aut catalogus nauium: Lucillius apud Nonium.

Non hac quid valeat, quidúe hoc interſiet illud
Cognoſcis primùm, hoc quod dicimus eſſe poema
Pars eſt parua poema,

Poſtea ex Parmenone Varronis iſta recitat. Poema eſt λέξις εὔρυθμος, id eſt, verba plura, modicè in quandam coniecta formam. Itaq; etiam diſtichon epigrammation vocant poema: poeſis eſt perpetuum argumentum ex rhythmis, vt Ilias Homeri, & annales Ennij. Hæc opinio explodenda eſt, atq; ita ſentiendum: *poema eſſe opus ipſum poetæ, id nimirum quod effictum eſt, finem & fructum operæ atq; ſtudij, quod impēdit poeta: poeſin autem fictionem ipſam, rationemue ac formam poematis, ſiue induſtriam atq; operam facientis:* vt poema, poeſis, poeta hæc tria differant, quomodo tres perſonæ verbi, à quibus oriuntur, πεποίημαι, πεποίησαι, πεποίηται. A prima exiſtit poema, ab altera poeſis, à tertia poeta: quaſi dicas, factum, factio, factor: aut fictum, fictio, fictor. Poema Ciceroni eſt metrica ſcriptio, tam parua quam magna. Eidem, vt cæteris quoque ſcriptoribus, poeſis frequenter habet ſignificationem poematis. Eadem vox interdum ipſum etiam habitum, ſeu artem, poeticam videlicet ipſam declarat. At poema nunquam pro poeſi dictum inuenias.

TRES POEMATVM MODI, eorumq́ appellationes, & ſpecies.

CAPVT VIII.

PLATO de optimo ſtatu ciuitatis lib. 3. omnem orationem poetarum in tres formas diſtribuit. Vnam appellat ἁπλῆν διήγησιν, ſimplicem & nudam narrationem: quando videlicet res ſimpliciter ac nudè, continuatione expoſitionis à poeta ſolo commemorantur. Alteram διὰ μιμήσεως γινομένην, per imitationem efformatam: quoties adhibentur perſonæ quædam, quæ rem quaſi tum ageretur repræſentant, tacente ac nihil pronuntiante poeta. Poſtremam δι᾽ ἀμφοτέρων, quæ ex duabus ſuperioribus conflata & concreta eſt: qua vtroque modo permixto, ſimplici narratione, inquam, & imitatione præſtant poetæ quod volunt: ſeu, in qua & poeta ipſe loquitur, & perſonis ſermo affingitur. Mox hæc omnia exemplis à Platone illuſtrantur. Atque huius tertiæ formæ παράδειγμα ſumit ex Homero, qui principio Iliadis ipſemet narrat, quo pacto Chryſes Apollinis ſacerdos cum muneribus ad Græcorum naues acceſſerit, filiam apud Agamemnonem liberaturus. Tum ſubitò incipit μίμησις: ipſum quippe Chryſen loquentem, & Atridas ſimulq́ Græcos obteſtãtem facit: ἀτρεῖδαι τε καὶ ἄλλοι, &c. ſic noſter Virgilius 1. Æneid. vbi ex ſua perſona aliquanto plura dixit quam Homerus, iratæ Iunonis perſonam induit:

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

duit: *Méne incapto deſiſtere victam?* qua perſona mox depoſita, narrare pergit, quid poſtea egerit: quomodo ad Æolum profecta ſit: quale imperium Æolus in ventos habeat: & quibus dea verbis rogauerit immitti tempeſtatem in claſſem Troianorum: vbi rurſum fit Iuno. Fit etiam Æolus, dum cum Iunoni reſpondẽtem imitatur. Eodem libro poſtquam narrauit Æneam delatum eſſe in portum, ſeptem ceruos confixos, vinumq́ è Sicilia iiſdem manibus aduectum ſociis diſtributum, mox Æneam eorundem animos demulcentem refert. *O ſocij, neq́ enim, &c.* Deinde rurſum narrat: *Talia voce refert, &c.* Sequitur denuo μίμησις. *O qui res hominumq́ Deúmq́, &c.* Hæc ratio, vt nunc poeta, nunc alij loquantur, tota Iliade, & Odyſſea, tota Æneide cuſtoditur, & vt ait Plato, in epica poeſi cuſtodiri ſeruariq́ debet. Magis tamen is poeta commẽdatur, qui quam minimum loquitur ex perſona ſua, perpetuoq́ imitatur: cum eius laus potiſsimum in imitatione conſiſtat. Atqui ea nulla cernitur, cum ſuam ipſe perſonam agit. Illius ſecundi generis exemplum ſtatuitur à Platone tragœdia & comœdia. Ibi enim poeta nihil loquitur. In primo genere collocantur ab eodem dithyrambi: namq́ illi poetæ tumidum & ſonorum poema faciebãt (quo quidem Bacchus celebrabatur) alienã perſonam non ſuſcipiebant: ſed ipſi tanquam ex ore ſuo omnia proferebant. Videtur autem hoc etiam decere carmẽ lyricum, cum eo diuorum præſertim, ac principum virorũ laudes decantentur: quamuis apud Horatium, & Pindarũ exempla reperiãtur illius formæ, quæ dicitur δι' ἀμφοτέρων, & illius

διὰ

διὰ μιμήσεως. Nunc breuiter ſingulorum modorũ græcas & latinas appellationes proponemus, cuique ſuas ſpecies ſubiiciemus, & poetas, item poe-ſin appellabimus generatim, qua vulgus notione iſta nomina contriuit: quod iam tertiùm monemus.

Primum vocant διηγματικὸν, ἐξηγηματικὸν, ἀποδιηγηματικὸν, ἀναγγελτικὸν, latinè enuntiatiuum, enarratiuum. Ad hunc pertinent Ecloga 4. tres primi Georgicôn, & prima pars quarti, Lucretius totus& alij. Species tres, ἀγγελτικὴ, qua ſentẽtiæ morales ſcribuntur, vt fecit Theog. ἱστορικὴ, qua narrationes & genealogiæ, vt eſt Heſiodi Theogonia. διδασκαλικὴ, qua philoſophia comprehenditur, vt libri Varronis, Empedoclis, Parmenidis, Lucretij. Item Aſtrologia vt φαινόμενα Arati, pars Georgicôn Virg. & ſimilia.

Secundum nominant δραματικὸν, à geſtu nempe & actione: δρᾶν enim Dorica lingua valet agere. Etiam dicitur μιμητικὸς, latinè imitatiuus, vel actiuus. Item διαλογητικός. Huc rediguntur Ecloga 1. 3. 5. & 9. Species eius quatuor apud Grecos, Tragica, Comica, Satyrica, Mimica: apud Romanos Prætextata, Tabernaria, Attellana, Planipes.

Reſtat tertius, quem nuncupant κοινὸν, μικτὸν, communem, mixtum: ſed communem malè. Id enim quod ex partibus eſt compoſitum, non poteſt partium commune dici, cum ipſæ partes totum int. Huic dantur Ecloga 2. 6. 8. 10. Hic continet Iliadem, Odyſſeam, totam Æneida: ad ſum-

mam , poeſin epicam : cuius tamen vim ſi acrius contemplere, non tam μικτὴν, quam ἐξηγηματικὴν iudicabis. Et lyricam , quæ ſi Horatium noſtrum ſpectes (plures enim non habemus) æquè ſub primum ſubiici poteſt.

DE EXERCITATIONE, ET MODO ſcribendi: item genera quædam exercitationis poeticæ.

CAPVT IX.

SI in præſtanti natura ineſſet ea vis, vt ipſa per ſe omni laude cumulatum poetam efficeret, nihil cauſſæ fuiſſet, quamobrem eruditi homines in arte tradenda elaborarent. Sed tantum abeſt, vt aptæ alioqui naturæ diſciplina præceptionum neceſſaria non ſit, vt amplius adhuc aliquid requiratur. Nam qui ſine multa exercitatione, ſine diligenti optimorum poetarum imitatione (vt alia non pauca prætereeam) ſe magnam laudem adepturum ſperat, is non tam imprudens, quam impudens cenſeri ritè poteſt. Audebo dicere, homini ad poeſin facto non magis oberit artem neſcire, quam proderit ſæpe ſcribere. Non ideo tamen ſcribam, vt ſcribere queam in hora ducentos, ſtans pede in vno, quemadmodum ſolebat ille Lucillius: immo, vt ingenioſè, eleganter, planeꝗ poeticè poſsim ſcribere quando res tulerit, ſcriptione non aſsidua modo, verumetiam accurata & diligenti me aſuefaciam. Non multitudo,

doſed bonitas carminum poetæ honori eſt. Quãquam difficillimum fatemur, bonos verſus condere, niſi prius non ſolum minime malos, ſed etiam valde multos compoſueris. Ergo laborandum nihil erit, vt multos quotidie verſus eructemus: paucos velim, & quam poteſt fieri, optimos: quod ſine meditatione, cura, cunctatione & mora non eſt, vt poſsit contingere. Verùm quid inde commodi naſcatur, dicet Quintil. *Cito ſcribendo non fit vt bene: bene ſcribendo fit, vt citò ſcribamus. Primum hoc conſtituendum eſt, vt quàm optimè ſcribamus, celeritatem dabit conſuetudo.* Stylus eſt optimus & dicẽdi, & poetandi effector ac magiſter: ſtylus, inquam, non ſine cura, animaduerſione, diligentia. Obtemperandum cenſeo prorſus eiuſdem Quinctil. cõſilio, cũius hæc ſunt verba. *Sit primò vel tardus, dum diligens ſit, ſtylus. Quæramus optima, nec primo ſe offerentibus gaudeamus. Adhibeatur iudicium inuentis, diſpoſitio probatis. Delectus enim rerum verborumq́ue habendus eſt, & pondera ſingulorum examinanda. Poſt ſubeat ratio collocandi, verſenturq́ue omni modo numeri Non vt quodq́ue ſe proferet verbum, occupet locũ. Quæ quidem vt diligentius exequamur, repetenda ſæpius erunt ſcriptorum proxima. Nam præter id, quod ſic melius iunguntur prioribus ſequentia, calor quoque ille cogitationis, qui ſcribendi mora refrixit, recipit ex integro vires, & velut repetito ſpatio ſumit impetum: quod in certamine ſaliendi fieri videmus, vt conatum longius petant, & ad id quo contenditur ſpatium, curſu ferantur: vtq́ue in iaculando brachia reducimus, & expulſuri tela neruos retrotendimus.* Tum reprehendit eos, qui primo decurrere per materiam ſtylo quam velociſsimo volunt, & ſequentes calorem ac impetum, ex tempore ſcribunt: hanc ſyluam vocant. *Repetunt deinde & componunt, quæ effuderant: ſed verba emendantur,*

tur, & numeris: manet in rebus temere congeſtis quæ fuit leuitas. Protinus ergo adhibere curam rectius erit, atque ab initio ſic opus ducere, vt calandum, non ex integro fabricandum ſit. Vt porrò terra variis mutatisq; ſeminibus, ita ingenia noſtra nunc hac nunc illa meditatione excoluntur, ait Plinius.

I. Prima ſit illa, vnam eandemq; rem diuerſis verbis, eadem aut diuerſa ſpecie carminis eloqui. Videas licet in append. Virgiliana tanta varietate, & tam diuerſis modis auroram, quatuor anni tempora, amnem glacie concretum, & alia nonnulla pulchre elegãterq; deſcripta. Scio diſtichon quoddam Græcum centies & ſexies, eodem ſenſu manente, verbis mutatis à docto viro eſſe cõuerſum.

II. Conducet tractare idem nunc conciſè & breuiter, nunc amplè & copioſè: nunc propriis, nunc modificatis verbis: nunc ſimplici, nunc luminibus inſignita oratione.

III. Transfundamus ſolutam ac liberam orationem in carmen, oratoriáſque locutiones poeticis commutare ſtudeamus. Et cum oratores reſtrictiores, nos liberiores ſimus, moreq; poetico argumentum dilatemus, fucum addamus, flores inſpergamus.

IV. Vertamus interdum aliquid, breue tamen, de græco in latinum, aut de latino in gręcum. Quę exercitatio ad vtriuſq; linguæ proprietatem, ſplẽdorem, elegantiam, copiam, figurarumq; varietatem percipiendam non mediocriter valet. Imitatione item optimorum ſimilia inueniendi facultas parabitur, & intelligentia præterea atque iudicium ex hoc acquiretur, vt Plinius aſſeuerat.

V. Vnum

V. Vnum genus carminis apud auctorẽ aliquem inuentum, numeris mutatis ad aliud redigamus, hexametrum ad elegiacum, Phaleucium ad Sapphicum, & cætera eodem modo. Si enim vna res verbi cauſſa, labores & ærumnæ Herculis à Virgilio in 8. Æneid. ab Ouid. in 9. Metamorph. & ab Auſonio hexametris: iterum ab Ouidio epiſt. Deianirę elegis, à Seneca in Herculẽ furẽte trimetris deſcribi potuerũt, cur non etiam diuerſis generibus aliquid à nobis componatur?

VI. Quinimmo eodem genere, quo poeta ille vſus eſt, eandem rem explicandam ſumamus. Nihil enim eſt quod quis obiiciat, non poſſe aut meliora, aut paria illis antiquorum à nobis dici: ſiquidem eloquentia tam inops & pauper nõ eſt, vt vna de re niſi ſemel tantùm præclare dici non poſsit. Sed faciamus eſſe, non ſint noſtra vel meliora, vel æqualia: at erit locus proximis. Et ſi nonnunquam iterum, ac tertiùm ſcribẽdo nobiſcum certamus, quare minimùm ſemel cum alio quouis non poſſimus? nam vt eum non vincamus, tamen certaſſe, & lacertos expertum eſſe iuuabit.

VII. Commendat Plin. in ea epiſt. quæ eſt de exercitatione ſtyli, ſcriptionem epigrammatum his verbis. *Fas eſt & carmine remitti: non dico continuo, & longo (id enim perfici niſi in otio non poteſt) ſed hoc arguto & breui, quod aptè quantaslibet occupationes curasq; diſtinguit. Luſus vocatur: ſed hi luſus non minorem interdum gloriam, quam ſeria conſequuntur.* Argutum & breue carmen vocat epigramma, quod obſeruabis.

Poſtremo, videtur mihi centonum, & parodiarum exercitationes fore perutiles: quibus id aſſequimur,

quimur, vt optimos verſus optimorū poetarum, propter ſtudioſam & ſollicitam lectionem, quæ ad eas per quam neceſſaria eſt, penitus inbibamus, illiq́; mentibus altiſsime defixi perpetuò inhęreant. Verſus, inquā, poetę boni ad alium ſenſum conuertemus, & tanquam ſurculos ex arbore vna in aliam inſeremus, qui tamen in ea nati, non in eam inſiti videri poſsint: idq́; dupliciter, vel ἀπαραπεποιήτους nulla mutatione, quomodo fecerunt Proba Falconia ex virgilio, & Eudocia Imperatrix ex Homero, quod genus centones vocamus: vel παραπεποιημένους in parte aliqua, quod genus parodias nominãt. Nec eius exempla deſunt.

DE IMITATIONE, ET QVAEnam, quóque pacto imitanda.

CAPVT X.

DVPLICEM eſſe imitationem cõſtat. Vnam de qua multis actum eſt principio huius libri. Alteram, qua impellimur cum diligenti ratióne, vt alicuius boni, & præſtantis poetæ ſimiles, ſecundum omnes eius virtutes, aut ſaltem inſigniores eſſe poſsimus. Hac videlicet enitimur, vt poematis noſtris aut Homerum, aut Virgilium, aut Horatium, aut alios deniq́; referamus, & quaſi quandam imaginem ex pulcherrimis eorundem tabulis depingamus. Nimirum animus nóſter aſſidua lectione atque obſeruatione ſimilitudinem quandam concipit eorum, quæ maximè probat, quemad-

quemadmodum appoſito paradigmate oſtendit Halicarnaſſæus in elogiis Græcorum auctorum. Multum tribuo exercitationi: at ſine imitatione excellentem poetā adhuc extitiſſe non facilè probarim. Vnus Homerus tam ſingulari & diuina natura fuit, vt neque doctrinæ alicuius, neq; præcedentium exercitationum imitationi ſuę præſidio vel vſus eſſe, vel vti tum potuiſſe: ſed id totū quod præſtitit, immortalis ac cæleſtis ingenij beneficio præſtitiſſe videatur. Virgilium autem, quod omnes docti iudicant, non natura ipſius (quanquam ea miraculi inſtar eſt) ſed imitationis induſtria tātum poetam effecit. Itaq; nos idoneam naturam ſi conſecuti ſumus, ſi præcepta didicimus, ad exercitationem ſedulò incumbamus: in qua imitationis nunquam eſt dimittenda memoria: nam exerceri ita demum prodeſt, ſi imitere: non quod alioqui id quod rectum eſt, fieri nequeat (quorſum enim ars traderetur?) ſed quod eius ipſius viæ, quā ars demonſtrat, ducem aliquem habere nos oportet. Faciendum eſt igitur, vt illuſtria quædam exempla nobis proponamus, in quæ tota mente, omniq; ſtudio & cogitatione intenti, intimis ſenſibus eorum ſimilitudines comprehēſas, ad noſtra ſcripta transferamus. Id vſq; adeo eſt neceſſarium, vt nemo poeta bonus, quod ſupra dixi, nemo etiam bonus orator inuentus ſit vnquam, qui non aliquem ſit imitatus, quem ſcilicet maximè omnium probauiſſet. Ergo vnum præcipuè tibi deligito, cui te ſimilem eſſe ſtudeas: cui ſi quid deerit, id nullo negotio petes ab aliis. Qui comœdiā facturus eſt, ad exemplum Plauti properabit: vt ille ad exem-

plum

plum Epicharmi. Quidam malunt Terentium. Qui heroicum, Virgilium intuebitur, latinũ Homerum. Qui elegiacum, Propertium. In lyricis quid nobilius Horatio? In tragœdia quem imitemur, exemplo ſuo docebit Seneca: Euripidis quidem, quam Æſchyli, aut Sophoclis ego me ſimilem eſſe malim. Porrò quanquam in vnaquaque forma principem vnum, & poſt illum alios eiuſdem ordinis poetas intueri te velim: admonebo tamen, communes quaſdam eſſe rationes poetis, quà poetæ ſunt, & quà verſus conficiunt, de quibus arbitror dictum ſatis in ſuperioribus.

Optimos porrò eſſe imitandos cum docuerimus, nunc in optimis illis optima nos imitari oportere dicimus. Iuſtiſsimè reprehendit oratores M.Tullius, qui aut ea quæ facilia eſſent: aut etiam quæ inſignia ac pæne vitioſa, conſectarentur imitando. & alibi vituperat eos, qui cum ſe Thucydidem (quod committere nequaquam debuiſſent) imitari profiterentur: ipſius tamen neque verborum, neq; ſententiarum grauitatem imitabantur: ſed cum mutila quædam & hiantia locuti eſſent, quæ vel ſine magiſtro facere poterant, germanos ſe putabant eſſe Thucydidas. Poteſt idem poetis accidere, vt nimio plus imitationi ſeruiant: nec audeant latum pedem ab alio, quem imitari conantur diſcedere: quodq; deterrimum eſt, vitioſiſsima quæq; æmulentur. Quæ duo peccata notauit Horatius illis verſibus,

O imitatores ſeruum pecus: Vt mihi ſæpe
Bilem, ſæpe iocum veſtri mouere tumultus?

Quod enim religione impediuntur, ne quid prætereant,

tereant, quod imitando exprimere non enitātur, videntur ſerui. Quod autem vitia tanquam virtutes imitantur, produnt ſuam hebetudinem, ſtuporem, tarditatem: & communi ſenſu carentes, fiunt pecudum ſimiles. Horatius igitur imitatores neutiquam reprehendit, nec imitationem contemnit, cum ipſe quoque ſuos, vt alij ſuos imitatus ſit: ſed ſuperſtitionē, & ſtultitiam in imitatoribus exagitat. Virgilius dulcedine nimia Homericæ imitationis, aduerſus tritum illud commiſit: Ne quid nimis, quando etiā quædā vitia in verſibus imitari eſt auſus. Sic quidā verbis obſoletis, & quæ vix Euander intelligat, frequentius immiſcēdis, Plautinos ſe: & cum pro ſpōdeis atq; dactylis proceleuſmaticos, & anapæſtos in heroicum carmen inſerſerint, meriſsimos Virgilios arbitrantur: vt illi apud Quintil. Cicerones, qui periodum terminabāt verbis iſtis, *eſſe videatur*. Quam egregiè ille poetarū latinorum Imperator ætatis cuiuſq; mores notat? quàm pulchre ſuas cuiq; partes mandat? quàm fæliciter naturam exprimit? quantus in eo amor vetuſtatis? quantum artis? quantum prudentiæ? quātum iudicij? ſuaues miſcet affectus, iucunda habet epiſodia, aptè digreditur, ſumma in eo caſtitas ſermonis, magna grauitas ſententiarum, ſimilitudinum, comparationum mirifica venuſtas. Verecundus in fabulis, grauis, accuratus, vt nullus alius. Nihil Homero addere, huic nihil poſsis demere. Hæc & alia quam plurima imitari præſtabit ex Virgilio, quā verſiculos imperfectos, (quod quidam in ſuo poemate de animi immortalitate per κακοζηλίαν admittere non dubitauit) alienos

pedes,

pedes, & ſimilia. Omnis autem labor eo impendendus, ne, quæ dicimus, illorum, ſed noſtra videantur: quamuis doctos viros, vnde illa hauſerimus non fallat, Virgilius tamen, Macrobio teſte, multa tranſtulit, quæ vnde tranſtulerit, difficillimè cognoſci poteſt. Eundem aſſerit & iudicio transferendi, & modo imitandi conſecutum eſſe, vt, quod apud illum legimus alienum, aut illius eſſe malimus: aut melius hîc, quam vbi natum eſt, ſonare miremur.

Præclaram bene imitandi rationem tradit Demetrius. Explicans enim formam dicendi magnificam, docet immiſtis poetarum locis grandem & magnificam fieri orationem. Quem modum facit bipartitum. Alij nuda poetarum imitatione vtuntur, & quæ potius verborum tranſpoſitio, quam imitatio vocari debet, quod ſolet Herodotus: apud quem cum id frequens ſit, exemplum nõ ponit. Alij diuerſam tenentes viam, quod à poetis ſumunt, tegunt, occultant: quodq́ aliorum eſt, ipſi proprium ac ſuum efficiunt. Profert locum Thucydidis. Homerus in Odyſſea ſitum Cretæ, & naturam, ac fertilitatem deſcribens, inquit.

Κρήτη τις γαῖ' ἔςι μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ
Καλή τε καὶ πίειρα, περίῤῥυτος.

Homerus in magnitudine inſulæ declaranda vſus eſt verbo *περίῤῥυτος*. Thucydides autem in 4. ait oportere Græcos, qui in Sicilia habitabant, concordia iungi, cum ſint incolæ eiuſdem telluris, & *περιῤῥύτου*, circumfluæ, & vndique mari cinctæ: & cum eadem omnia dixerit Thucydides quæ Homerus,

merus, telluremq́; (χῶρον) pro inſula, & περίῤῥυτον eodem pacto, tamen aliud dicere videtur, quia nõ ad magnitudinem, ſed ad concordiam ipſis vſus eſt. Huc quoque aptiſsime referas illa Senecæ ex epiſt. quæ eſt de ratione ſtudij. Apes imitari præcipit, quas videmus volitare per florea rura, & ſuccos ad mellificandum idoneos quærere. *Nos ſimiliter, quæ ex diuerſa, ſeu multa vnius lectione congeſsimus, ſeparare debemus: deinde adhibita ingenij cura & facultate in vnum ſaporem varia illa libamenta confundere: vt etiamſi apparuerit vnde ſumptum ſit, aliud tamen eſſe, quã vnde ſumptum eſt, appareat. Quod in corpore noſtro videmus ſine vlla opera noſtra facere naturam. Alimenta quæ accepimus, quamdiu in ſua qualitate perdurant, & ſolida innatant, ſtomacho oneri ſunt. At cum ex eo quod erãt mutata ſunt, tunc demum in vires & in ſanguinem tranſeunt. Idem in his quibus alũtur ingenia præſtemus: vt quæcunq; hauſimus, non patiamur integra eſſe, ne aliena ſint, ſed concoquamus illa.* Halicarnaſſæus exprimendæ etiam orationis ſimilitudo, inquit, ita demum paritur, ſi quis imitatione expreſſerit illud, quod apud vnũquemque ex multis videtur eſſe pręſtantiſsimum. Quemadmodum, ſi quis multis ex fontibus riuũ quẽdam deducens in animum ſuum deriuet. Adhibet rei declarandæ cauſſa exemplum Zeuxidis, quod feſtiuè narrat proœmio 2. de Inuent. M. Tullius.

DE ARGVMENTO VIRIBVS conuenienter ſumendo, deq́; carminis & poeſeos genere deligendo.

CAPVT XI.

PERBENE Horatius monuit, non eſſe grandius imponendum onus humeris, quam ſuſtinere queant, materiamq́; ſcriptioni deligere demum eam oportere, quæ exploratis ac tentatis antea diligenter viribus conuenire ſentiatur. Quod ſi nos viribus noſtris metiemur, & par onus ingenio, doctrinæq́; noſtræ ſubierimus (neq; enim omnia poſſumus omnes) promittit, nec verba nobis, nec diſpoſitionem atq; ordinem (ſine quo nihil lucidum, omnia perturbata & obſcura fiunt) defuturum.

Sumite materiam veſtris qui ſcribitis æquam
Viribus, & verſate diu quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri: cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo.

Alioqui propter imbecillitatem ingenij, & orationis paupertatem in medio conatu ſubſiſtere, inceptúmque curſum interrumpere compellemur. Ouidius 2. Triſt. poſtquam ſemet accuſauit, quod non relictis nugis amatoriis res bello geſtas, res populi Romani, atq; adeo Aug. Cæſaris ad poſteritatis memoriam verſibus commendaſſet, tandem ita ſe purgat.

Arguor immeritò: tenuis mihi campus aratur,
Illud erat magnæ fertilitatis opus.

Non

Non ideo debet pelago ſe credere, ſi qua
Audet in exiguo ludere cymba lacu,
Forſan in hoc dubitem, numeris leuioribus aptus
Sim ſatis, in paruos ſufficiamq́; modos.
At ſi me iubeas domitos Iouis igne gigantes
Dicere, conantem debilitabit onus.
Diuitis ingenij eſt, immania Caſaris acta
Condere, materia ne ſuperetur opus.

Et poſt multa in eodem lib. ad Auguſtum ſcripto.

Bella ſonant alij telis inſtructa cruentis,
Parsq́; tui generis, pars tua facta canit.
Inuida me ſpatio natura coercuit arcto,
Ingenio vires exiguasq́; dedit.

Et lib. 2. de Ponto eleg. 5.

Dum tamen in rebus tentamus carmina paruis,
Materia gracili ſufficit ingenium.

Conſultum proinde eſt, non ſubito Iliadas, & gigantomachias captare, argumenta, inquam, operoſa, longa, difficilia: id enim quid aliud fuerit, quam cereis pennis volitare: Res ludicras principio canamus: ipſi quoq; culicem noſtrum, aut araneolum, aut formicam, aut batrachomyomachiā, aut apologos Æſopicos habeamus. Iocemur epigrammatiis: quædam puſilla, & contractiora poemata, ſed venuſta & ingenioſa extundamus, donec humeri vitulo ferendo aſſueti, bouem geſtare poſsint. Hæc ſunt poetarum tyrocinia, hæ primæ velitationes & progymnaſmata. Eiuſmodi argumentum eligemus, quod nobis plurimum blandiatur, & quo multum delectemur. Nam quæ ipſi noſtrum iudicium liberè ſecuti ad ſcribendū proponimus, in iis tractandis, vt planum eſt, fælicio-

res ſumus, quam in iuſsis atque imperatis. Ne primo illo impetu, qui plerunque vehemens, nec ſatis conſideratus eſt, nos abripi ſinamus: néue extemplo, vt læta tempeſtas abblandita fuerit, ventis vela committamus. Quin prius aciem animi circumferentes, ipſum argumentum, illiuſque partes quam accuratiſsimè expendamus, vſque dum ardor ille repentinus, atque igneus aliquantulum deferueſcat, noſque prudentiam potius, quam temeritatem ſcribendi ducem auctoremque ſequamur.

Quod de materia, ſiue argumentis dicebamus, hoc idem prorſus de genere carminis, quod materiæ cõgruens & accommodatũ eſſe debet, intelligi poſtulamus: ne *optet ephippia bos piger: optet arare caballus.* In oratoribus fuerunt, qui in epidictico genere, & exornatione palmam auferrent: vt Græci illi, quos inter veluti lumen aliquod eluxit Iſocrates. Quidam in deliberationibus, dandoque conſilio laudati ſunt, vt M. Tullius. Nonnulli iudicia cum magna commendatione & gloria tractauerunt, vt Demoſthenes: in quo genere cauſſarum Cicero plus defendendo, quam accuſando poteſt. At is omne punctum tulerit, qui in ſingulis primas tenere potuerit. Quod affirmaui de cauſsis, accipiatur etiam de tribus dicendi characteribus, ſublimi, infimo, & medio: in horũ ſingulis permulti, in omnibus ſimul perpauci claruerunt. Pari modo pauciſsimi inueniuntur, qui poſsint, non dicã omne genus, ſed plura carminis, ſeu poematis genera ſic ſcribere, vt cum omnem vituperationem effugerint, egregiam laudem adipiſcantur. Cernimus alios ad comœdiam, alios ad tragœdiam facien-

dam

dam natos. Hic in lyrico, iſte in elegia, ille in epigrammate non perdit operam. *Vnumquodq; genus, inquit Cicero, diuerſum eſt à reliquis, & in ſingulis ſuus eſt cuiuſq; certus ſonus, & quadam intelligentibus nota vox. Itaq; licet dicere, & Ennium ſummum epicum poetam, ſi cui ita videtur, Pacuuium tragicum, & Cecilium fortaſſe comicũ.* Ariſtoteles verò etiam in vna eademq́ ſpecie poeſeos gradus quoſdam ponit, atq; alium alio excellentiorem eſſe poetam aſſerit: vt in tragœdia (cuius quatuor genera conſtituit) illum pro perfecto ducit, qui æque artificiosè & ſplendidè omnia tractare poteſt. Ac Perſianum quidem cum in aliis pleriſq; omnibus, tum hac in re locum habet,

Tecum habita, vt noris quam ſit tibi curta ſupellex.

Horatius nec grauem materiam, nec grande plenumq́ carmen ſuſcipere eſt auſus: Virgilius ſi elegos feciſſet, credo, conceſsiſſet Propertio, & Tibullo: ſicut contra hi in epico longe inferiores illo extitiſſent. P. Ouidius in hexametro nequaquam Maronis excellentiæ reſpondit. Horatius apertè indicat ſe heroico carmini condendo imparẽ, negatq́ in ſe poetæ nomen conuenire, tametſi hexametrum faciat: quia ſatis non ſit, verſum ſuis pedibus claudere: maiora & plura expeti.

Primum ego me illorum dederim quibus eſſe poetas
Excerpam numero: neq; enim concludere verſum
Dixeris eſſe ſatis: neq; ſi quis ſcribat vti nos
Sermoni propriora, putes hunc eſſe poetam.
Ingenium cui ſit, cui mens diuinior atq; os
Magna ſonaturum, do nominis huius honorem.

At in lyricis ferire illũ videas ſublimi ſydera vertice. Quin de ſe prædicare non eſt veritus, in hunc modum alloquens Melpomenen.

Totum muneris hoc tui eſt
Quod monſtror digito prætereuntium
Romanæ fidicen lyræ.

Et alibi.

ſume ſuperbiam
Quæſitam meritis, & mihi Delphica
Lauro cinge volens Melpomene comam.

Martialis nihil niſi epigrammata ſcribere potuit. Quid potuerit Propertius, clara eius indicāt monumenta, & elegia 1. lib. 2. Catullus in elegia aliquanto horridior, & aſperior: in iambis, & hendecaſyllabis planè ſingularis. Plautus facetiis & arte comica, iudicio Sedigiti ſecūdas occupat: qui nūquam fortaſsis hexametrum, aut lyricum tolerabile feciſſet. De Terentio Quintilianus, maiorem gratiam habiturum fuiſſe, ſi intra trimetros conſtitiſſet. Capiat ergo adoleſcens aptum ſibi, & idoneum naturæ ſuæ poematis, & carminis genus, in quo præcipue excolendo multùm temporis atque ſtudij conſumat.

CONQVIRENDAM PRIVS RErum ac verborum ſupellectilem, & de tranquillitate animi, ac ſeceſſu.

CAPVT XII.

PERELEGANTER quidā poetam cum nauta, ſcriptionem cum mari conferentes, docent commeatum eſſe ante prouidendum, quam

quam inſtituatur nauigatio. Volunt nos, priuſquã ad conficiendum poema, longius præſertim, accingamur, multam & magnam rerum atq; verborum (quibus duobus omnis conſtat abſoluiturq; oratio) ſupellectilem comportare, & vndiq; conquirere. Ex arca plena ſumptum facere periucundum eſt: durum contra, impendere quæ nondum poſſederis: & magnæ temeritatis, nondum cæſa, & conuecta materia aggredi ad ędificandum. Et hoc quidem præceptum adhuc generale eſt, de rebus ſcilicet ac verbis ad poema neceſſariis, ante quaſi in theſaurum reponendis. Commendantur, qui cum nunquam non ſtudioſè attentéque, tum ſub illud tempus longè ſtudioſius attentiusq; veteres poetas legunt, quo ſunt carmina ſcripturi: ibiqúe inſtar apum floriferis in ſaltibus omnia libant, & electiſsima quęq; depaſcũtur. Adde quod lectione illa diligẽti decãtatiſsimus ille furor, de quo cap. 1. excitatur, animusq; noſter quaſdam ideas, ſpecies, formas, exemplaria, aut quocunq; tandem nomine vocare malumus, concipit longè pręclariſsima, atque pulcherrima, quæ deinde rebus ad ſcribendum ſubiectis conatur imprimere. Ex quo conſequitur, vt iam effectum poema eruditis hominibus, quibq; tritas habent aures notandis generibus poetarum, lectu ſit quam gratiſsimum: propterea nimirum, quod plures locos inſignes ex optimis poetarum ingenioſè imitatos deprehendunt. Deniq; ſicut qui in tabernis aromaticis, & vnguentariis diu ac multum verſantur, quiq; aromata, vnguentaq; manibus contrectant, odorem retinent: ita prorſus, qui iſtas illuſtrium poetarũ arculas, &

 myro-

myrothecia frequenter inſpexerit,ac legendo, relegendo fragrantiſsima pigmenta verſauerit, ipſe odorem quendam ſuauiſsimum lectoribus præbebit.Neq; in vna tantum parte,aut altera, verùm tota ſcriptione illorum quam ſimillimus euadet.

Illa duo quoq; carminibus multò rectius faciliusq; factitandis non mediocre præſtabunt auxiliũ. Vnum eſt, mens pacata,mens alia quauis ſollicitudine vacans, angore & perturbatione omni ſoluta prorſus atque libera. Animus diſtractus, nulla in re munus ſuum fungi probè, ac decenter poteſt: ne dum vt pariendis verſibus ornatiſsimis idoneus videatur:quos ſi quis cura, attentione,iudicio indigere non putat,ipſe iudicio indiget.Profectò non tantum apud ſe, ſed etiam in ſe tota mẽs noſtra eſſe debebit, ſi, quod dicebam, verſus laudabiles,& quaſi tornatiles dare volet. Vidit hoc & ſenſitM.Tullius,qui ad Q.F. *de verſibus, inquit, quos tibi à me ſcribi vis,deeſt mihi quidem opera, qua non modo tempus,ſed etiã animum vacuum ab omni cura deſiderat.* P. Ouidius hoc ipſum non ſemel indicauit, docuitqũe hanc ipſam eſſe cauſſam, cur tam difficulter verſus ſcriberet: quia ſcilicet pæne quotidiano timore periculorum ac trepidatione iactaretur.

carmina lætum
Sunt opus, & pacem mentis habere volunt.
Carmina proueniunt animo deducta ſereno,
Nubila ſunt ſubitis tempora noſtra malis.

Idem, quomodo in tempeſtatum procella, animi ſtatu perturbatiſsimo verſus facere potuerit, miratur, & ait,

Quod

Quod facerem verſus inter fera murmura ponti,
Cycladas AEgeas obſtupuiſſe puto.
Ipſe ego nunc miror tantis animiq; mariſq;
Fluctibus ingenium non cecidiſſe meum.

Demoſthenem Fabius commendat, qui ſe in locum, ex quo nulla exaudiri vox, nihilq́ue proſpici poſſet, recondebat, ne aliud agere mentem cogerent oculi. Ideóque lucubrantes, inquit, ſilentium noctis, & clauſum cubiculum, & lumen vnum velut tectos maximè teneat. Noctem ego quoque verſibus faciendis, vt ille orationibus, opportunam eſſe arbitror, quam Græci non ſine cauſſa εὐφρόνην appellarunt, & conſultationibus accommodatam boni ſcriptores aſſerũt. Latebras etiam amplector, & loca planè ſola: quod item voluit Ouidius, vt illud ſuperius, animum ſcilicet curis non impeditum.

Carmina ſeceſſum ſcribentis, & otia quærunt.

Sed illi loci, in quibus eſt ſenſibus blãdiens amœnitas, ſyluæ, horti, nemora, ruſcula, vbi frondeſcunt arbores, pubeſcunt vites, ſegetes largiuntur fruges, vbi obliquo laborat lympha fugax trepidare riuo, tales, inquam, loci poetis aptiores & proprij videntur. Atq; Horatius tales receſſus inprimis adamauit, eoſq; poetis frequentandos ſuaſit.

me gelidum nemus,
Nympharumq; leues cum ſatyris chori
Secernunt populo.

Alibi.

Præter cætera Romæ mène poemata cenſes
Scribere poſſe inter tot curas, totq; labores?

Et paulò poſt.

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit Vrbem.

Ouidius proinde ad finem elegię, vnde ſuperiores verſus attuli, veniam à lectoribus petit his verbis.

Quo magis his debes ignoſcere, candide lector,
Si ſpe ſunt, vt ſunt, inferiora tua.
Non hac in noſtris, vt quondam, ſcripſimus hortis,
Nec conſuete meum lectule corpus habes.
Iactor in indomito brumali luce profunda,
Ipſaq; caruleis charta feritur aquis.

DE IVDICIO.

CAPVT XIII.

IN poeticis nulla res tanti eſt momenti, quanti iudicium, nec eſt aliud quidquam, cuius maior ſit vel commendatio, vel admiratio. Difficultas autem prope maxima, cum id arte præceptisq; tradi vix poſsit: quia potius naturæ munus quoddam eſt, atq; illuſtre beneficium. Nullus locus æquè lubricus, nihil in quo & frequentius, & grauius, & à pluribus offendatur. Acre igitur, perſpicax, ſincerum & excellens iudicium non contingit omnibus: etiam quibus alioqui nobilius natura conceſsit ingenium: ſunt enim, vt clarũ eſt, non ſemper coniuncta. Ouidius & Virgilius putantur æquales fuiſſe ingeniis, iudicio non item: quo quidem Virgilius non ſolùm Naſonem, verumetiam ipſum poetices parentem Homerum vicit: à quo viciſsim ingenij & naturæ præſtantia longè ſuperatur. Priuſquam ſcribere inſtituas, dum ſcribis, poſtquam ſcripſiſti, ſiue imiteris aliquid, ſiue ex te natum

natum proferas,ſiue hoc, ſiue illud agas,quocunq; modo rem tractes, nuſquam non opus erit iudicio. Multi in omnem partem lapſus, quos vitare non poterit, qui non animaduerterit: non autem animaduertet, quem iudicij acrimonia ſubtilitáſque deſtituerit. Nihil aptius dici poteſt, opinor, quam iudicium eſſe oculum ingenij, ſine quo etiam videntes nihil vident, & quodammodo in tenebris ſaltant.Sæpe autē euenit (id quod meam ſtabilit ſententiam) vt dum vnam vitare culpam contendimus, & dum re ipſa vitamus, in aliam quandam ſtultitia noſtra, & imprudentia incidamus.

Dum vitant ſtulti vitia,in contraria currunt.

Cum ergo magna ſit laus iudicij, patet iam, patebitq; magis, non mediocrem quoq; illius eſſe neceſsitatem, & difficultatem non minimam. *Vt in vita, inquit, M. Tullius, ſic in oratione nihil eſt difficilius, quam quid deceat videre: πρέπον appellant Græci,nos dicamus ſanè decorum, de quo & præclarè multa præcipiuntur,& eſt res cognitione digniſsima. Huius ignoratione non modo in vita,ſed ſæpiſsimè in poematis, & in oratione peccatur.* Hinc Flaccus.

Maxima pars vatum,pater & iuuenes patre digni,
Decipimur ſpecie recti. Breuis eſſe laboro,
Obſcurus fio:ſectantem leuia nerui
Deficiunt,animiq;:profeſſus grandia turget:
Serpit humi tutus nimium timidusq; procellæ.
Qui variare cupit rem prodigaliter vnam,
Delphinum ſyluis appingit,fluctibus aprum.

Quibus ille verbis vniuerſè docet,quam limato & acri iudicio præditum eſſe poetam oporteat, vt vitioſa à rectis diſtinguere,& illa reiicere,iſta ſequi

in ſcribendo queat. Niſi prudentiſsimus & exercitatiſsimis veri falſiq́ notas internouerit: adeo tenues obſcuræqúe ſunt. Ponit autem, ſi aduertas, quinque vitiorum exempla Horatius. Vt apertius loquar, nuſquam minus indulgere nobis, nuſquã magis ſuſpecti nobiſmetipſis eſſe debemus, quam cum de noſtris iudicamus. Hic quidem à doctis eſt notatus Ouidius, qui tamẽ potius noluit, quam non potuit incorruptè de ſuis ſcriptis facere iudicium, & adhibita lima eadem perpolire. Nec ille vitia ſua ignorauit, ſed amauit: vt non immeritò Fabius affirmet, maluiſſe ingenio indulgere, quã temperare: nec iudicium ei defuiſſe, ſed animum, vt Seneca dixit. Rogârant hunc poetam eruditi quidam homines, ne iniquè ferret tres verſiculos in operibus ſuis aut mutari, aut induci. Permiſit, ea conditione tamen, vt ſibi liceret tres excipere, quos voluiſſet. Poſtero die cum ad eum amici illi reuertiſſent, iidem prorſus & in Ouidij, & in horum tabellis notati apparuerunt. Fideliter monuit Horatius, vt ne nimium ſententiæ noſtræ tribuamus: ſed alios quoq́ poematum noſtrorum iudices & arbitros adhibeamus: nam duo oculi plus vident, quam vnus.

Tu nihil inuita dices faciesq́ Minerua,
Id tibi iudicium eſt, ea mens. Si quid tamen olim
Scripſeris, in Meci deſcendat iudicis aures,
Et patris, & noſtras.

Iam quod aliis faciendum ſuaſit, id ipſemet fecit: nam ad Tibullum ſcribens, ſic orditur.

Albi noſtrorum ſermonum candide iudex.

In Harmonide refert Lucianus, hunc à Timotheo aliquan-

aliquando quæſiuiſſe, quonam pacto ex arte muſica citò poſſet in ora hominum peruenire. Timotheum reſpondiſſe: ſi peritioribus & optimatibus placeret. Iſtuc conſilium quia contempſit Harmonides, & quam maximo ſpiritu tibias inflauit, notior quidem factus non eſt, cum ſpiritu autem vitam amiſit. Hoc eò pertinet, vt à doctioribus, & prudentioribus nos emendari non recuſemus, & quod vel ingenio, vel iudicio noſtro deeſt, id ab aliis mutuari ne erubeſcamus.

DE ERRATIS Poetarum.

CAPVT *XIV*.

SVNT peccata quędam poetarum, quibus danda eſt venia: ſunt quædam cõtra, quibus danda non eſt, quæ appellemus ſanè vitia: quo in genere numerabuntur, quæ cap. ſequenti explicabimus. Peccata igitur illa priora vel ex aliqua incuria (neque enim ſemper vigilant, & ad id quod agunt omnes animi ingeniiqúe partes adhibent poetæ) vel ex imbecillitate quadam humana exiſtunt: qua accidit, vt quamuis magno ſtudio elaborantes, non poſsimus vſquequaq; in longo prę ſertim opere, omnem prolapſionem effugere. Adde quod in corpore venuſto non adeo dedecet vnus aut alter næuus. Verumenimuerò hæc ipſa peccata multis, & egregiis virtutibus compenſari debent: ſicut facere nouimus Homerum, Virgilium:

lium: qui ambo cum dormitẽt (rarius tamen Virgilius) ſæpius multò vigilantes ac boni reperiuntur. Quod ſi quis velut malus librarius ſemper in eadem litera pingenda, aut tanquam malus citharœdus ſemper in eadem chorda pulſanda erraret, is in vitio poneretur. Hanc veniam exiſtimãt nonnulli epicis concedendam potius, quam dramaticis. Epici magnam rerum varietatem complectũtur, & opera longiora contexunt, in quibus fas eſt obrepere ſomnum. Comici autem, & Tragici vnum quoddam argumentum, & actionem vnius, ſummum duorum dierum proponunt ſibi, ſuúmque finem aſſequi, & ſuo muneri reſpondere negotio minore poſſunt. Merentur veniam, & ad hunc locum referri poſſunt peccata, quæ ab Ariſtotele dicuntur κατὰ συμβεβηκὸς per accidens, vt loquuntur philoſophi, quæ non ad poeticam diſciplinam, ſed ad quaſdam alias facultates ſcientiasq; pertinent: quæ fortuita ſunt, nec malo conſilio, verùm ignoratione aliqua, aut falſa opinione committuntur. Hæc poetæ exiſtimationem non lædunt, modo in reliquis ſcopum attingat. Tales lapſus ſunt in geographia, & medicina apud Homerum. Tale peccatum Maronis, qui Æneam in Africa 7. ceruos iaculis proſternentem fingit, cum Africa ceruis careat. Tale Pindari, ceruæ cornua tribuentis. ita enim putabat, cum hoc animal fortaſsis nunquam vidiſſet. Sunt alia errata ſecundũ ipſam artem poeticam, quæ vocant καθ' αὐτὴν: hæc ignoſci non poſſunt: quando nimirum in imitatione ipſa labitur poeta, & conatur exprimere id, quod fidem excedit, quod eſt ἀδύνατον. Aut ſi po-

teſt

teſt fieri, ipſe tamen non ita imitatur vt poteſt, vel vt debet fieri. Sunt nihilominus alij poetæ, quibus ideo nulla tribuenda eſt venia quod duabus de cauſsis negligenter ſcribunt (nam quod de iambographis ab Horatio dictũ eſt, ad omnes accommodabitur) tum quod confidunt, non omnes ſua peccata perſpecturos: tum, etiamſi nemo non facilè perſpecturus ſit, quod veniam ſeſe impetraturos confidunt. At non idcirco, licẽter oportet nos ſcribere, immo verò nihil peccare in ſcribendo, & arbitrari, omnes errata noſtra animaduerſuros, & ita demum tuti erimus: neq; ſperare nos impune peccaturos, & ita cauti erimus, cum ipſi ſpem veniæ omnem nobis præciderimus. Denique parum eſt non peccare: oportet rectè facere, ſi laudem atque præmium mereri meditere.

Non quiuis videt immodulata poemata iudex,
Et data Romanis venia eſt indigna poetis.
Idcircóne vager, ſcribamq; licenter? an omnes
Viſuros peccata putem mea tutus & extra
Spem veniæ cautus? vitaui deniq; culpam,
Non laudem merui.

DE VITIIS CARMINVM, & horum caſtigatione.

CAPVT XV.

ACCVRATVS dicendi magiſter Quintilianus, quo loco de oratoria emendatione diſputat, ea dicit, quæ ego, quoniam vitia perſi-

perſimilia ſunt, ad poeticam orationem emendã-dam, non incommodè retulero. *Huius, inquit, operis eſt, adiicere, detrahere, mutare: ſed facilius in his, ſimpliciusq; iudicium, quæ replenda, vel deiicienda ſunt. Premere verò tumentia, humilia extollere, luxuriantia aſtringere, inordinata dirigere, ſoluta componere, exultantia coercere, duplicis operæ: nam & damnanda ſunt, quæ placuerunt, & inuenienda quæ fugerunt.* Horatius, (quem ſecutus videtur Quintilianus) vbi munus & officiũ boni cenſoris ſeu emendatoris explanat, & quid agere ille debeat, clariſsimis verbis prudẽtiſsimè oſtendit, ſeptem vitia enumerat, quæ quidem omnia ad quatuor ordines, ſiue claſſes, ſiue capita reuocari poſſunt. Aut enim ſuperuacanea amputanda: aut omiſſa & neceſſaria ſuperaddenda: aut in locum deteriorum meliora reponẽda: aut verba demum in alias ſedes, quò numerum concinniorem leuiorémque efficiant, transferenda ſunt: quæ rationes Græcè ἀφαίρεσις, πρόσθεσις, μεταβολὴ, μετάθεσις, latinè, ademptio, additio, commutatio, tranſiectio. In his non ſinceri tantùm caſtigatoris, verumetiam ſcriptoris induſtrij munus, & officiũ cernitur: qui quidem reprehendet verſus parum ſedulò, & ſine artificio à ſe confectos, ſeu otioſos, vt quidam (inertes) interpretantur: in quibus videlicet nulla eſt vel vtilitas, vel delectatio: qui idcirco ad finem poetis conſtitutum nihil faciunt. Aſperos autem propter voces duras: propter vocalium, & conſonantium crebriorem concurſum, ſeu ingratam eiuſdem literæ repetitiõnem: qualis eſt ille lippis & tonſoribus notus,

O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tuliſti,

tales,

tales,inquam, non etiam pręteribit inemendatos. Sunt quidam præterea nullis penitus neq; verborum, neq; ſententiarum luminibus ornamentiſq; conſpicui: immo verbis incultis, inquinatis, ſordidis referti, quos bella tralatione incomptos vocat Horatius. Quid his fiet? tranſuerſo calamo delebuntur, quod Græcis eſt ὀβελίζεσθαι. Contra quidam interdum nimis ſuperbiunt, nimis luxuriāt, nimium grādiloqui, picti & floridi ſunt: hos comprimet, ac circumcidet poeta diligens. Obſcuros & parum apertos illuſtrabit, ne opus ſit OEdipo ad intelligendum. Eſt quando verſus euadunt ambigui, idq; aut ſecundum vocem vnam, id eſt, ὁμώνυμον, aut ſecundum ſe totos, quæ ἀμφιβολία dicitur, quos proinde neſcias, vtro ſenſu accipias, qualis ille,

Aio te AEacida Romanos vincere poſſe.

Ambiguitas igitur tollēda eſt, quamuis in iocis & ſalibus multum valeat. Ad extremum mutanda mutentur, inepta aptioribus, inutilia vtilibus, leuia grauibus, minus ſignificantia ſignificantibus, impropria propriis, ſtolida ſapientibus, &c. nec verò ſimpliciter de labore atq; opere ſuo iudicabit poëta: ſed perſonam ſeueri & incorrupti iudicis aſſumet, ac ſibi Ariſtarchus fiet.

D DE

DE DILIGENTIA EMENdationis, & recognitionis.

CAPVT XVI.

NON minus verè quam doctè Fabius, emendationem videri partem ſtudiorum longè vtiliſsimam: neque enim ſine cauſſa creditum eſſe, ſtylum non minus agere cum delet. Longè plus laudis & gloriæ in corrigendo & illuſtrando, quam in componendo poſitum eſt. Plutarchus repetit hanc Polycleti ſententiam, χαλεπώτατον εἶναι τὸ ἔργον, ὅταν ἐν ὄνυχι ὁ πηλὸς γίνεται, difficillimũ eſſe opus, cum lutum eſt intra vngues, hoc eſt, cum ad vnguem abſoluitur. Et ſatius eſt premere aliquandiu, quod promere velis, quam inculta & vitioſa reuocare, cum euulgata ſint: neſcit enim vox miſſa reuerti, ἔπεα γὰρ πτερόεντα, vt ſæpe Homerus. Ceruus vbi cornua depoſuit, metuit, ac prodire non audet. Eo vſque autem latet, dum ſe marem teſtari queat, recuperatis cornibus. Hoc in noſtris edendis imitari deberemus, & ea, donec luce digna fierent, maturitatémque conſequerentur, occultare. Non imitari Calliphanem ineptum poetam, qui ſe libera, & pedibus vincta oratione multa conſcribere gloriabatur, & tribus, aut quatuor verſibus compoſitis, in cœtu eos literatorum pronuntiabat, vt eruditi nomẽ conſequeretur. In crebra igitur & ſolerti emendatione permultum eſt ſitum, cuius negligentiam in poetis Romanis reprehendit Horatius.

Nec virtute foret, clariſue potentius armis,
Quam lingua Latium, ſi non offenderet vnum
Quemq́; poetarum lima labor & mora.

Mox in perſona Piſonum ad eam nos hortatur.

Vos ô
Pompilius ſanguis carmen reprehendite quod non
Multa dies, & multa litura coercuit, atque
Perfectum decies non caſtigauit ad vnguem.

Alio loco.

Sæpe ſtylum vertas, iterum quæ digna legi ſunt
Scripturus.

P. Virg. certè ex induſtria emendãdi ſummam ſibi laudem cõparauit: qui teſte Donato, cũ Georgicω̃ libros conſcriberet, quotidie mane plurimos verſus meditatus dictabat, eosq́; per totum diem retractando ad paucißimos redigebat: non abſurde carmen ſe vrſæ more dicens parere, & lambendo demum effingere. Cõſtituit præterea in Græciam & Aſiam proficiſci, totóque triennio Æneidem limare ac perpolire: ſed mors bonum conſilium diſturbauit. Quocirca teſtamento iuſsit eam comburi: maluit ſiquidem prorſus non extare apud poſteros, quam inemendatam extare. Idem voluit ſuis Metamorph. libris facere Ouidius, cum in exilium deportaretur: verum amici iam deſcripſerant. Quædam nihilominus ſcripta ſua, vt vitioſa, incendiſſe confitetur eleg. 10. lib. 4. Triſt. Non eſſe porrò emendatam Metamorphoſin affirmat ipſe Triſt. 1. & 3. Quamobrem iuſta vituperatione non carent, qui carmen ſuum, vt primùm ſcripſerunt, euulgant, famam & celebritatem immoderate ſitientes. Atque ita celeriter nata cele-

riter intereunt. Plutarchus in Pericle, ἡ γὰρ ἐν τῷ ποιεῖν εὐχέρεια, καὶ ταχύτης οὐκ ἐντίθησι βάρος ἔργῳ μόνιμον, οὐδὲ κάλλους ἀκρίβειαν: ὁ δ᾽ εἰς τὴν γένεσιν τῷ πόνῳ προσδανισθεὶς χρόνος, ἐν τῇ σωτηρίᾳ τοῦ γενομένου τὴν ἰσχὺν ἀποδίδωσιν, *nam operis facilitas celeritáſque non addit illi pondus ſolidum, aut duraturum, neque exactam pulchritudinem: at temporis longinquitas labori velut fænerato accedens, et quod naſcitur, robur firmitatémque adiicit.* Seneca nihil ordinatum eſſe ſcribit, quod præcipitatur, & properat. Iſocrates decennium conſumpſit in emēdando panegyrico, vt Fabius, immo 3. olympiadas, vt Plutarchus auctor eſt. Ariſtides M. Imperatori ſciſcitanti, quando ipſum aditurus foret, reſpōdit: hodiernū diem exime, at cras audies, οὐ γὰρ ἐσμὲν τῶν ἐμούντων, ἀλλὰ τῶν ἀκριβούντων, *neq; enim ſumus de numero vomentium, ſed elaborantium.* Agatarchus pictor, vt narrat Val. Max. ingentes ſibi ſpiritus ſumebat de pingendi celeritate: id poſtquam intellexit Zeuxis, *diu, inquit, ego pingo, quia pingo æternitati.* Pictori non admodum perito de celeritate glorianti, ac tabula demonſtrata illam modo à ſe pictam iactanti, Apelles, reſpondit: *etiam te tacente res loquitur, ex tempore pictam.* Horatius

nonumq; prematur in annum.
Membranis intus poſitis delere licebit
Quod non edideris, neſcit vox miſſa reuerti.

Vbi ad exemplum Cinnæ videtur reſpexiſſe, qui poema quod Smyrnam inſcripſerat, totis 9. annis perpoliuerat, de quo Catullus.

Smyrna mei Cinnæ nonam poſt deniq; meſſem
Quam cœpta eſt, nonamq; edita poſt hyemem.

Hæc eò dicuntur, vt ſciamus nō eſſe feſtinandum. Opti-

Optimum verò emendandi genus aſſerit eſſe Fabius, ſi ſcripta in aliquod tempus reponantur, vt ad ea poſt interuallum, velut noua atque aliena redeamus: ne alioqui nobis tanquam recens editi fœtus blandiantur. Addit deinde, vt emendatio ipſa finem habeat. *Sunt enim qui ad omnia ſcripta tanquam vitioſa redeant, & quaſi nihil fas ſit rectum eſſe quod primum eſt, melius exiſtimant, quidquid eſt aliud, idque faciunt, quoties librum reſumpſerunt, & ſi millies ſua deſcribant, ſemper mutant aliquid. Protogenes pictor nobilis tam improbo fuit ſtudio, tamq; indefeſſa pingendi cura, vt Apelli par in omnibus eſſe potuerit, ſi manum de tabula aliquando tollere potuiſſet. Similes ſunt iſti medicis, ſeu chirurgis, ſanis partibus ſcalpellum adhibentibus, & integra ſecantibus atq; vrentibus. Hinc fit, vt eorum ſcripta cicatricoſa, exanguia ſint, & ipſa cura, nimiaq; diligentia peiora. Quare ſit tandem quod placeat, aut certè quod ſufficiat: vt opus poliat lima, non exterat.*

POETICARVM INSTITVTIONVM LIBER SECVNDVS.

DE EPOPOEIA.

QVID POTISSIMVM VELIT HOC nomen: item de verſu hexametro, & heroico: & quid ſit Epopœia.

CAPVT I.

Ἔπος valet verbum ſeu locutio, ποιεῖν facere ſeu fingere, & ἐποποιΐα, quæcunque ſiue ſoluta, ſiue ligata oratione expreſſa fictio. Ita erunt Epici, tum qui dialogos componunt, tum poetæ quilibet. Sed cum Epos propriè, magiſque poeticam locutionem, propter eius nobilitatem (verſum ſcilicet) quam aliam ſignificet (vt ποιεῖν quoque κατ' ἐξοχὴν vatibus tribuitur) rurſum ob grauitatem, ſtabilitatem, amplitudinem, excellentiam ad hexametrum carmen transfertur, dicitúrque hæc poeſis ἐποποιΐα, & huius compoſitores Epici. Plato ſanè & Ariſtoteles ἔπος vocant. Et Cic. ad Q. F. Quod me hortaris vt abſoluam, habeo abſolutum, ſuaue, mihi quidem vt videtur, ἔπος ad Cæſarem.

A maieſtate item, ſiue vt eſt apud Demetrium, *ὑπὸ μεγέθους, καὶ ὡς πρέπειν τοῖς ἥρωσιν*, ob magnitudinem,& quia heroum perſonis conueniat(quia nimirum eo actiones heroum commodiſsimè & optimè imitamur)heroicum appellatur.Ob id Horatius nominauit fortè epos,eo ſenſu, quo Perſius robuſtum carmen, & alius in epitaphio Tibulli de Virgilio: *Aut caneret forti regia bella pede*. Nam res geſtæ regúmque ducúmque, & triſtia bella ſubiiciuntur huic carmini. Hexametrum igitur ſemper appellare licebit:heroicum non ſemper:nempe ſi eo virorum fortium & inclytorum facinora non memorabuntur. Inter Græcos quidem Orpheus, Linus, Homerus ad hymnos deorum accommodarunt, qui cæleſtes habebantur heri, vt Catullus vocat, heroum ipſorum procreatores, quibus & nobilitatem dabant. Muſæus ad amores,infelices tamen atque tragicos, Leandri videlicet & Erus.Heſiodus,Nicander,Virgilius rei ruſticæ præceptiones eo complexi ſunt. Oppianus venatui & piſcatui: Aratus & Manilius aſtronomicis: Theocritus, Bion, & rurſum noſter Maro paſtoriciis luſionibus: Horatius, Perſius, Iuuenalis, & his maior natu Lucillius hominum vitiis inſectandis, & improbitate accuſanda verſus huiuſmodi celebrarunt, quæ ſatyræ dictæ. Poſſunt etiam epiſtolę hexametris conſcribi,exemplo Horatij,& epigrammata exemplo Martialis. Epithalamia,genethliaca frequentius hexametris conſtare videas. Porrò res & perſonæ de quibus ante dictum,hexametris maximè conueniunt: neque vſquam præterea tanta huius carminis maieſtas, di-

gnitas, ſuauitas, ſonus perſpicitur, quam cum eidem argumenta illa grauitatis, amplitudinis, admirationis plena committuntur, vbi res nouæ, excellentes, mirificæ, ſingulares finguntur: quales inprimis ſunt bellicæ: ſententiæ illuſtres interponũtur: verba delecta grauitate, ornatu, ſono, compoſitione, numero. Hic ingenti ac magnifico ſpiritu confiſus poeta tubam inflare videtur, quod volebat Alexander: qui aſsiduò Homeri poeſin voluens, & aliquid quotidie ediſcens, non ad citharã, ſed ad tubam ea carmina canenda dictitabat. Quã ob cauſſam Virgilius de bucolicis ſuis propter rerum verborumq́; humilitatem confiteri non erubuit, ſe gracili auena carmen eſſe modulatum.

Ex his facilè quid ſit Epopœia cognoſcemus. *Eſt poeſis carmine hexametro illuſtres illuſtrium actiones per narrationem imitans.* Oportet ipſam imitari actionem: alioqui poeſis minimè vocabitur: quæ, poeſis, inquam, abſque imitatione, non tam imperfecta, quam nulla eſt, vt ex primo libro planiſſimè diſci potuit. Quod autem inſignes & memorabiles actiones imitatur, hoc ipſo à comœdia diſtat, in qua ſunt, exprimunturq́; actiones humiles perſonarum ciuilium. Narratio eam à comœdia & tragœdia ſeparat: ſiquidem vtrobiq; aguntur res (quamobrem etiam dramata vocantur) non autem exponuntur. Carmine hexametro à reliquis generibus poeſeos diſtiguitur. Dramaticis enim fabulis iambus, quem Horatius alternis ſermonibus aptum eſſe dicit, aptior viſus eſt, quam hexametrum.

OBSER-

OBSERVANDA IN EPOPOEIA.

CAPVT II.

PRAECIPIVNT quidam Epico, nec inſcite, vti à rerum ſcriptoribus hiſtoriam, ſeu veteris alicuius & eximiæ rei memoriam hauriat: quandoquidẽ ipſa vetuſtatis commemoratio maiorem fabulæ fidẽ auctoritatemq́ parit. Maro aduentum Æneæ nauigationemq́ in Italiam nequaquam commẽtus eſt: ſed ab hiſtoricis petiuit. Nam & Liuius de eo, & ante Liuium alij memoriæ prodiderunt. Similiter argumenta tragœdiarum plerunq́ nota ſunt: quoniam regum facinora, & calamitates latere non queunt: cum contra comœdiarum argumenta neſciantur, quod humiles & ignobiles actiones habent ad imitandum propoſitas. Sumet igitur Epicus argumentum ab hiſtoricis: qui ſi variauerint, ſequetur quem voluerit. Veruntamen à fama & memoria publica non diſcedet. In quo Virgilius, qui Didonem fœminam caſtiſsimam, vt ex Iuſtino & aliis liquet, amore Æneæ hoſpitis furentem finxit, quæ aliquot ante ſæculis nota fuit, quam ille Italiam peteret, in reprehenſionem incurrit. Cæterùm quamuis hiſtoriam mutuetur Epicus, multa nihilominus ſuo iure fingit, variiſq́ rationibus hiſtoriæ faciem in poematis ſpeciem vultumq́ commutat. Quin etiam allegoria res inuertit: & cum ab hiſtorico res indiuiduas ſumpſerit, ad vniuerſale, vt in ſcholis loquũtur, tranſit, de quo infra pluribus, cum de diſcri-

mine narrationis hiſtoricæ & epicæ differemus. Ilias Homeri, magnanimi ac bellicoſi; Odyſſea prudentis, ciuilis ac togati hominis imago eſt. Æneis optimi & religioſiſsimi principis. Et cum idonea dicere vitæ propoſitum ſit poetis, quam aptè & iucundè id vterque præſtiterit, nihil opus eſt in præſens particulatim oſtẽdere. Iam hoc quoq; neceſſariò monendum eſt, vt fabula, id eſt actionum conformatio, & diſpoſitio, vna ſit, ſiue ſimplex, nõ multiformis. Licet enim in Epopœia plures actiones inſint, tamen ex omnibus, velut è pluribus membris vnùm corpus, vna fabula conſtituatur, & concinnetur neceſſe eſt: ne forte mõſtrum Horatianum naſcatur. Præterea dilatanda & amplificãda eſt Epopœia pluribus epiſodiis, ſiue digreſſionibus: quarum varietas leporem, ornatum, venuſtatemq; magnam generat.

DE PRINCIPIO EPOPOEIAE: poſtea de propoſitione.

CAPVT III.

DOCTORES eloquentiæ prudenter hoc in pręceptis ſuis poſuerunt, vt orationum exordia temperamentum quoddam dictionis habeant: vt cincinnis, fucis, & induſtria comparatis ornamentis careant, ne ſuſpicio meditationis oratori officiat. Principia, inquit Cicero, verecunda, non elatis intenſa verbis, ſed acuta ſententiis. Et alibi. *Exordium ſententiarum & grauitatis pluri-*

plurimum debet habere, & omnino omnia, quæ pertinent ad dignitatem, continere in ſe: propterea quod id optimè faciendum eſt, quod oratorem auditori maximè commendat. Splendoris, & feſtiuitatis, & concinnitudinis minimum: propterea quod ex his ſuſpicio quædam apparationis, & artificioſa diligentia naſcitur, quæ maximè orationi fidem, oratori adimit auctoritatem. Sic planè, quanquam heroicum poema ornatiſsimum, ac politiſsimum eſſe debeat, quod tamen ad ingreſſum, & principium eius attinet, rectè vult Horatius, illud non eſſe par ac ſimile reliquo contextui: ſed aliquanto ſiccius, demiſsius, ſimplicius: à quo omnis ingenij & doctrinæ oſtentatio, omnis granditas, nimius & exquiſitus abſit ornatus. Imitetur muſicum προαύλιον, quod nouimus exilius eſſe, minusq; clarum. Ne ſit anfractu longo circumducta oratio: neq; tralationibus audax: nihil magnificè promittat, neq; plus æquo comparatum quidquam appareat. Attentiſsime inhæret lector ipſi principio: in quo non licet nobis liberò curſu ferri, vt in progreſſu: quoniam animos velut captiuos nondum tenemus. Ergo Cyclicum poetam, circumforaneum quendam ſeu rhapſodum, qui morem habebat carmen ſuum in corona ad gloriolam aucupandam recitare, acriter reprehendit Horatius, quia ſic exorſus ſit.

Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum

Adiungit mox.

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?
Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.

Deinde Homerum prædicare inſiſtit. Is Odyſſeam longe ſedatiore initio prætexuit, ſeq; paulatim in ſublime ſuſtollens, magnificentius ingredi cœpit,

Quanto

Quanto rectiùs hic qui nil molitur ineptè?
Dic mihi Muſa virum captæ poſt tempora Troiæ,
Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes.
Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem
Cogitat, vt ſpecioſa dehinc miracula promat
Antiphatem Scyllamq́, & cum cyclope charybdim.

Porrò Lucanus & Papinius de tumidiore principio accuſantur. Lucani Pharſaliæ initium hoc eſt:

Bella per AEmathios pluſquam ciuilia campos,
Iusq́ datum ſceleri canimus, populumq́ potentem
In ſua victrici conuerſum viſcera dextra,
Cognataſq́ acies, & rupto fœdere regni
Certatum totis concuſſi viribus orbis
In commune nefas, infeſtiſq́ obuia ſignis
Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis.

Tam vaſta, ſonantia, tumida carmina, vt quidam dicere auſus ſit, Lucanum ſibi videri latrare. Exordium Achilleidos apud Statium.

Magnanimum AEaciden, formidatamq́ Tonanti
Progeniem, & patrio vetitam ſuccedere cælo
Diua refer.

Vbiq; maior quam par eſt ſonitus. Vocalis, a, ſextùm repetita in primo verſu. Tres continuæ voces tetraſyllabæ, quarum poſtrema videtur dimidiatum continere verſum. Et ſanè tam polyſyllabæ voces conglobatæ negotium faceſſunt pronuntianti. Quoniam autem tres partes numerantur epopœiæ, ſeu poematis heroici, Propoſitio, Inuocatio, Narratio, age de prima dicamus primùm.

Poetæ ſtudio habent auditores lectoréſue ſuos dociles reddere & attentos: quod conſequimur vt præcipiunt Rhetores, ſi ſummam cauſſæ breuiter exponamus: & ſi proponamus quibuſnam de rebus

rebus dicturi ſimus. Quamuis autem orator aliquando docilem facere auditorem non laboret, cum res aut nota iam, aut humilis, aut parua eſt, tamen qui magna, nondum cognita explicaturus eſt, vt poeta, nunquam non proponet.

Quoniam verò ipſa fabula ſimplex, & vna, quãtumuis ex pluribus actionibus cohærẽtibus compoſita eſſe debet, propoſitio res plures ac diuerſas recipere non poterit. Homerus & Virgilius cum proponunt, longiore quadam circuitione vtuntur: nec ille Vlyſſem, nec iſte Æneam nominat. Sic autem de illis loquuntur, vt facili negotio eos ipſos eſſe intelligatur. Quæ res cum magnoperè delectet, non mediocrem quoque attentionem conciliat. Fugienda in huiuſmodi circuitione omnis obſcuritas: ne ibi tenebras ingeramus, vbi lucem præbere debuimus. Admonent nonnulli, propoſitionem vt ſimplicem, ita breuẽ eſſe oportere. Non enim auditor ibi detinendus eſt verbis: qui, vbi rerum exitum & ſcopum didicit, ad narrationem feſtinat. Necq tamen ea verba decidenda ſunt, quę ſi ſubtrahantur, rem obſcurauerint. Adhæc poeta longius proponere non debet, quam res ipſa poſtulat. Tunc autẽ longior propoſitio videtur, cum ea proponit, quæ poſt exitum fabulæ eueniſſe creduntur. Ideocq illa apud Virgilium,

genus vnde latinum,
Albaniq; patres atq; alta mœnia Romæ,

extra deſcriptionem fabulæ ſunt, ad Auguſti populicq Romani aucupandam gratiam dicta. Nam res Albanorum & Romanorum non ſunt cõiunctæ cum fabula.

DE

DE INVOCATIONE.
CAPVT IV.

RE iam propoſita, diuinam opem implorare vates conſueuerunt. Meritò, noua enim plerunq; magna ſemper & admiranda canunt. Eſt autem ea in hominum mentibus impreſſa opinio, nihil arduum ac difficile ſine cæleſti afflatu poſſe perfici: proinde omnes quibus aliquod eſt cum religione commercium, ad auxilium diuinum, opus laborioſum aggreſſuri confugiunt. Quod ipſum poetæ dum faciunt, aliorum animos ad beneuolentiam alliciunt. Pietas enim eſt amabilis: vt omittam, quod inuocatione attentionem ſummam, admirationemq; commouent: perinde, ac ſi illa diuinitus efferâtur. Græci inuocationem, propoſitioni coniungunt, vt Homerus in vtroque opere.

μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληϊάδεω Ἀχιλῆος

ἄνδρα μοὶ ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλά.

Latini pleriq; omnes ſeorſum vtrunq; faciunt. Patet in Æneide, & Georgicis, ne alios in præſentia nominem. Quo tempore Imperatores quaſi diuiſum cum Ioue tenebant imperium, poetæ ipſos vt numina inuocabant: vt item aliquando illuſtres viros. Virgilius in Georg. Auguſtum, Ouidius in Faſtis Germanicũ Cæſarem, Lucanus Neronem, Flaccus Veſpaſianum, Statius Domitianum, Oppianus Antoninum. Quomodo porrò oratori datur poteſtas in ipſo orationis curſu, quoties locus requirit,

requirit, denuo captare beneuolentiam & attentionem renouare: ita fas & ius eſt poetæ, vel ob aliquam rei difficultatem exortam, vel ob grauitatem, & magnitudinem, vel nouitatem inuocationem iterare. Virgil. lib. 6. illa loca nulli viſa, & inaudita apud inferos deſcripturus,

Dij quibus imperium eſt animarũ, Vmbraq́; ſilentes, &c.

Iterum in 7.

Tu Vatem, tu Diua mone, dicam horrida bella.

In eodem, & in 10.

Pandite nunc Helicona Deæ, cantusq́; mouete.

Non ſolum initiis operum ſuorũ Muſas inuocant, inquit, Fabius, ſed prouecti quoq; longius, cum ad aliquem grauiorem venerint locum, repetunt vota, & velut noua precatione vtuntur. Nobis autem Chriſtianis (præſertim cum argumenta pia, ſacra, diuina ſuſcipimus) pulchrum eſt à Deo Opt. Max. ab eius filio Ieſu Chriſto, á ſacroſancto Spiritu, à matre domini, à reliquis immortalibus auxilium poſcere: quorum omnium fauor ſi noſtra ſtudia comitabitur, nihil verendum erit, ne illa parum feliciter procedant.

ORDO NARRATIONIS EPICAE.

CAPVT V.

PROPOSITIONEM inuocatio, inuocationẽ excipit narratio. Sed ante hanc eſt quãdo hiſtoricorum more cauſſas quaſdam, quamuis altè, & à prima origine enumeramus, quę ſimul ad ipſam expoſitionem quaſi viam muniant, eamq́; illu-

illuſtrent. Sic Virgilius curtantis in Æneam odiis baccharetur Iuno, cauſſas prius quinq; recenſuit, quàm ad narrationem aggrederetur. Sed iam de totius narrationis collocatione, vnde videlicet ordiẽdum ſit Epico diſputemus. Virg. noſter Homericarum perfectionum cupidiſsimus, opus nõ quidem ab euerſione vrbis Troiæ, verum à nauigatione è Sicilia verſus Italiam inchoauit. Turbulentiſsima autem tempeſtate iactatus, & ad Africæ littora tandem appulſus Æneas, ibiq́ue à Didone Carthaginenſium reginâ hoſpitio perhumaniter, ac perbenignè exceptus, ipſam Troiæ vaſtationẽ, itinera omnia à Troiæ littoribus in Siciliam vſq; terra mariq; confecta duobus libris, ſecundo, inquam, & tertio commemorat. Quamobrem, ſi ad rerum geſtarũ ordinem tempusq; reſpicimus, liber ſecundus erit primus, tertius ſecũdus, primus tertius: quia prius vtiq; capi, & ſolo æquari Troiam oportuit, quam Æneas diuerſa exilia, & deſertas terras quæreret, atque ab Italia reiectus, per Tyrrhenum pelagus in Africum littus exſcenderet. Homerus in Odyſſea poſt deletum funditus Ilium Vlyſſem in inſula Ogygia, apud Calypſonem Atlantis filiam conſtituit. Deinde per grauiſſima pericula ad Alcinoum Phæacum regem in Corcyram inſulam deducit. Ibi (ſicut Æneas Carthagini apud Didonem inter epulas) ſuos errores, pugnas, & caſus antegreſſos lib. 9. & reliquis tribus vſq; ad 13. exponit. Videtur itaq; Virgilij ſaltem & Homeri exemplo vel à poſtremis, vel à mediis ducendum narrationis principium, ſecus quam hiſtorici ſolent, qui à primis initiis, & cauſsis narra-

tionem

tionem ordiuntur, & rerum tantummodo ordinem, ac ſeriem temporum intuentur: quos cum imitatus ſit in Metamorphoſi Ouidius, potius inter hiſtoricos fabuloſos, quam inter poetas epicos à quibuſdam habetur. Quod ſi qui vitam alicuius carmine perſequuntur, ab ortu eius ducant initiū, illi quoq; hac in parte magis erunt hiſtorici, quam poetæ. Hoc illis verſibꝰ pręcepiſſe Horatium eruditi contendunt.

Ordinis hæc virtus erit & Venus, aut ego fallor,
Vt iam nunc dicat, iam nunc debentia dici:
Pleraq; differat, & præſens in tempus omittat.

Volunt etiam (iam nunc debentia dici) eſſe media, vel poſtrema: (pleraque) eſſe antecedentia, quæ omitti debent præſens in tempus, hoc eſt, in ipſo ingreſſu narrationis, vel inaliud tempus, quod commodius illis narrandis cenſebitur. Reprehenditur Apollinius, qui in hūc ordinem neglexerit in Argonauticis. *Poeta igitur non vndelibet, & gemino ab ouo, ſed à re aliqua illuſtri faciet initium, rerumq; nouitate & epiſodiis auditoris animum quaſi captiuum ad finem vſque perducet. Antecedentia verò, & media (ſi ab vltimis ceperit) opportunè intermiſcebit. Sicut Tragici & comici non ea omnia quæ argumento commemorant, per agentes perſonas imitātur: verum inde agentes faciunt, vnde res ad certam temporis legem venire poteſt: quæ verò antecedunt, ea explicant in prologo. Id eſt in prima parte fabulæ, in qua res præteritæ ab actore aliquo edicuntur Quod in actu primo maximè fit, vt ſpectator ex præteritarum rerum commemoratione intelligat, quæ aguntur.* Hæc ad iſtum modum Viperanus.

EPICAE, ET HISTORICAE NARrationis cognatio, atq; diuerſitas.

CAPVT VI.

POETIS cum hiſtoriarum ſcriptoribus, quemadmodum in multis conuenire, ſic viciſsim in multis non conuenire animaduertas licet, ſi attentius ambas facultates inter ſe compoſueris. De harum igitur ſimilitudine, & differētia in narrationibus, quantum ſatis erit explicemus. Rem geſtam & veram ad exponendum ſumit etiam Epicus, vt Hiſtoricus, quamuis ſuo eam more, & libertate tractet. Non omnia de Ænea finxit Maro, legerat aliquid, ſicut de illo, ita de expugnatione Ilij apud hiſtoricos. Vterq; proponit quod eſt narraturus: perinde vt orator id de quo eſt dicturus. Amant hiſtorici neſcio quomodo verba poetica. Xenophontis ſunt iſta, ἀναΐξας, γεραίρω, γαμένη, δυσμένεσσι, ἐκπαγλότατος, ὅπλοις, παμφάης, τεχνάζω, & alia complura, cum Thucydide & Herodoto illi communia. Alluſit nonnunquā ad Homeri locos, & locutiones quaſdā ab eo mutuatus eſt. Nec poeticis vocabulis caret Liuius. Eius enim leguntur hæc. *Is AEneam Syluium creat, loco herbido, mater veridica, magiſter regij pecoris* (vt Virgilius, Pan curat oues ouiumq; magiſtros) *inter tela volantia.* Quin & dimidiatos, & plenos verſus apud hunc & Salluſtium inuenire eſt. *Facturus ne operapretium ſim. Etſi in tanta ſcriptorum turba mea fama. Docet, vanam ſine viribus iram. Spurius Tarpeius Roma praerat arci,* ſi longum ſit,

ſit, præ, & ſi in Spurius more antiquo abſorbeatur s. Hæc omnia ex primo libro Liuij, qui ſolutum quodammodo poema videtur ſcribere. Salluſtius ab hexametro cæpit. *Bellum ſcripturus ſum quod populus Romanus.* ἀσυνδετίζει. Fideliter ambo, poeta videlicet & hiſtoricus, locos, ritus, mores, gentes deſcribunt. Africam Salluſtius: quod vt melius faceret, dicitur eam obiuiſſe: vt Homerus illa loca Græciæ, de quibus in ſecundo Iliados. Galliam deſcribit Cæſar, Carthaginem Virgilius, & Italiam in 2. Georg. In 3. Æneid. ritum placandi manes, in 6. rationem ſepulturæ. Liuius in 1. docet quo pacto ferirentur fœdera, quibus cæremoniis indiceretur bellum. Apud Herodianum ἀποθέωσιν Imperatorum legas. Atq; hac in parte poetis vehementer proſunt hiſtorici. Res à capite, & vltima origine hiſtorici repetunt, propter clariorem rerũ videlicet propoſitarum explicationem. Liuius: *Iam primum omnium ſatis conſtat, Troia capta in cæteros ſæuitum eſſe Troianos, & quæ ſequuntur. Salluſtius in Catilin. Vrbem Romam, ſicuti ego accepi, condidere atque initio habuere Troiani* Dido in 1.

> *Tune ille Æneas, quem Dardanio Anchiſæ*
> *Alma Venus genuit Phrygij Simoentis ad vndam?*
> *Atq; equidem Teucrum memini Sidona venire*
> *Finibus expulſum patriis, &c.*

Conuenit ambobus item in eo, quod cauſſas rerum ante narrationem exponunt. Hoc egit Liuius in bello Punico lib. 21. & Virgilius, vt oſtendi capite antegreſſo, ab illo ſcilicet verſu, *Vrbs antiqua,* ad illum, *His accenſa ſuper.* Plane hiſtorice ibi ſe geſsit, etiamſi cauſſæ illæ fictæ ſint omnes. Quærit etiam

cauſſas diſsidij inter Agamemnonem, & Achillem Homerus 1. Iliad. initio. Ac de cognatione quidẽ hucuſq; : nunc de diuerſitate.

Ariſtoteles luculentum diſcrimẽ his verbis tradidit. φανερὸν δὲ ἐκ τῶν εἰρημένων, καὶ ὅτι οὐ τὸ τὰ γινόμενα λέγειν, τοῦτο ποιητοῦ ἔργον ἐστὶν, ἀλλ' οἷα ἂν γένοιτο, καὶ τὰ δυνατὰ κατά τὸ εἰκὸς, ἢ τὸ ἀναγκαῖον. *Perſpicuum eſt autem ex ſupra dictis, poetæ munus & officium non eſſe, ea quæ facta ſunt exponere, ſed qualia fieri potuiſſent, & ea quæ eſſe poſſunt ſecundùm verisimile, vel neceſſarium.* Quem locum ſic interpretari licet. Aut verã actionem explicandam ſumit poeta, aut ipſe totam fingit. Si veram ſumit, non ſic omnino narrabit, vt res contigit, nam hæ partes hiſtoricorum ſunt: ſed vt geri potuit. Quod ſi cõfingit, illa erit δυνατὴ, aut ſecundum probabile, aut ſecundum neceſſarium: poſsibile enim dialecticis eſt, quod fieri poteſt, ſiue poſsit etiam non fieri, ſiue non poſsit non fieri. Pergit Ariſtoteles ὁ γὰρ ἱστορικὸς καὶ ὁ ποιητὴς οὐ τῷ ἢ ἐμμέτρως λέγειν, ἢ ἄμετρα διαφέρουσιν, &c. *Hiſtoricus & poeta non eo diſtant, quod aut metris adhibitis, aut ſine metris dicunt: liceret enim Herodoti ſcripta in metra conuertere, & nihilominus tamen hiſtoria quædam eſſet cum metro, quam ſine metro. Verùm hoc diſcrepant: ille dicit ea quæ facta ſunt, hic autem qualia fieri debuerint. Quo fit vt philoſophicum magis, & præſtantius quiddam ſit poeſis, quam hiſtoria. Poeſis enim potius quæ vniuersè, hiſtoria quæ ſigillatim fiunt, docit. Eſt autem vniuerſum quidem, quali homini, qualia cõueniat dicere aut facere: ſingulare autem, quod Alcibiades fecit, aut paſſus ſit.* Ergo poetæ, licet Achillem iracũdia furentem, Vlyſſem diſertum ac prudentem, Æneam pium deſcribant, & de perſonis definitis videan-

videantur loqui, tamē in homine vno, in vnà perſona genus ipſum, rem vniuerſam, τὸ καθ' ὅλου ante oculos cōſtituunt, ſapientiſsimeq́ in primo naturam iracundi, quidq́ ille dicat & faciat, in altero prudentis, in tertio pij oſtendunt: atq; vt ante dictum eſt, res geſtas Æneæ, Vlyſsis, Achillis non ſic narrant, vt ab illis geſtæ ſunt: ſed vt ab illis ſecundùm perſonā ipſorum geri aut potuerunt, aut debuerūt. Vides, opinor, quam rectè Ariſtoteles pronuntiauerit, poeſin eſſe φιλοσοφώτερον: philoſophia namque τὰ καθ' ὅλου vniuerſalia intuetur, quid & qualis nempe ſit homo, equus, corpus, motus: non quid aut qualis Socrates, Bucephalus, quid meum, tuum, aut hoc corpus, aut hic motus: indiuidua enim, vt vocant Dialectici, ſub ſcientiā non cadunt, quia fluxa, mutabilia, interitui obnoxia ſunt. Et poetæ quidem hoc vniuerſum in ſingularibus definitisq́ perſonis exprimunt ac repræſentant, vt Virgilius in Ænea magnanimum ac religioſum principem. Hoc philoſophi non ſolent: definitionibus enim, præceptis, ac diſputatione cōtenti, exempla non requirunt. Petunt quidem argumenta aliundè plerunq; vates: verùm rebus aliam formā faciemq́ inducunt, vt ſupra paucis diximus: addendo nimirum, demendo, transferendo, ordine permutando. Res ſingulares ac certas mutuantur ſane ab hiſtoricis, verū ab indiuiduis ad ipſas formas, & genera ſe conuertunt. Quocirca ſicut vniuerſæ & communis rerum naturæ ſcientia melior eſt, quam rerum ſingularium cognitio: ita, conuenienter doctrinæ Ariſtotelis, poeſis melior eſt hiſtoria. Sed iam alias differētias inueſtigemus. Præ-

cipit Horatius, vt perſona talis ſeruetur ad extremum, qualis fuit ab initio: vt ſibi conſtet, vt nihil pugnans, nihil cõtra decorum committatur. Huic præcepto hiſtoricus parere non poteſt, qui diuerſa diuerſis locis, temporibus, hominibus geſta exponit, quę in Africa, quę in Italia, quæ in Macedonia, his, illis coſſ. à Scipione, à Catone, à Pompeio, &c. eiuſdem etiam hominis inter ſe contraria ſtudia virtutesq́ & vitia narrans, Liuius Annibalis, Salluſtius Catilinæ. Hoc poeta, qui vnam aliquam actionem explicandam ſumit, nunquam fecerit. Maxima porrò libertas in omni genere concinnitatis, leporis, elegantiæ conceſſa eſt poëtis. Oratorum, hiſtoricorumq́ oratio in modum matronæ grauis compta & ornata incedit, pigmenta, calamiſtros, blanditias non magni pendit.

PRAECEPTA NARRAtionis Epicæ.

CAPVT VII.

VNDE narrandi principium Epicus poeta duceret, ſupra traditum eſt: ab aliquo ſcilicet loco illuſtri, quamuis id principium rei non fuerit. Non enim rerum geſtarum, ſed fictæ cuiuſdam actionis explicatio eſt narratio epica. A re aliqua præſtanti, inquã, quæ in tota fabula multum emineat, etiamſi illa aut media, aut extrema ſit. Et quemadmodum inſigne debet eſſe initium, ſic etiã finis ſiue exitus erit memorabilis: id quod

in

in vtroque poeta, Homero & Virgilio cernimus. Tres autē ſunt virtutes narrationis, breuitas, perſpicuitas, probabilitas. Secundam & tertiam diligentiſsimè conſectabitur Epicus, earumq́ rationem à Rhetoricæ magiſtris percipiet. Primam magnopere non curabit: nihil enim præter narrationem habet, nullam confirmationem, nullum epilogum. Et hæc narratio ad legentis, ſeu ad vitæ humanæ vtilitatē, non ſine magna voluptate conferri debet. Ergo amplificationes, omneſq́ue dicendi veneres deſiderat: nec poteſt neceſſariis tātum, & quadam verborum parſimonia definiri. Nihilominus quandoq́ in epopœiam cadit breuitas: ſiquidem res ipſa interdum paucisſimis verbis, & verſiculis explicari vult. Vbi ſumma cautio eſt, ne dum breuis eſſe contendit poeta, obſcurus fiat. Illa quoque breuitatis lex nunquàm non obſeruanda erit: vt neq́ nimis altè, quaſi ab ouo rem repetamus, neq́ vltra quam oportet producamus: quod Virgilio accidiſſet, ſi, vt nonnulli perperam opinantur eum voluiſſe, res Albanas atque Romanas etiam fuiſſet perſecutus: quæ profectò ſunt extra fabulam, & vnam illam actionem Æneæ, quam imitandam ſuſceperat. Vitanda igitur obſcuritas, non in breuitate ſolum: ſed aliàs ſemper, & quàm clariſsimè omnia explicanda. Quò pertinet, ne fabulis inſerendis luxuriemus, raræ ſint, nec ita abſtruſæ, vt mediocriter eruditis multum negotij faceſſant. Ne magnam antiquitatis cognitionem oſtentemus; nec frequenter ad hiſtorias veteres, aut dicta egregia ſapientum alludamus: nā vt iſta opportunè ſi facias, vehementer placent:

ſic ipſa frequentia diſplicent, & tenebras gignunt. Fugienda etiam ſunt verba priſca, obſoleta. Interim antiquum verbum habere dignitatem non negauerim: & Virgil. quædam priſca rectè intexuit. Fugiendæ crebræ, & longiuſculæ parentheſes, hyperbata, & quidquid perſpicuitati poteſt officere. Quam porrò neceſſarium ſit, narrare veriſimiliter, quis ignorat? ſiquidem Poetæ officium eſt, non tam quæ facta ſunt, quam quæ fieri potuerunt, exponere. Si igitur narratio illius vera non eſt, nihil peccauit: ſi non eſt veriſimilis, hoc eſt, ſi malè imitatur, ſi dicit ea, quæ fieri non poſſunt, nomen ſuum amittit. His tribus virtutibus adiungit Cicero in Partit. ſuauitatem. Hanc autem eſſe affirmat, quæ habet admirationes, exſpectationes, exitus inopinatos, interpoſitos motus animorum, colloquia perſonarum, dolores, iracundias, metus, lætitias, cupiditates. Hæc non minus epopœiæ, quam duæ reliquæ neceſſaria eſt, & narrationem maximè illuſtrat, ſummamque poetæ opinionem parit. Iſta verò omnia qualia ſint, Æneis docebit. Mirificus etiam ſuauitatis artifex Homerus eſt. Ornanda præterea, & varianda erit narratio epiſodiis, & aſpergenda rerum futurarum ſemina, interimque in præſentibus iucundè morandus auditor. Adhibenda rerum, verborum multa viciſsitudo varietasque: grauiter omnia dicenda, non tumidè, non comparatè. Videndum ne prima mediis, vltima primis diſsideant: & quæ deſperamus tractata niteſcere poſſe, illa relinquenda ſunt.

Potuiſſem ex Horatio,& aliis noſtrę ætatis ſcriptoribus non paulò plura præcepta congerere:ſed verebar, ne eſſet ineptum negotium, ſpectare id, vt nihil omittas potius, quam vt potiora doceas. Feciſſem præterea nimis longum. Et ſciebam multa hoc libro partim dicta,partim dicenda,quæ ab iſto loco minimè abhorrerent. Nam quomodo heroica poeſis, quæ eſt omnium regina, multa aliis poeſibus largitur: ſic rurſum ipſa ab illis aliqua ſumit: vel potius cum aliis quædam habet communia. Itaque pauca, & vt arbitror, præcipua hic poſui: reliqua, præſertim poetarum, & ante omnes Homeri,& Virgilij lectione diſcentur. In quibus poetis qui fuerit exercitatus, & noſtra quæcunque de epopœia diximus rectius intelliget, &, ſi volet, multa illis adiunget

LEGES ALIQVOT AD HEXAmetri elegantiam.

CAPVT VIII.

PRIMA eſto. Elegantiſsimi cenſentur hexametri, qui numeris ſiue pedibus ipſarum rerum actionumqúe celeritati, tarditati, difficultati: grauitati, amplitudini argumentorum, ac perſonarum reſpondēt, & rem ipſam oculis quodammodo aſpectandam ſubiiciunt:qua de re cap. ſequenti copioſius. Tales exempli cauſſa ſunt hi, celeres quidem Aeneid.5.

Inde vbi clara dedit ſonitum tuba, finibus omnes
Haud mora proſiluêre ſuis, ferit æthera clamor
Nauticus, adductis ſpumant freta verſa lacertis.

Tibullus.

Namq; agor vt per plana citus ſola verbere turbo.

Viden' crebritatem dactylorum? nunc tardos & σπονδαΐζοντας proferamus. De cyclopibus fulmina Ioui fabricantibus.

Illi inter ſeſe multa ui brachia iactant.
Luctantes ventos tempeſtatesq; ſonoras.
Olli ſedato reſpondit corde Latinus.

In his verſibus regnare ſpondeum cernis, & vnicum dactylum adhiberi, qui prætermitti non potuit. Hic de ſpondaico verſu dicemus aliquid.

II. Spondaicum vocant, in quo quinto loco, quæ dactyli propria ſedes eſt, collocatur ſpondeus: quod variis de cauſsis fieri conſueuit. Propter emphaſim, propter auctoritatem, dignitatem, maieſtatem: item propter affectus magnitudinem exprimendam: nec non ad rem inopinatam, & magnam ſignificandam, quæ ex appoſitis exemplis facilè cognoſci poterunt.

Tun' ille AEneas, quem Dardanio Anchiſæ.
Conſtitit atq; oculis Phrygia agmina circumſpexit.
Cum ſociis, natoq;, penatibus, & magnis Diis.
Chara deûm ſoboles, magnum Iouis incrementum.

Catullus.

Aequorea monſtrum Nereides admirantes.

Propert.

Sunt apud infernos tot millia formoſarum.

Inculcant illud præceptores carminum, vt ſi quinta regione ſpondeum collocare ob antedictas cauſſas velimus, quarto loco ponatur dactylus, alio-

alioqui verſum inſuauiorem futurum: quales ſunt iſti:

Aut leues ocreas lento ducunt argento.
Saxa per & ſcopulos, & depreſſas conualles.

Huiuſmodi & alia, de quibus paulò poſt diſſeretur, præſtabit obſeruare in Virg. quam annominationes, alliterationes, alphaciſmos, cappaciſmos, deltaciſmos, ſigmatiſmos, & his germana, q̃ ille nec per ſomnium cogitauit.

III. Non aſpernandum præterea, immo inſigne huius carminis ornamentum creditur, quoties ſententia ſuſpenditur, nec niſi poſt quartum, ſextum, ſeptimum, octauum quandoq; verſum completur. Exempla ſub manu ſunt.

Ille ego qui quondam gracili modulatus auena
Carmen, & egreſſus ſyluis, vicina coegi,
Vt quamuis auido parerent arua colono:

& ſequentes quinque his proximè annexi. Item 3. Æneid. habes ſeptem verſus, quaſi quandam catenam efficientes, cum vnus ab altero, ſequens ab antecedente, & ille ab hoc pendeat: ob quam cauſſam præter alias, hoc carminis genus ἔπος appellatum putatur.

Poſtquam res Aſiæ Priamiq; euertere gentem
Immeritam viſum ſuperis, ceciditq; ſuperbum
Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troia
Diuerſa exilia, & diuerſas quærere terras
Auguriis agimur Diuûm: claſſemq; ſub ipſa
Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Ida,
Incerti quò fata ferant, vbi ſiſtere detur.

IV. Non caret res venuſtate, cum vnico verſu ſententia tota perficitur.

Durate, & voſmet rebus ſeruate ſecundis.

Heu nihil inuitis fas quenquam fidere diuis.
Tantum aui longinqua valet mutare vetuſtas.

V. Illud etiam haud indecorum cenſeo, quoties dactyli & ſpondei alternis ponuntur.

Obſtupuit, retroq; pedem cum voce repreſſit.
Multa viri virtus animo, multuſq; recurſat
Gentis honos.

VI. Docent inſuper, feſtiuum atq; elegans videri carmen, quod initium capit à ſpondeo, qui partē orationis nō abſoluat, ſeu qui non eſt integra vox, cui deinde adhæreant duo dactyli.

Deſertoſq; videre locos, littuſq; relictum.
Defeciſſe videt, ſua nunc promiſſa repoſci.

VII. Item ſi planè nullus pes complectatur integrum vocabulum.

Iuſtitiaq; dedit gentes frænare ſuperbas.
Infandum regina iubes renouare dolorem.
Infelix Priamus furtim mandârat alendum

Tibullus.

Intonſi crines longa ceruice fluebant.

VIII. Afferunt non mediocrem delectationem etiam illa.

ſequitur pulcherrimus Aſtur,
Aſtur equo fidens.
Ad cælum tendens ardentia lumina fruſtra,
Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.
Tu mihi quodcunq; hoc regni, tu ſceptra Iouemq;
Concilias, tu das epulis accumbere diuûm.

Verùm de his commodius, qui de figuris ſcripſerunt.

VER-

VERSVS CVM RERVM NATVra numero, verbis, & ſono congruere oportere.

CAPVT IX.

BONORVM & præſtantium poetarum cura tribus potiſsimùm in rebus elucere conſueuit. Dant inprimis operam, vt verſus, non quidem legitimos pedes habeant, & vocibus condantur latinis, vſitatis ac propriis, non barbaris, obſoletis, aliunde accerſitis: hoc enim totum ad tyrocinium, & primas exercitationes primáque præcepta pertinet: ſed vt rei ſubiectæ, ſeu læta ſeu triſtis, ſeu blanda ſeu atrox, ſeu tarda ſeu celeris, ſeu grauis ſeu leuis illa fuerit, temperamento numerorum, verbis ipſis, atque ſono penitus quadrent, eamqúe imitentur. Optimi autem iudicantur, in quibus hęc tria copulata reperiuntur: quod ſæpe fit, vbi perfectum eſt aurium iudicium, & bene ſcribendi conſuetudo optimam naturam confirmauit. Quid igitur illo verſu Maronis numeroſius, ſonantius, verbis aptius:

Quadrupedante putrem ſonitu quatit vngula campum.

Et 1. Georg. pereleganter grandinis ſalientis crepitus exprimitur.

Tam multa in tectis crepitans ſalit horrida grando.

Tales non paucos in hoc poetarum Platone inuenias. Sed iuuat de ſingulis ſeorſim agere, ac primùm de numero,

Numerus alius celerior, alius tardior, alius ex

vtroque

vtroque miſtus & conflatus eſt. Celeritas quidem ex iis naſcitur pedibus, quorum aut omnes, aut plures, aut priores ſyllabæ breues ſunt, vt ex trochæis (ſic enim cum Cicerone trybrachim appello, à curſu) ex dactylis, ex anapæſtis, ex iambis. Tarditas ex his, quorum aut omnes, aut plures, aut priores longæ: vt ex moloſsis, creticis, choreis. Mixtum numerum procreant pedes vtriuſq; generis confuſi. Accuratè igitur natura, & vultus rerum ſpectari debet, atq; in vnaquaque forma carminis ad eum velut in tabula referēdum, accommodari pedum diſpoſitio. In primo Æneid. Poſtquam Iuno Æolum ventos & tempeſtatem popoſcit, depingitur illorum eruptio velociſsima, ſigno ab Rege dato, idqúe numeris rapidiſsimis.

Hæc vbi dicta, cauum conuerſa cuſpide montem
Impulit in latus, ac venti velut agmine facto
Quà data porta ruunt, & terras turbine perflant.
Incubuêre mari, totumq; à ſedibus imis
Vnà Eurusq; Notusq; ruunt, creberq; procellis
Africus.

Dehinc duobus verbis fluctuum vaſtitas, ventorumqúe in iiſdem concitandis, & conuoluendis quaſi nixus, & molimen diuinitus exprimitur.

& vaſtos voluunt ad littora fluctus.

In 2. aggrediuntur Troiani turrim cælo eductam demoliri. Perpendamus quam mirifica celeritate verborum celerem eius prolapſum Maro demonſtrarit.

conuellimus altis
Sedibus, impulimusq;, ea lapſa repente ruinam
Cum ſonitu trahit, & Danaûm ſuper agmina late
Incidit.

Quid incitatius? quid volubilius fieri poterat? Iratorum ſermo eſt præceps, & frequentius interruptus propter impetus vehementiam, quę hoc ipſo quod nimium vrget, linguam remoratur. Sic igitur Dido ad ſuos Cartaginenſes, iam altum tenente Ænea, quem vt apud ſe maneret, nullis precibus miſera mulier emollire quiuerat.

Ferte citi flammas, date vela, impellite remos.

Similis trepidorum eſt oratio. Caicus cum Rutulorum exercitum Turno ductore aduentantem à tumulo proſpicit.

Quis globus ô ciues caligine voluitur atra?
Ferte citi ferrum, date tela, ſcandite muros,
Hoſtis adeſt:

Sic cum nocte ruere pariter videtur ille,

Vertitur interea cælum, & ruit Oceano nox.

Et ille vnà cum boue,

Sternitur, exanimiſq; tremens procumbit humi bos.

Remigantium nautarumq; labores, tardioribus numeris æmulatus eſt in 3.

Adnixi torquent ſpumas, & cærula verrunt.

Et idem.

Cornua velatarum obuertimus antennarum.

Ille verſus de Polyphemo eſt ſane horrendus,

Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.

Mezentium vide quomodo conſiſtere faciat hoc carmine.

Hoſtem magnanimum opperiens, & mole ſua ſtat.

Porrò de Latino ſene, qui furentem audacia & iracundia Turnum iuuenem placare conatur.

Olli ſedato reſpondit corde Latinus.

Sonus

Sonus quoq; non oſcitanter eſt quęrendus, & pro rerũ occaſione variandus, vt ſit in magnis & grandibus grandis; in tenuibus exilis, in hilarib⁹ lętus, in triſtibus mœſtus, in atrocibus aſper, in quietis ſedatus.

Et quia ſonus ex verbis gignitur, conquirenda verba, ac in promptu habenda ſunt verba conſonantiora, ſciendumq; non minus verborum delectum eſſe originem præſtabilis & feſtiui poematis, quam eloquentiæ. Verùm ex Rhetorum præceptis verborum diſcrimina cognoſcentur: ſatis eſt monuiſſe. Egregiè ſonantes verſus legimus Georg. 1. inter prognoſtica videlicet tempeſtatis.

Continuò ventis ſurgentibus aut freta ponti
Incipiunt agitata tumeſcere, & aridus altis
Montibus audiri fragor: aut reſonantia longè
Littora miſceri, & nemorum increbeſcere murmur.

Eſt & hic locus inſignis ex 1. Æneid.

Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum clauſtra fremunt.

Conſonantes l, r, vocales a, o, u, ſonum creant, vt in 7.

Vt pelagi rupes magno veniente fragore,
Quæ ſeſe multis circumlatrantibus vndis
Mole tenet, ſcopuli nequicquam, & ſpumea circum
Saxa fremunt, lateriq; illiſa refunditur alga.

Immo initium Aeneidos exemplum illuſtre ſuppeditat ſoni reſpondentis rebus: in quo verba ipſa, horrentia Martis, virum, horrido ipſo ſono aſpera bella indicant, rerumq; dicendarum & grauitatem & magnitudinem, vt ſuperiores, Ille ego, &c. leuitatem & tenuitatem vitæ paſtoritiæ.

Niſus

Niſus chariſsimum ſibi Euryalum hoſtium corona cinctum, & in medio verſantem turbine lethi, vt ait Catullus, aſpiciens inquit.

Me me adſum qui feci, in me conuertite ferrum.

Mollis eſt verſiculus propter vocalem e, ſoni tenuioris. Denique ne longus ſim, poteſt in his tribus multùm natura, vnumq́ cum altero ferè implicitum eſt, ſeſeq́ mutuo efficiunt: & cum vnum quæritur, inueniuntur omnia. Teneamus igitur hoc, rerum diuerſitati verſuum diſsimilitudinem, quaſi alio alioq́ vultu reſpondere oportere.

DE CAVENDIS QVIBVSdam vitiis.

CAPVT X.

MEA ſententia nullum vitium æquè abſurdum atque ridiculum eſt, quam cum cæſuræ, quæ pentemimeris vocatur, & ſyllabæ eam antegredienti reſpondent duæ vltimę ſyllabæ verſus: hoc eſt, cum in fine, & exitu carminis iterantur eædem ſyllabæ, quæ prius dimidiatum verſum abſoluebāt, Leoninos vocant. Hos etiam vulgò Germani, ne dum eruditi, contemnunt & exſibilant: qui tamen ſuperiorum ſæculorum memoria tantopere probabantur, vt nihil propemodum, niſi hoc modo ſcriptum, elegans ornatumq́ putaretur. Non damnauerim, quæ in illis poematis interdum elucet pietatem, vitæq́ ac morum innocentiam: ſed oſtendo peccatum in ſcribendo, &

quod mei muneris eſt, adoleſcentibus caueo. Quã multa τῷ πεζῷ λόγῳ ſancte, & tamẽ ſordide ac nullo artificio ſcripta legimus? nec ſequitur, vt ſi rem veneremur & comprobemus, à ſermonis genere abhorrere non debeamus. Exempla ſunt obuia. Ouidio quidem nobili poetæ Leonini per imprudentiam exciderunt. In oratione Vlyſsis, quæ tanquam pulcherrima & ingenioſiſsima commẽdatur ab eruditis.

Si Troiæ fatis aliquid reſtare putatis.

Et in epiſtola Hermiones ad Oreſtem.

Vir precor vxori, frater ſuccurre ſorori.

Quod magis mirandum eſt, in Virgilio inuenti ſunt nonnulli, qualis eſt hic.

Ora citatorum dextra contorſit equorum.

Nec apud Homerum deſunt.

ἔσπετε νῦν μοὶ μοῦσαι ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι.

Quò intelligas, tam procliuem eſſe lapſum in hãc culpam, vt ipſam ne diligentiſsimus quidem poeta, Virgilius inquam, omnino potuerit effugere. In pentametro ſeu elegiaco nihilominus tales deliciæ affectabantur. Exemplum perlepidum ſubiiciam, in quo verbum Phariſæa expones, ſeparata, ſeiuncta.

In cratere meo Thetys eſt coniuncta Lyæo:
Eſt Dea iuncta Deo, ſed Dea maior eo.
Nil valet hic vel ea, niſi ſint ambo Phariſæa.
Amodo propterea ſit Deus abſque Dea.

Item.

Singula poſt oua, pocula ſume noua.

Ad eundem lapidem Naſo offendit, 3. Faſt.

Quærebant flauos per nemus omne fauos.

Malè definit hexameter in tetraſyllabam, aut pentaſyllabam vocem, quarum vtraque feſtiua, ac decora eſt in pentametro, contra quam ſuperſtitioſi quidam garriunt. Exempla huius vitij reperiuntur ſanè in bonis poetis, verum rariſsima: at in illis verſibus Leoninis longè frequētiſsima, in quibus etiam in ipſa ſyllabarum dimenſione ſæpiſsimè peccatur. Apud Horatium (mirum dictu) inuentus eſt, qui terminaretur verbo ſyllabarum ſex.

Quiſquis luxuria triſtiue ſuperſtitione.

Deformitatem parit, cum ad finem continenter tres diſsyllabæ voces ponuntur: qua culpa non vacat Tibullus.

Semper vt inducar blandos offers mihi vultus.

Immo hic verſus habet quatuor diſsyllabas continenter.

Vitanda eſt item eiuſdem literæ crebra iteratio. Notum Ennij carmen.

O Tute tute Tati tibi tyranne tuliſti.

HEXAMETRVM NON PESSImè tum in participium, tum in monoſyllabam deſinere.

CAPVT XI.

SERVIVS Honoratus non vulgari eruditione literator, & interpres extra cōtrouerſiam nobilis, 3. Æneid. ſuper illo,

Progredior portu, claſſes & littora linquens,

finitus eſt, inquit, verſus participio, quod rarò fit apud Latinos, apud Græcos verò vitioſiſsimum eſt. Hoc à Seruio parùm cogitatè dictum notarunt docti. Nam ſi quis de Latinis vnicum Virgilium, de Græcis vnicum Homerum conſuluerit, adeo multis exemplis huius aſſertionis falſitatem deprehẽdet, vt miretur, quomodo id homini doctiſsimo, & poetis legendis exercitato in mentem vnquam venerit. Iam verò κακόφατον iudicari quo pacto poterit, quæſo te, quod duo omnium poetarum, non horum modo, ſed quot aut fuerunt, aut poſthac aliis erunt in annis præſtantiſsimi toties factitarunt? Ne autem ἀμαρτύρως fidem nobis accommodari velle credamur, ecce tibi ex Virgilio participia in ans (de quibus potiſsimum locutus eſt Seruius) quæ verſum finiunt, & quidem pauciſsima de plurimis.

Florentes ferulas & grandia lilia quaſſans.
Vilibus aut onerat pomis, lapidemq́ reuertens.
Hi ſummo in fluctu pendent, his vnda dehiſcens.

Ex Homero vnum atque alterum teſtimonium producamus Iliad. γ. δ.

ἄυταρ ὁ ἀψ ἐπόρουσε κατακτάμεναι μενεαίνων.
ζεὺς δέ σφιν κρονίδης, ὑψίζυγος, ἄιθερι ναίων
ὄν, τοῦ οἵ στεύσας ἔβαλεν τόξων ἐυ εἰδώς.

Cæteros caſus participiorum vtriuſque numeri, qui ambobus poetis multò vſitatiſsimi ſunt, miſſos facio.

Idem porrò Grammaticus ad illum verſum Æneid. 8.

Procubuit, viridiq́ in littore conſpicitur ſus,

vſum

vſum monoſyllabi verbi in fine carminis nobis interdicit, aut præſcribit potius his verbis. Sciendum tamen eſt, hoc eſſe vitioſum, monoſyllabo finire verſum: niſi fortè ipſo monoſyllabo minora animalia explicantur.

Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.

Gratiores enim verſus ſunt iſti ſecundum Lucillium. At nos occurrimus, legem iſtam Seruianam à Virgilio neglectam eſſe: quippe qui trecentos, & eo plures verſus, quaſi ſtabilimento hoc ſoni monoſyllabi firmauit. Nam præter animantium nomina monoſyllaba, etiam aliarum rerũ voces vnica ſyllaba conſtantes ſemper in fine carminis poſuit. Cum tamen ſola animalium paruorum monoſyllaba in fine locari poſſe afferat Seruius. Certè nox, mons animalia non ſunt, & bos, ſus aliqua cubitis murem ſuperant.

Eſt apud Scalig. lib. 4. cap. 48. de monoſyllabis verſum claudentibus, perutilis doctrina, & poetarum contra Seruium, alioſq; Grammaticos erudita defenſio: quam huic loco adſcribere operæprecium fore duxi.

Ergo maximus poetarum, in 5. cum incomparabilem illum verſum feciſſet.

Sternitur exanimiſq; tremens procumbit humi bos,

impudentiſſimè Seruius, peſſimus, inquit, verſus in monoſyllabam deſinens. Vtrum enim malis? huncne, an,

Sternitur exanimiſq; tremens bos corruit ictu?

Quis igitur illum quoq; Grammaticorum interpolabit nobis, ne ſit monoſyllabum?

Dat latus, inſequitur cumulo præruptus aquæ mons.

Quem verſum quare non appellauit peſſimum, ſicut & congenerem illum alterum? aut quare diſtulit iudicium

monoſyllaborum à primo ad quintum librum? Atqui poterat ſic,

Inſequitur tumidis mons incitus Vndis.

Verùm Vt corruit taurus, Vt confluxit in Vnum mõtem mare: ita corruit Verſus in monoſyllabum, copia multarum ſyllabarum in Vnam ſyllabám coacta eſt: ſicut & in illo.

ruit Oceano nox.

Quid illo acrius?

en hac promiſſa fides eſt?

Nihil enim aptius indignationi, quam oratio deſinens in monoſyllabum. Vel euolue Demoſthenis orationes: quotnam eiuſmodi periodos inuenies? Inuerte modò, nihil frigidius. Horatius quoq; quum è magnis captis futile poema extiturum ſtomacharetur, ex prolixis Vocibus eduxit finem monoſyllabum.

Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.

Sic poeta Valido monoſyllabo ſuſtentauit precedentem, ac nobilem Verſum,

Maßyliq; ruunt equites, & odora canum Vis.

Quam Vocem ſi tranſmittas aliò, totus pereat decor. In illo quoq; auertit Dea mentem, Vt poſtea figat in pertinacia.

accenſa Dea mens.

Hanc diſpoſitionem cum apud Ennium, apud Lucretium inueniſſet, dixerant enim,

& fortis equi Vis,

non putauit amittendam occaſionem, qua illam in ſuos numeros transferre poſſet. Pauci enim in aliis poeſeos legibus, nullus hac in parte cum Virgilio comparari dignus eſt. Itaque omnibus locis adeo ſtudioſus fuit collocationis, Vt ſi quid tantillum mutes, deterius facias.

DE CO-

DE COMOEDIA.

DE FINITVR COMOEDIA, & *Tragicocomœdia.*

CAPVT XII.

COMOEDIAM Cicero ſcriptum reliquit,eſſe imitationem vitæ,ſpeculum conſuetudinis, imaginem veritatis. Quæ verba non tam ad comœdiæ notionem euoluendam, quam ad eam commendandam pertinent. Haud ſecus ac illa ad laudandam hiſtoriam in 2. de Orat. Hiſtoria verò teſtis temporum, nuntia vetuſtatis, vita memoriæ &c. Illa quoque definitio: eſt priuatarum,ac ciuilium rerum citra periculum complexio, aliquot ob cauſſas vitioſa reperitur. Nos igitur ſic eam definiamus. *Comœdia eſt poeſis dramatica, quæ ob docēdam vitæ conſuetudinem, ciuiles & priuatas actiones, non ſine leporibus & facetiis imitatur.* Ab epopœia, & tragœdia, quæ publicas res, & heroum acta complectuntur, comœdiam ſeparant actiones ciuiles & priuatæ. Præterea epopœia non eſt dramatica: & tragœdia ſales atque iocos neſcit, qui riſus pariunt: cum illa ad terrorem potius incutiendum, & commiſerationem excitandam cōferatur, quæ quidem dolorem & mœſtitiam habent.

Tragicocomœdia eſt confuſum quiddam ex comœdia & tragœdia: quando nimirum cōtra legem comicam, illuſtriores auguſtioresque perſonæ admiſcentur. Hoc verum eſſe in Amphit. apud Plautum Mercurius ſignificat, in qua comœdia partes dantur Ioui.

Faciam vt commiſta ſit tragicocomœdia.
Nam me perpetuo facere vt ſit comœdia
Reges quò veniant, & dij, non par arbitror.
Quid igitur? quoniam hic ſeruus quoq; partes habet,
Faciam proinde, vt dixi, tragicocomœdiam.

Poteſt etiam dici, eſſe tragœdiam cum exitu comico, hilari videlicet, pacato, & tranquillo. Finis itaque tragicocomœdiæ ſemper erit lætus. Verum enimuerò, licere viciſsim facere comicotragœdiã, cuius nimirũ exitus ſit lugubris, haud affirmem: quandoquidem perſonarum vulgarium humiliúmque caſus & calamitates, cum ad memoriam, tum ad commouendos animos nõ tanti ſunt momenti. Adde quod huiuſcemodi fabulæ nullum vſpiam apparet exemplum.

COMOEDIAE ORIGO, ætates, genera.

CAPVT XIII.

A Ruſticanis ad vrbanos hoc modo profluxit comœdia. Cum Apollini Nomio, ſeu paſtorali ob frugum prouentum facerent agreſtes, primum quidem circum ipſam aram: tum circum vicos pagosq; chorum cum cantibus lætabundi ducebant, ſeſeq; mutuis conuitiis, alióſque ſimiliter, à quibus eſſent læſi onerabant. Poſtmodum noctu ciuitates ingreſsi, plateas obambulantes, eodem modo ciues ditiores ac potentiores accipiebant, à quibus aliquid iniqui pertuliſſent: nominatim eos exagitantes, eorumq; mala facinora, & quas

& quas accepiſſent iniurias memorātes. Animaduerſum eſt, hoc ad homines à maleficiis propter infamiæ metum deterrendos proficere: inde poteſtas facta idem interdiu impune committendi, & compoſitis ad eam rem carminibus, ſi qui præſtarent ingenio. Creuit paulatim negotium, nactique ſummam occaſionem poetæ, comœdias ſcriptitarunt, in quibus haud diſsimulanter, & nominatim improborum ciuium mores vitamq́ omni genere dictorum contumeliarumq́ quam liberrimè proſcinderent.

Sed ætas comœdiæ haud vna fuit. Alia enim nominata eſt vetus, quam ſub Suſarione indigeſtam, rudem, inconcinnam Cratinus partibus & actibus diſtinxit ac diſpoſuit: Ariſtophanes eidem quaſi manum extremam addidit. Horatius hunc, item Eupolin, & Cratinum veteris comœdiæ tanquam præcipuos auctores profert: ſimulq́ ſolemne illius in carpendis hominum vitiis narrat, & eius deinde locum ſatyram tenuiſſe confirmat. Nec tantum reprehenſione dignos, ſed indignos & inſontes, vt Periclem, Socratē, Ariſtidem æque vellicabant. Hinc illa M. Tullij querimonia in 4. de Repub. *Quem illa (comœdia antiqua) non attigit, vel potius quem non vexauit? cui pepercit? Eſto. Populares homines, improbos in rempub. ſeditioſos, Cleonem, Cleophontem, Hyperbolum læſit. Patiamur. Etſi huiuſmodi ciues à cenſore melius eſt, quam à poeta notari. Sed Periclem, cum tam ſuæ ciuitatis maxima auctoritate plures annos domi & belli præfuiſſet, violari verſibus, & eos agi in ſcena, non plus decuit, quam ſi Plautus noſter voluiſſet, aut Nęuius P. & Cn. Scipioni, aut Cecilius M. Catoni maledicere.* Cæterum vniuerſum quoq́ populum, nedum ſingulos, vt ſe

res dabat,& quandocunque poterant,inſectabantur, nulli ordini, ætati, ſexui parcebant: interim, quod mirere, ipſo populo propenſis animis audiente. Verſus Horatiani ſunt hi.

Eupolis atq; Cratinus Ariſtophanesq; poeta,
Atq; alij quorum comœdia priſca virorum eſt:
Si quis erat dignus deſcribi, quod malus aut fur,
Quod mœchus foret, aut ſicarius, aut alioqui
Famoſus, multa cum libertate notabant.

Hæc maledicentia, in qua potiſsimùm chorus regnabat, cohibita & compreſſa dicitur, cum attritis populi opibus reſpub. Athenienſis triginta tyrannorum iugo ceruices coacta eſt ſupponere. Lata enim lege integrum erat affectis per ſcenam iniuria, afficientes vocare in iudiciũ. Hac ratione poetas in officio potentiorum metus continuit, ſublatúſque eſt chorus, cuius ſupra dicebamus fuiſſe munus, vt in quoſcunq; liberet, reprehenſionum velut ſpicula contorqueret. Horatius.

Succeſsit vetus his comœdia non ſine multa
Laude, ſed in vitium libertas excidit & vim
Dignam lege regi: lex eſt accepta, chorúſq;
Turpiter obticuit ſublato iure nocendi.

Quamobrem comœdia, in qua nullum aperte, & cum nomine fas erat lædere, quæque in eo quandam verecundiam, & modeſtiam adhibebat, nuncupata eſt Media: ſed non ante, quam Nouæ inducta eſt appellatio. Ergo comœdia, quæ neutrius faciem oſtenderet, veteri ſimilior fuit, ius quoddam reprehendendi retinens, quando chori loco parabaſes, quibus ſcripta, & dicta poetarum nullo maleficij crimine, aut pœnæ ſuſpicione cauillabatur, non omittebat, ciuiumq; peccata tectius coarguebat:

bat: donec ipſa quoq; in ſuſpicionem odiorum ac ſimultatum veniens, poteſtatem reprehenſionis omnem amiſit.

Poſt id Alexand. Plilippi imperante, argumentis ac perſonis plane confictis, & facetiis ad delectandum interpoſitis, vitam communem ac mores imitari cæperunt. Priſca illa frequenter vera tractabat argumenta: hæc nunquam. Illa anſam opprobrandi, & inſectandi vndelibet accipiebat: hæc citra amarulentiam iucunda, rarò quoſdam criminationum aculeos, nulla cum contumelia immiſcebat, eratq; populari, ac de medio ſumpto ſermoni ſimilior, iambicis & trochaicis contenta verſibus: cum in antiqua pluribus carminum formis vterentur. Menandrum aiunt Nouæ comœdiæ principem habitum.

Deinceps, vt propoſitum eſt, comœdiæ genera conſideremus. PALLIATA à pallio, quo ſupra tunicam amicti incedebant Græci, erat ea, quæ & argumento græco componeretur, & in qua hiſtriones ad Græcorum morem palliati prodibant: cuiuſmodi ſunt Terentianæ & Plautinæ fabulæ. TOGATA perinde à veſtitu, ſed Romano: Romanorum ſiquidem toga, vt Græcorum pallium. Hæc rebus & ritibus Romanis conficiebatur. Nomine porro Togatarum Horatius Tabernarias intellexit, illo verſu ad Piſones.

Vel qui Prætextas, Vel qui docuere Togatas.

Togatarum principatum ſortitæ ſunt PRAETEXTATAE. Harum perſonæ Romanæ, publicæ, nobiles, graues, honoratæ, magiſtratus denique, à cuius genere veſtis (prætexta enim magiſtratum veſtis,

græcis

græcis πραιτόρφυρος)nominatæ ſunt. Argumentorum ſublimitate non multum tragœdiæ cedebãt. TRABEATA ſi eadem plane cum Prętextata non fuit, certè parum diſsimilis fuit. Nam trabea prætextam æquat dignitate. IN TABERNARIIS, quæ dictæ ſunt à tabernis, quibuſcum ſcenæ diſponebantur, plebeiæ atque humiles perſonæ agebant: quia & fortuna humilis, plebeiorum hominum. ATTELLANAE ab Attella Oſcorum oppido, dicacitate, iocis atq; riſibus, quos vel in ipſa verborum acerbitate conſectabantur, ſcatebant. Feſcennina quoq; carmina, quibus petulantius iocarentur, inter actus inſerebant. RHYNTONICAM ſcribunt à quodam Rhyntone poeta Tarentino appellatam. Miror quo pacto poetæ nomen duntaxat, comœdiæ genus poſsit conſtituere. PLANIPES quæ neq; cothurno, neq; ſocco, verum plano, id eſt, nudo pede ageretur ab hiſtrionibus, ob humilitatem argumenti videlicet. Cenſent quidam planipedem eandem fuiſſe cum mimo. MIMVS autem vniuerſæ poëſeos nomen, imitationis, inquam ſibi ſoli vendicauit, quaſi ſolus imitaretur. Res leues parúmque honeſtas, ac perſonas turpes verbis & geſticulatione exprimebat. Inde mimographi extiterunt. Sunt etiam comœdiæ quæ dicuntur MOTORIAE, id eſt, negotioſæ, turbulẽtæ, in quibus res turbatæ magis: quales numerantur Amphitruo, Adelphi, Phormio, Heautontimorumenos. STATARIAE contra ſedatiores ſunt, vt Ciſtellaria, Pſeudolus, Trinummus, Aſinaria, Hecyra. MEDIAE ſeu MIXTAE quæ ab vtroq; priorum generum trahunt partem, vt Andria, Eunu-

chus,

chus.Sunt qui faciunt quatuor genera ſiue ſpecies comœdiæ.Prima eſt ſimplex,quæ fit ſine peripetia & agnitione: altera implexa,cuius eſt totum peripetia,& agnitio: tertia morata, in qua præualent mores: quarta ridicula, in qua præualent ridicula & facetiæ. Poteſt autē eadem eſſe ſimplex & morata,vt ſunt Adelphi:implexa & morata, vt Hecyra:ſimplex & ridicula,vt Aulularia: implexa ac ridicula, vt Menæchmi.

DE PARTIBVS COMOEDIAE κατὰ τὸ ποῖον,ſeu qualitatis

CAPVT XIV.

SVNT quædam, quibus ipſa comœdia qualis ſit: alia quibus velut extenditur. Illas partes qualitatis: iſtas quantitatis non ſine exemplo vocare poſſumus. Prioris generis ſunt omnino ſex,fabula,mores,ſententia,dictio,apparatus,melopœia. De his primum explicabimus,& vltimã, quæ nulli vſui nobis futura eſt, prætermittemus. Ac ſine prioribus quatuor ne ſcribi quidem poteſt comœdia. Etenim prius neceſſe eſt rem excogitare, quam nuncupamus fabulam. Cum autem fabula imitetur, conuenit eam vtiq; moratam eſſe, accuratéque diuerſorum hominum mores exprimere. Additur porrò ſententia, quoniam animi ſenſus ſententiamq; per verba oſtendere oportet. Et quia ſententia conſtat verbis, additur Dictio. Nunc de ſingulis ſeparatim.

FABV-

FABVLA comœdię,id eſt imitatio fictióue comica, vacat rebus admirabilibus, ac prodigioſis, quales frequenter in epopœia referuntur, & nonnunquam in tragœdia oſtenduntur: neque etiam illuſtres, graues, lugubres, terribiles, vno verbo, tragicas complectitur. verùm ciuiles ac priuatas tantum (comœdia quidem vetus etiam deos inducebat) quæ cuiuſmodi ſint, quis non videt? Earum cauſſa humiles item, vulgaréſq; perſonas ſumit, & iis nomina cum rebus congruentia imponit. Actionem oportet eſſe vnam, non plures: quæ vnius diei ſpatio, aut paulò maiori æqualis ſit. Et quoniam humanæ actiones, tametſi priuatæ, vt plurimum cum perturbationibus aliquibus coniunctæ ſunt, miſcenda quoq; euenta fortuita, quæ inſperatam lætitiam, dolorem, admirationem cõtineant. Vnde duplex fabulæ comicæ genus exiſtit. Simplex, in qua nihil ineſt nouum, nihil inopinatum: nulla peripetia, nulla agnitio, vt in Aſinaria. Connexa ſeu implexa, in qua aut agnitio ſola, vt in Hecyra: aut ſola rerum improuiſa commutatio, vt in Milite glorioſo: aut vtraq; ſimul, vt in Andria. Connexa præſtat ſimplici. Ea verò iudicatur optima, quæ ex agnitione, & peripetia conflatur. Agnitio eſt, cum ex ignoratione in notitiam rei alicuius producimur, ex qua aut lætitia naſcitur, aut dolor: ſed lætitia ſæpius. Ea opportunè locatur in extremo comœdiæ, vbi turbæ ſedantur. vt videmus in Andria. Ibi enim agnoſcitur Glycerium pro ciue Attica. Hoc loco de generibus agnitionum nihil dicam. Peripetia eſt mutatio fortunæ in contrarium. Præter illam verò actionem,

quæ

quæ ab initio eſt propoſita, cauendum ne aliena inferciantur, quod olim factitabant, quò fabulę & longiores fierent, & amplius delectarent. Paſsim antem iocos captat, & ridiculis ludit comœdia, & prope omnia hoc ſuaui condimento aſpergit: eſt enim id illi propriū, vt terror & miſericordia tragœdiæ. Sed eiuſmodi condecet eſſe ridicula, vt ea nec grauium quidem virorum refugiat approbatio. Sanè in his modū exceſsiſſe videtur Plautus: & Horatius eius ſales vt frigidos, inconditos, & ſcurriles vituperat. Terentium quòd natura triſtiorem finxerat, arbitrantur eruditi iocari magis non potuiſſe, quam aut non debuiſſe, aut noluiſſe. Veruntamen aliis laudibus hanc vnam egregiè compenſauit. Perſonas fingit comœdia, quales in communi hominum vita verſantur: non ita probas ac ſapientes, vt errare, decipi, offendere non poſsint: nec rurſum vndecunque improbas. Quæ controuerſiis, litibus, & iurgiis ac turbis implicentur, tandemq́ ad ſecūdos exitus perueniant. Tollit item ex oculis multa, quæ vel viſu turpia, vel indecora ſunt, quæ nihilominus à perſona aliqua exeunte, tanquam intus geſta, foris exponuntur, aut voce aliqua intra ſcenam emiſſa ſpectatoribus produntur. Iuno Lucina fer opem, ſerua me obſecro, clamat illa parturiens. Habeat præterea fabula magnitudinem ſuam, nec vbicunq; vel incipiat, vel terminetur. Longitudo eius duobus terminis diſtinguitur, cōnexione ſcilicet & ſolutione. Connexio id totum vocatur, quòd ab initio poematis pertingit vſq; ad eum locum, vbi inclinant turbæ, & fit mutatio, Solutio eſt ea pars, quæ à principio

muta-

mutationis vſq; ad finem fabulæ perducitur. Partes demum ita conſociatæ erunt, vt niſi totum diſſoluatur, ſubduci aut transferri nulla poſsit. Hactenus de fabula.

MORES ratione perſonarum ſeſe admodum diſsimiliter habent: ſiquidem qui laudantur in aliis, & iis maximè conueniunt, in aliis laudari non ſolent: & quia minimè conueniunt, interdum vituperari etiam. Sicuti cernimus in artibus fieri. Nam ſi plebeius peritè canat tibiis, placet, laudem aufert. At hoc ipſum artificium in rege diſplicet ac reprehenditur. Mulierem decet bene nere, bene texere: virum dedecet: non enim ſunt hæc opera virilia. Ita cum ſit in ſeruo virtus, & prædicetur, nō furari: viro nobili, aut alioqui honeſto laudem nullam parit. Itaq; alij mores cadunt in alios, & ſua quemq; maximè commendant: vt diligenter videndum ſit, quos mores cui affingamus. Ad hoc caput magnopere pertinet, vt ex communi & cōfirmata hominū opinione mores in perſonis exprimamus. Hoc eſt, ſermone & actione, quibus mores indicantur, & pateſcunt, tales inducamus, quales eas aut omnes, aut plurimi fuiſſe opinantur. Pulchrè Horatius, vbi famam in Achille, Medea, Ino, Ixione, Oreſte ſequendam monet.

honoratum ſi fortè reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, exors,
Iura neget ſibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox inuictaq;, flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Io vaga, triſtis Oreſtes.

Seruandum inſuper τὸ ὁμαλὸν ſeu æquabilitas: vt ſi ſemel timidum, auarum, ferocem quempiam oſtende-

ſtenderis, ne eundem poſtea liberalem, modeſtum in eadem comœdia, & ſecundum vnam actionem facias: maneat talis, qualem ab initio produxeris. Hoc etiam Horatius iubet.

ſeruetur ad imum
Qualis ab incepto proceſſerit, & ſibi conſtet.

Quare merito damnatur Euripides, qui Iphigeniam Agamemnonis primo finxit abiectam animi, & mortem deprecantem, poſtea erectam, & libenter morientem. At Polyxena ab initio ad extremum vitam contemnit in Hecuba. Hoc tamen aliquam habet controuerſiam. Apud Terentium ſiquidem in Demea & Mitione mutatio morum fit. Quippe Demea in principio durus, in extremo fit lenis: primùm auarus, poſtea prodigus cernitur. Mitio autem in fine multum de ſua natura remittit. Reſpondent aliqui, non admittendam mutationem morum, niſi magna quæpiam cauſſa exprimatur, quæ ad eam efficiendam valeat: quemadmodum Demea ſuæ mutationis cauſſam multis verbis exſequitur. Mitio quoque propter nimiam Demeæ profuſionem aliquantiſper mutatur: ſed mitis apparet. Adhæc ſcire licet, mores effingendos, aut κατὰ τὸ εἰκὸς, aut κατὰ τὸ ἀναγκαῖον, ſecundum veriſimile, aut neceſſarium. Si perſonæ inducuntur notæ, vt ſæpenumero in tragœdia, mores poſteriore modo exprimentur. Id eſt, tales eſſe in imitatione debebũt, quales reuera fuerunt. Sic enim hoc loco, neceſſarium, interpretamur. Sin autem fictæ & nouæ, vt in comœdia perpetuo, priore modo. Quod vt poſsit poeta, audiendus eſt

illi Horatius, & legendus præterea Ariſtoteles in Rhetoricis, vbi mores ætatum exponit.

Ætatis cuiuſq; notandi ſunt tibi mores,
Mobilibuſq; decor naturis dandus & annis.

Mores pueritiæ.

Reddere qui voces iam ſcit puer, & pede certo
Signat humum: geſtit paribus colludere, & iram
Colligit ac ponit temerè, & mutatur in horas.

Mores iuuentutis.

Imberbis iuuenis tandem cuſtode remoto,
Gaudet equis canibuſq;, & aprici gramine campi:
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Vtilium tardus prouiſor, prodigus æris,
Sublimis cupiduſq; & amata relinquere pernix.

Mores virorum.

Conuerſis ſtudiis, ætas animuſq; virilis
Quærit opes, & amicitias: inſeruit honori,
Commiſiſſe cauet, quod mox mutare laboret.

Mores ſenum.

Multa ſenem circumueniunt incommoda: vel quod
Quærit: & inuentis miſer abſtinet, ac timet vti:
Vel quod res omnes timidè gelideq; miniſtrat,
Dilator, ſpe longus, iners, auiduſq; futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, cenſor, caſtigatorq; minorum.

Habet locum τὸ εἰκὸς etiam in tragœdia nonnunquam illa ſcilicet, in qua nouæ, nec notę antea perſonæ verſari debent.

SENTENTIAE laus & virtus eſt, animi ſeſum aptè exprimere. Quia vero comicus ſermo ſummiſſus eſt, ſententias quoq; non elatas aut grandes poſtulat. Nullæ hic quæſtionum diſcuſsiones, aut probationes exquiſitiores. Omnia tanquam probata

bata,&κεκριμένα pronuntianda,& in medium afferenda ſunt.

DICTIO comica nec ad tragicam ſublimitatem aſſurgit, nec ad humilitatē mimicam deſcendit: ſed temperamentum quoddam ſeruat. Facilis, aperta, ſuauis,pura,elegans,ſimplici & mediocri cum ornatu. Cum enim,vt dicebamus,νοήματα ſint minimè grandia, dictio quoque granditatem non admittit. Eſt tamen veriſsimum, quod Horatius ſcribit, comœdiam aliquando vocem tollere: vt cum ira quępiam vehementior incenderit. Breuiora & magis conciſa omnia quam in tragœdia: ſententiosè dicta rariora, & ea potiſsimum, quæ communis conſenſus,& vulgi quoq; iudicium approbat, vt ſunt prouerbia.

APPARATVS complectitur ſcenam, & habitum perſonarum. De ſcena videbis Vitruuium, & Scaligerum. De veſtitu pauca loquemur. Senibus dabatur candid⁹, quod is putaretur antiquiſſimus. Iunioribus purpureus & verſicolor, vt hoc pacto ingenij ſui mobilitatem, & inconſtantiam imitarentur. Seruis anguſta, & curta tunicula, quò eſſent expeditiores: & pallium quoque, quod in collum ſolebant coniįcere. Sic enim Plaut. Capt.

Nunc res certa eſt, eodem pacto, ut comici ſerui ſolent
Coniiciam in collum pallium.

Epid.

Age nunc iam, ornate Epidice, & palliolum
in collum coniice,

Paraſitorum pallia erant fuſca, & contorta. Sacerdotum veſtes oblongæ, talares, & albæ. Diuitum purpureæ, pauperum puniceæ. Militum chlamys,

aut ſagum cum machæra. Nautarũ erat cauſia, genus pilei. Nuntij aut viatores veniebant penulati. Læti albo, ærumnoſi ac triſtes furuo & obſoleto ornatu vtebantur. Adoleſcentibus quoque pro euentu & ſtatu veſtis dabatur. Vetulis fœminis ac matronis melinæ. Meretricibus ob auaritiam earum ſignificandam lutea. Aurum enim quærunt.

DE PARTIBVS COMOEDIAE κατὰ τὸ πόσον, ſeu quantitatis.

CAPVT XV.

QVINQVE partes comœdiæ numerantur, quibus eius magnitudo abſoluitur, prologus ſeu prologium, protaſis, epitaſis, cataſtaſis, cataſtrophe. PROLOGVS *eſt oratio quæ ante fabulam legitimam habetur ad ſpectatores.* Eius quatuor ſunt ſpecies. Nam vel poeta commendatur: vel obtrectatorum, maleuolorúmque criminibus reſpondetur, aut etiam crimina regeruntur: vel argumentum fabulæ enarratur: vel hæc omnia ſimul præſtantur. Primum genus συστατικὸν dicitur, quale eſt in Hecyra: alterum ἀναφορικὸν, quale in Andria: tertium ὑποθετικὸν, quale in Aulularia: poſtremum μικτὸν, quale in Caſina. Pronunciabatur ab ea perſona, cui cum fabula nihil negotij. Non pertinebat, inquam, perſona prologi ad fabulam, atque ideo nec prologus propriè pars comœdiæ, quem vel adiũgere, vel omittere citra vitium poſſis: (Græci certè aut ignorarunt, aut neglexerunt) ſed

ſed nos vulgarem quandam opinionem, licet minus veram hoc loco ſequimur. In Amphit. Mercurius & prologum agit, & fabulæ partem non modicam. Eſt autẽ prologus plerunque μονοπρόσωπος. In Trinummo διπρόσωπος, vbi propter Lesbonici adoleſcentis ἀσωτίαν commode Luxuriã cum filia Inopia introductas videmus: vt in Rudẽte Arcturum, & in Aulularia Larem familiarem. PROTASIS *prima pars fabulæ, in qua ſumma rei proponitur, & narratur: non tamen finis oſtenditur*: nempe vt ex inopinato exitu creſcat fabulæ iucunditas. Quanquam enim ex argumento rerum ordo teneatur, tamẽ breuis illa indicatio non tam explet animũ, quam incendit. Sed argumentum, quo ſententia fabulæ breuiter explicatur, tum fere locum habet, quando nec in prologio, nec in protaſi explicatum eſt: Plautus tamen perpetuo ſolet adhibere. Protaſis actu primo, interdum ſecundo quoque comprehenditur. EPITASIS definitur *earum rerũ quæ continentur in protaſi incrementum. Seu, altera pars legitima fabulæ, in qua turbæ aut excitantur, aut intenduntur.* CATASTASIS *eſt vigor ac ſtatus fabulæ, in qua maior cernitur rerum perturbatio.* Epitaſis & Cataſtaſis ſecundo & tertio, aliquando etiam quarto actu concluduntur. Quintum Cataſtaſis rarò attingit. CATASTROPHE *vltima pars, qua fabula clauditur, in qua res in melius commutantur, ſeu vbi fit negotij in tranquillitatem non exſpectatam conuerſio.* Hæc partem actus quarti, nonnũquam totum quartum, quintum ſemper occupat.

DE ACTIBVS, SCENIS, & actoribus, ſeu perſonis.

CAPVT XVI.

A*CTVS eſt pars fabulæ, continens diuerſas actiones pro diuerſitate partium*, de quibus ſupra explicatum eſt. Nō plures autem actus, nec pauciores quinque, ſiue in tragœdia ſiue in comœdia eſſe conuenit, quod Horatius etiam docuit. Videtur Cic. tertium actum pro extremo poſuiſſe, nec plures requirere. Sic enim ſcripſit ad Q. F. *Illud te ad extremum & oro & hortor, vt tanquam poetæ boni, & actores induſtrij ſolent: ſic tu in extrema parte & concluſione muneris ac negotij tui, diligentiſsimus ſis, vt hic tertius annus, tanquam tertius actus perfectiſsimus atq; ornatiſsimus fuiſſe videatur.* Sed mens Ciceronis eſt, vt tertius annus Quinti, qui eſt in adminiſtratione prouinciæ vltimus, ita ſit perfectus, vt eſt vltimus actus in fabula. Quaſi Quintus fabulam ageret, cui tertius annus eſſet velut quintus actus in comœdia. Cæterum diſtinguere actum ab actu haud eſt facile. Olim interuentu nouæ alicuius perſonæ ſecernebantur. Deinde aliter ſæpe factum eſt. Et primus quidem materiam ſeu argumentum fabulæ comprehendit: alter res in actum deducit: tertius impedimenta & turbationes affert: quartus viam monſtrat, qua res implicitæ ſoluantur: poſtremus res implicitas artificioſe diſſoluit.

Actus in ſcenas diuiditur, quem perraro totum vna ſcena abſoluit: niſi aliquando in tragœdia. *Eſt autem ſcena pars actus, in qua duæ pluréſue perſonæ colloquun-*

loquuntur, quæ dicuntur diuerbia. Initium capit nonnunquam ab omnium ingreſſu in ſcenam: nonnunquam ab vnius tantum: qui deinde alium inuenit è ſcena ſuperiore. Finitur abitu, interdum omnium, aliquando vnius tantum. Vt ſi tres fuerint, duo reliqui ſcenam ſequentem conſtituant. Eſt cum vnus ſolus ad futuram ſcenam relinquitur. Scenarum numerum quidam cenſent maiorem denario eſſe non oportere: nec actores plus quatuordecim.

Actores qui & hiſtriones, & ſcenici, & ludiones, & ludij, & comœdi, græcis à ſimulanda per imitationem veritate dicuntur *ὑποκριταί*. Et erant primarum quidam, alij ſecundarum, alij tertiarum partium, quos Græci vocant *πρωταγωνιστὰς, δευτεραγωνιστὰς, τριταγωνιστὰς*, tres enim hiſtriones fabulã abſoluebant. Non licere autem in eodem actu vni perſonæ plus quinquies exire, in comœdia minimè verum eſt. Poteſt id fieri in tragœdia, in qua perſonæ & pauciores, & grauiores. Perſonæ in comœdiis diſtinguuntur conditione, profeſsione, officio, ætate, ſexu. Protatica, ſiue proſtatica, quæ primo actu introducitur, neque amplius vnquam comparet: qualis eſt Soſia in Andria: quod quidẽ in Plauto nuſquam factum cernas. Sunt item quædam perſonarum genera, velut in ima cera. Earum aliæ non prodeunt, verùm intus loquuntur, aut clamant quippiam. Aliæ neutrum faciunt, vt eſt ſeruulus Storax in Adelphis. Nam ibi Mitio exiens, non exeuntem appellat, & ille tacet. Aliæ apparent in proſcenio, mutæ tamen, ſeu nihil loquentes, vt ſunt ſatellites in Milite, & famuli in

Andria. Sed quid ſibi vult, quod Horatius præcipit: *nec quarta loqui perſona laboret?* Hoc vtique, ne plures perſonæ vno eodemq́ue tempore in ſcenam prodeant locuturæ, quam 3. Si erit vt quarta intercedat, ea vel tacita audiat, vel ſecum, non cum aliis verba conferat, ne ſermones perturbentur. Id obſeruatum videas in Andria actu 3. Ibi Myſis, Simo, Dauus, Lesbia, Glycerium quinque perſonæ in ſcenã producuntur: ſed Myſis cum Lesbia duntaxat fabulatur: Glycerium intus manet. Itẽ actu 4. quatuor ſunt perſonę vno tempore, Myſis, Pamphilus, Charinus, Dauus: ſed Myſis interuenit aliunde, & cum Charino non loquitur. Plautus hanc legem non ſeruauit: nam apud eum reperias quatuor & quinque perſonas inter ſe colloquentes: quod etiam ſolet in tragœdiis.

PLAVTVS ET TERENTIVS comparati.

CAPVT XVII.

CVM neutrius horum Comicorum virtutes & ornamenta per ſe cognoſcere ſit facilè, tum arduum videtur opus, vter alteri præſtet diiudicare. Sed nos non tam quid ipſi, quam quid doctiſsimi quidam viri, in vtriuſq́ue lectione multum adeo exercitati in hac quæſtione ſenſerint, ad emolumentum comicæ poeſeos ſtudioſorum proferemus. Quamplurimi Plauto multis modis ſuperiorem Terentium facere non dubitant.

tant. In quo proprietatem latini ſermonis permagnam ineſſe non eunt inficias, tamen ab ea Terentium vſque adeo non deſertum atque inopem eſſe contendunt, vt ipſi vel maior adſit. Eius locutio mundior, politior, & quodammodo nobilior cenſetur. Stylus liberalis: ſales non plebeij nec vulgares: nihil in eo abiectum, humile: cum contra Plauti ingenium ſeruile ſit, nec ita liberale & ingenuum. Terentium ait Donatus retinuiſſe morem, vt comœdiam ſcriberet, ac temperaret affectum, ne in tragœdiam tranſiliret. Quod Plautus neglexit, ſaltem in Amphitruone, quam tragicocomœdiam ipſe vocat. Præterea Terentius neque ad tragicam ſublimitatem exſurgit, neque ad hiſtrionicam humilitatem ſe dimittit. Nihil abſtruſum, quodq́ in hiſtoricorum libris inueſtigandum ſit, affert. In quo peccare viſus eſt Plautus, qui, quoniam antiquitatis eſt ſtudioſior, idcirco etiam locis non paucis euaſit obſcurior. Immodicè ſibi indulget in perſonis ſeruorum, nimiumq́ riſus & cachinnos theatri & applauſum populi aucupatur & eſt obſcœnior: quibus in rebus magna cernitur Terentij verecundia, & egregia moderatio.

Nunc videamus quid pro Plauto afferatur. Eum certè ſe ducem, auctorem & exemplar habere Terentius profitetur: cui proinde ſatis honorificum videatur, ſi eum ſit aſſecutus. Quod de ſeruili ingenio obiiciebatur, conuitium eſt. Humili quidẽ genere, & ſeruili conditione erat, vt etiam Terentius, at ingenio liber. Quod autem eſt plebeius, geſſit ſe pro natura & ratione comœdiæ, quæ lon-

gè ſecus atque tragœdia, non grandis & elata, ſed tenuis ac demiſſa, & cum plebi ſcribatur, plebeia eſſe, plurimáque ſecundum mores, verba & ſales plebeios dicere gaudet. Nimis æquabilis, & vnius fili eſt Terentius. Quocirca Cæſar de eo,

Lenibus atque vtinam ſcriptis adiuncta foret vis
Comica, & æquato virtus polleret honore
Cum Græcis, neque in hac deſpectus parte iaceres.
Vnum hoc maceror, & doleo tibi deeſſe Terenti.

Poſsidet hanc vim & varietatem Plautus, qui nũc aſſurgit, nunc ſe ſubmittit: nunc protrita, nunc grandiora dicit: proponit vitia & caſtigat: locos communes, ethica & politica intermiſcet, aliud quidem agens, ſed quaſi hoc vnum agens: & iocis lepidiſsimis hæc omnia aſpergit. Varronis iudicio propria laus Plauti eſt in ſermone. Non igitur eo Terentius mundior, purior, nobilior. Quòd nonnunquam τεχνικώτερος eſt, ſcribit Horatius comœdiam interdum tollere ſolere vocẽ. Quod deos induxit, Iouem & Mercurium, habuit exemplum veteris comœdiæ. Reconditior eſt, fateor, ſed imperitis, & veteris memoriæ ignaris. Non tamen adeo ſæpe, vt pertimeſcas. Ipſe verò Terentius de rebus in medio poſitis loquens, interdum inuolutus ac difficilis eſt. Vetuſtas voces, nec illas tamen innumeras non ſtudio quæſiuit: ſed ſe offerentes non repudiauit. Et erat is illius ſæculi ſermo: habuit enim ætates ſuas lingua latina. Sic loquitur etiam Næuius, Pacuuius, Attius, Afranius. Terentius præ Plauto ſterilis apparet, parcus certè. Qui, ſi res ſæpius ſe eloquendam offerat, eodémne ſemper modo, an parua mutatione eam efferat,

efferat nihil penſi habet. Plautus ſibi nunquam ſimilis, ſemper nouus. Et Terentius non caſtior, ſed magis tecte impurus: cuius argumenta non magnæ vtilitatis, plena nugarum vtique, cum multa Plauti perquam vtilia, & grauiora ſint.

DE TRAGOEDIA.

NOTATIO, ET DEFINITIO TRAGœdiæ: item qui fiat vt delectet.

CAPVT XVIII.

TRAGOEDIAM nominatam *παρὰ τοῦ τράγου*, vt ſit quaſi *τράγου ᾠδὴ*, inter plures conſtat. Cauſſa nominis incertior. Poteſt enim videri datam hanc ei appellationem inde, quod agricolæ priſci (qui ortus eſt tragœdiæ) cum Baccho pro annuis frugibus ſacrificarēt, ardente iam victima, hirco ſcilicet (quæ huic deo propria erat. quoniam vineas læderet) loco precum quippiam cantarent: & quo illo beneuolentiore vterentur, magisq́ propitio, res eiuſdem geſtas, ac triumphos, deuictasq́ gētes, & debellatos reges, eorumque calamitates, ac poſtmodum, non ſuppeditante materia, aliorum præterea regum infortunia, ærumnasq́ concinerent, victoriq́ in huiuſcemodi cantilenis hircum in præmium darent. Ex quo illud Horatij, *Carmine qui tragico vilem certauit ob hircum.* Item quod fortaſſe vter hirci muſto ple-

nus

nus donabatur. Scribunt & hoc Grammatici, appellatam παρὰ τὸν τρυγητὸν, à vindemia: quod nimirum vindemiarum tempore illa, quorum meminimus, ſacra cum cantibus peragerentur. Præterea παρὰ τῶν τρυγῶν à fæcibus, quibus hiſtriones ante vſum perſonarum ora conſueuerant perlinere, ne agnoſcerẽtur. Adducitur ad probandum Horatius:

Ignotum tragicæ genus inueniſſe Camœnæ
Dicitur, & plauſtris vexiſſe poemata Theſpis,
Quæ canerent agerentq; peruncti fæcibus ora.

Veruntamen quia tragœdiæ nomen prius extitit, quam Theſpis vſum fæcis induceret, explodenda planè eſt hæc ſententia. Non diſplicet, quod nonnullis placitum eſt, vocatam à principio non τραγῳδίαν, ſed τραχῳδίαν, quaſi τραχεῖαν ᾠδὴν, ab aſperitate cantus videlicet: inſuauis enim cantus, cuius materia res triſtes, aſperę, atroces ac miſerabiles. Deinde vſu loquentium, vt alia mille, corruptum hoc nomen, & pro τραχῳδία τραγῳδία cœptum dici, & indę natam opinionem de hirco, qui huic generi fabulæ nomen attulerit.

Definimus autem eam hoc modo. *Tragœdia eſt poeſis virorum illuſtrium per agentes perſonas exprimens calamitates, vt miſericordia & terrore animos ab iis perturbationibus liberet, à quibus huiuſmodi facinora tragica proficiſcuntur.* Atqui hic quidem finis eſt tragœdiæ. Quod autem diximus, eſſe virorum illuſtrium, in eo à comœdia, vti per agentes perſonas ab epopœia ſecluditur.

Sed cum tragœdia rebus luctuoſis plena ſit, mirum videatur quomodo voluptatẽ pariat, quam

parere

parere debet omnino, ſiquidem delectatio aut finis eſt, aut coniuncta cū fine poeſeos, vt alibi docuimus: quem quo pacto per mœſta & flebilia cōſequemur? Si præterea terrorem & miſerationem incutit animis tragœdia, non vtiq; delectationem. Huic dubitationi ſic occurremus. Non ipſæ res tragicæ, ſed earum excellens imitatio nos delectat: vt in pictura leonum, draconum imitatio, quas beſtias viuas fugimus: at in pariete, aut periſtromate artificum manu belliſsimè expreſſas inſatiabiliter contemplamur. Quia verò res graues, atroces, ærumnoſas, lacrymabiles, crudeles imitari difficilius eſt, quam ciuiles, leues, ridiculas, nugatorias: idcirco amplius tragœdiam, quam comœdiam admiramur, ſolidioremq; ex illa, quam ex iſta voluptatem percipimus. Item dolemus propter eos, quorum res aguntur, ſeu de quorum rebus agitur: nobis gaudemus, & gratulamur, qui tantorum malorum expertes ſimus. Dulce quoque, & à natura nobis ingeneratum eſt miſereri. Quæ autem veniunt à natura, ea iucunda ſunt. Adhæc erudimur, & monemur, quæ nos fugere vt malorum, & caſuum aduerſorum cauſſas oporteat. Atqui doctrina lætitiam gignit.

RATIO

RATIO ET FORMA TRAgœdiæ.

CAPVT XIX.

QVANQVAM tragœdiæ argumentum ſæpius vel ab hiſtoria, vel à fabula nota petitur, aliquando tamen totum fingitur: id quod ſemper fieri conſueuit in comœdia. Oportet autem id quod dicitur μῦθος, & latinè fabula, id eſt, rerum actionúmue conſtitutionem, vnum quiddam eſſe, ac breuiſsimum, idq́ breuibus epiſodiis dilatari & amplificari, rerumq́ ac perſonarum varietate diſtingui. Quales perſonas amet tragœdia, dictum eſt aliâs, & infra rurſum dicetur. Humiles & plebeias rarò admittit, quibus frequẽtius eſt in epopœia locus. Res erunt eiuſmodi, vt dicam breuiter, in quibus ineſt quædam atrocitas & indignitas, vnde terror & commiſeratio: quæ eſt nota peculiaris tragœdiæ, qua agnoſcitur: etiamſi felici claudatur exitu, vt Electra Euripidis, vbi cædes Ægiſthi multis gaudium creat. Tales item numerantur Ion, Helena, Oreſtes. Illa verò duo, terror, inquam, & miſericordia cum ex rebus, tum ex perſonis comparabuntur. Erunt enim funera, fletus, cruciatus, cædes, orbitates, deſperationes, denique res grauitatis & acerbitatis plenæ, quarũ vim magnopere vel auget, vel minuit perſonarum conditio. Conſiderandum præterea,

quæ

quæ auribus, quæ oculis ſubiicienda ſint. Horatij quidem præceptum eſt.

non tamen intus
Digna geri promes in ſcenam, multaq́ tolles
Ex oculis, quæ mox narret facundia præſens.

Ea cuiuſmodi eſſent, ſequentibus verſibus docet: nempe vel propter immanitatẽ offenſionem conciliatura vel parum veriſimilia.

Nec pueros coram populo Medea trucidet,
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus:
Aut in auem Progne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcunque oſtendis mihi ſic, incredulus odi.

Æſchilus ſanè, quod ex Ariſtotele diſcimus, cædes à ſcena remouit, & per nuntios eas narrari inſtituit. Sunt quibus aliud de horribilibus & cruentis iſtis videatur, & ij ſe tum Græcorum, tum Latinorum aliquot exemplis defendunt. Qua de re verbum non addam, & rem in medio relinquam. Monent etiam, in tragœdia pauciores induci hiſtriones quã in comœdia: ac diis ẽ machina tum concedi locum, cum vel præterita, eáque mortalibus ignota referenda, vel futura prænuntianda ſunt: & omnino cum quippiam cognoſci, aut confici humano ingenio induſtriáue non poteſt. Hinc Horatius.

Nec deus interſit, niſi dignus vindice nodus
Inciderit.

Iſtuc videbunt poetæ noſtri, quomodo ad ſuas tragœdias accõmodent: vt item alia nonnulla, quæ à nobis de dramatica poeſi diſputata ſunt. Hoc modo in Oreſte Apollo in medio turbarum ſe inconſpectum dans, tumultum componit. Dictionem habebit tragœdia à quotidiana loquendi conſue-

conſuetudine remotam, magnificam, copioſam, ſublimem, grauibus ſententiis refertam. Tametſi interdum propter explicandum dolorem, & in fortuna aduerſa querimoniam, quaſi humi ſerpendum eſt.

Et tragicus plerunque dolet ſermone pedeſtri
Telephus & Peleus, cum pauper, & exul vterque
Proiicit ampullas, & ſeſquipedalia verba.

Iambicum ſenarium tragœdiæ aptiſsimum cenſetur: quòd idem teſtatur Horatius.

Hunc ſocci cepere pedem, grandesq́; cothurni.

Quia verò actio tragœdiæ vnius, ſummum duorum dierum ſpatio circumſcribitur, narranda ſunt quæ anteceſſerunt, quando inde pendet actio. Quæ pars dicitur prologus, eſtq́ue principium tragœdiæ, eamq́ aperit, & recenſendis præteritis actionibus ad reliquum fabulæ viam munit. Ad hanc rem perſona plerunque protatica adhibetur, vt in Hecuba Polydori. Alia eſt igitur prologi ratio in tragœdia, alia in comœdia. Hîc enim à fabula ſeiūgitur, & caret imitatione, nec eo quiſquam vel Græcorum, vel Latinorum tragicorum eſt vſus. Putatur autem tragœdiæ, propter eius notam materiam ex conditione perſonarum, quæ propter ſuam celſiſsimam dignitatem nemini non acceptæ ſunt, haud congruere. Comœdiæ ideo conuenire, quòd illic propter humilitatem perſonarum obſcura materia. Sed hoc accipiendum de prologis, quibus argumentum narratur, non quibus auditorum animi ad audiendum apparantur: his enim etiam in tragœdia locus erit citra vitium.

Atque

Atque hæc de tragœdia. Cætera quoniam impeditiora, & magis etiam quam hactenus explicata, ab ætatis huius vſu abhorrentia ſunt, prudentes omittimus. Nunc de diſcriminibus comœdiæ & tragœdiæ ex inſtituto agemus, vt ita vtriuſque dramatis naturam clarius adhuc aliquanto intelligere poſsimus.

TRAGOEDIAE ET COMOEdiæ diſcrimina.

CAPVT XX.

QVINQVE rebus potiſsimum comœdia & tragœdia differunt, materia, perſonis, dictione, affectibus, exitu. In tragœdia actiones ſunt grandiores. Quid enim aliud legis ibi, quid audis, niſi luctus, exilia, cædes: atque vt paucis comprehendam, valde horribilia, & ad memoriam ſequentium ſæculorum admodum inſignia? Quas quidem res interdum ex ſe comminiſcitur, vt comœdia ſemper: ſæpius ab aliis mutuatur, vt comœdia nunquam. Docuit Euripides Archelaum Regem, quodnam eſſet argumentum, quæ materia tragœdiæ propria. Nam cùm Rex ab eo contenderet, vt de eo tragœdiam faceret. Ego verò Deos precabor, ſuſcepit Euripides, vt ne quid tragœdia dignum Regi aliquando eueniat. Comœdia res humiles, plebeias ac ciuiles habet. Atque illa quidem magnatum fugiendam, hæc ciuilem, priuatorumq; vitam expetendam expri-

mit. Quin etiam dum miſerias & ſtultitias amantium imitatur, honeſtatem turpitudini præferendam monet. Quod ad perſones attinet, comicæ ſunt ignobiles, obſcuræ, ciuiles tantum. Chremes paterfamiliâs, Pamphilus adoleſcens, Dauus ſeruus, Phroneſium meretrix, Ergaſilus paraſitus. Tragicæ illuſtres viri, illuſtres fœminæ, principes, reges, imperatores. Illæ è pagis, & oppidis, iſtæ ex ampliſsimis vrbibus & arcibus accerſitæ. Quod erat tertium, dictio comica verbis conſtat tritis, vſitatis, quotidianis, figura infima. In tragœdia oratio conficitur verbis electis, ſublimibus, ſonantibus, plenis, à communi conſuetudine abhorrentibus. *Omne genus ſcripti grauitate tragœdia vincit.* Hinc tragicè loqui. Comœdiæ ſermo eſt attenuatus. Interdum tamen & vocem comœdia tollit, vt eſt apud Horatium,

Iratuſq́ Chremes tumido delitigat ore,
Et tragicus plerunq́ dolet ſermone pedeſtri.

Sequuntur affectus, qui in Comœdia ſedatiores ſunt, ἤθη vocant Græci, in tragœdia vehementiores, qui πάθη appellantur. Hinc illa, riſus comici, res tragicę, &c. Quod poſtremo loco poſueramus, exitus comœdiæ lætior eſt, cum eius initium plerunque ſit paulò turbulentius ac triſtius: tragœdiæ mœſtus, ac funeſtus planè. Hoc perpetuò verum non eſt. Nam & in comœdia nonnunquam infelicem exitum inuenias, quamuis non ſine feſtiuitate & in tragœdia felicem. Addam corollaria duo. Vtraque in agendo, non in narrando verſatur, habetq́ eundem imitandi modum: & in eodem ſpatio temporis finitur, totidemq́, & iiſdem partibus

partibus conſtat. ſtudioſis eloquentiæ plus multò prodeſt tragœdia, quam comœdia: quanquam hæc quoque non modicè prodeſt. Hauriunt inde verborum delectum, ſplendorem, grauitatem maximam, ſententiarum pondera, amplificationum rationes, affectuum varietatem, & magnitudinem, omnis denique generis præclara, & ad docendum, delectandum, permouendum ſummè idonea ornamenta.

DE APPELLATIONIBVS FABVLarum, ſiue dramatum.

CAPVT XXI.

FABVLIS ſeu dramatis, ſiue illa comœdiæ, ſiue tragœdiæ fuerint, nomina imponuntur vel à loco, vel à re, vel à perſona primarum partium: ſic enim non malè nominabimus, quę eſt præcipua inter omnes. A loco, vt Plauti Brundiſia, Terentij Andria, Senecæ Thebais, Æſchyli Ægyptij, Lemnij, Salaminij. Nomine rei plura complector, nempe caſum, euentum, fortunam, conditionem, & ſimilia. Sic Terentij appellantur Eunuchus, Adelphi, Heautontimorumenos: & Plauti Aulularia, Captiui, Moſtellaria. A perſona frequẽtiſsimè, vt Terentij Phormio: Plauti Amphitruo, Menæchmi, Stichus: Senecæ Hippolytus: Æſchyli Agamemno: Sophoclis Electra, Philoctetes: Euripidis Hecuba, Oreſtes. Aliquando cum ſunt plures fabulæ de eodem, ad differentiam ſignifican-

dam coniunguntur perſonæ & res, ſeu locus, & fiunt inſcriptiones miſtæ. Vt Hercules furens Senecæ, quoniam alia eſt tragœdia eiuſdem, Hercules Oetæus. Sic Sophoclis duo ſunt Oedipi, alter tyrannus, alter Coloneus. Et prima tragœdia Sophoclis inſcribitur Aiax flagellifer, ſeu lorarius, vt nimirum ſeparetur ab alia fabula, quæ dicitur Aiax Locrenſis. Quamuis Dicæarchus, quem M. Tullius magnum & copioſum Peripateticum in Officiis nominat, Aiacis mortem hanc fabulam tradatur inſcripſiſſe. Eſt etiam Euripidis Iphigenia in Aulide, & Iphigenia in Tauris. Vbi porrò nomen confuſionem nullam parit, aliam inſcriptionem addere nihil eſt neceſſe. Quapropter recentiores quidam poetæ, videntes veterum fabulas huiuſmodi duplicata nomina præferentia, & cauſſam non ſatis perpendentes, peccant, cum ita ſuas comœdias, aut tragœdias inſcribunt, Ioſeph cognitus, Saulus conuerſus, Abſolon tumens, &c. Cum nec ipſi plures comœdias de eadem perſona fecerint: nec vel ab aliis de eadem ſcriptæ extent: vel ſi extent, idem prorſus argumentũ perſequantur. Vbi ergo in materia nulla eſt diuerſitas, appellationis diſcrimine quid fuit opus?

ÆSCHYLVS, SOPHOCLES, Euripides comparati.

CAPVT XXII.

TRES potiſsimùm apud Græcos tragœdiis præſtiterunt, Æſchylus, Sophocles, Euripides.

des. antiquior Sophocle traditur Æſchylus annis IX. Euripide quatuor & viginti: poſt quem anno ſexto Sophoclem anima reliquit. Atque hi duo, quemadmodum ætate inferiores, ita ſcriptionis excellentia ſuperiores Æſchylo iudicati ſunt: quãquam pleraq; illius quodammodo, labore & ſtudio tantum ſuo emendata, perpolita, & illuſtrata ederent. Scitum quippe fecerant Athenienſes, vt vnius Aeſchyli fabulæ in theatro agerentur. Qua de re Fabius his verbis. *Tragœdias primò in lucem Aeſchylus protulit, ſublimis & grauis, & grandiloquus ſæpe vſque ad vitium. Sed rudis in pleriſq; & incompoſitus. Propter quod correctas eius fabulas in certamen deferre poſterioribus poetis Athenienſes permiſere: ſuntq; eo modo multi coronati.* Eruditi porrò cenſent Sophoclis ſtylum, & dicendi characterem ab Euripideo differre in primis μεγαλοφωνίᾳ. Hinc prouerbium, Sophocleus cothurnus: quo vſus eſt Virgilius. Præterea ille eſt φιλυπέρβατος, hic φιλοσύνθετος. Ille grauior & ſimplicior: hic verſutior, argutior, diſertior, & omnino doctior: quippe qui Rhetores, Philoſophos præcipueq; Anaxagoram audierit, & philoſophiæ myſteria abſque verborum integumẽtis, ambagibusq; perſpicua oratione pulcherrimiſquè verſibus in ſcenam introduxerit: vnde etiam ſcenici philoſophi nomen eſt conſecutus, id quod litteris mandauit Athenæus. Acerrimi vir iudicij Quintilianus, plurimum Euripidi noſtro tribuit. *Longè clarius, inquit, illuſtrarunt tragœdiam Sophocles atque Euripides: quorum in diſpari dicendi via, vter ſit poeta melior, inter plurimos quæritur. Illud quidem nemo non fateatur neceſſe eſt, iis qui ſe ad agendum comparent, vtiliorem longè fore Euripidem. Namque is*

& in ſermone, quod ipſum reprehendunt, quibus grauitas & cothurnus, & ſonus Sophoclis videtur eſſe ſublimior, magis accedit oratorio generi, & ſentẽtiis denſus, & in his quæ à ſapientibus tradita ſunt pane ipſis par, & in dicẽdo ac reſpondendo cuilibet eorum, qui fuerũt in foro diſerti, compa-rãdus. In affectibus verò cum omnibus mirus. tum in his, quæ miſeratione conſtãt facilè præcipuus. M. Tullius epiſt. ad Tironẽ ſingulos ei⁹ verſus ſingula teſtimonia putat. Tuſcul. 4. à Socrate laudatum aſſerit. Laertius narrat, Crantorem philoſophum, ex poetis admirari ſolitum Homerum, & Euripidem: propter reconditam, credo, doctrinam & ſapientiam, quam in eorũ ſcriptis ineſſe perſpiciebat. Plutarchus in Nicia ſcribit, cum Syracuſani Athenienſibus magnam cladem inportaſſent, multoſq; captiuos abduxiſſent, nõ paucos ob Euripidem poetam incolumes conſeruatos. Eius enim poetæ carmina Siculi impenſius mirabantur, & ſi quæ à captiuis illis nanciſci poterant, ediſcebant. Vnde multi ſeruitute liberati, cum Athenas in patriam reuerterentur, Euripidem adhuc viuentem ſalutatum adibant, affirmabantq; ſe eius verſibus ſalutem & libertatem conſecutos. Plurimi item poſt prælium per ciuitates Siculorum diſperſi ac vagi, victum ſibi Euripideis recitandis quæritabant. Reſtat iudicium Ariſtotelis, quod ad extremum reſeruauimus. Sic ergo ille, *καὶ ὁ εὐριπίδης, εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ, ἀλλὰ τραγικώτατός γε τῶν ποιητῶν φαίνεται. Et Euripides tametſi alioqui nõ bene ſeruat Oeconomiam, ſeu fabulas non bene diſponit, & velut coagmentat, nihilominus maximè tragicus vtique poetarum* (tragicorum ſubintellige) *apparet* Qua oratione in vitio ponit Euripi-

Euripidem, & docet eum peccare in partibus fabulæ aptè decenterqúe collocandis, iisq́ rebus ex quibus conflatur & cohæret inter ſe conſtruendis, connectendis atq; coagmentandis. Cauſſa illa ſit fortaſſe, quia totã ætatem in ſtudiis litterarum & philoſophia conſumpſerat, ad Rempub. nunquam acceſſerat. Animo duntaxat & ingenio ea cernebat, & iudicabat, quæ Sophoclem vſus docuerat: quem & præturam Athenis geſsiſſe cum Pericle, & duxiſſe exercitum, & in rebus maioribus verſatum legimus. Quocirca τὸ ἴδιον δεῖ cognoſcere melius potuit, rectiuſqúe ad veriſimilitudinem facta fingere & inſtituere. Veruntamen vt in œconomia Euripidem reprehendit Ariſtoteles, ſic in altero ſuperaſſe omnes pronuntiat: vt ſit, inquam, maximè tragicus, ac proinde Sophocli anteponatur. Citra exceptionem principatus ei non debetur, quoniam ipſum tragœdiæ corpus minus rectè componit, & in perſonis imitandis haud omnino veriſimilitudinem conſeruat. Sed quia τραγικὸν, factum ſæuum, præcipuorum malorum, grauiſsimorumq́ incõmodorum plenum ſignificat, vult Ariſtoteles Euripidem in eo quod tragœdiæ proprium eſt præſtare cæteris, hoc eſt, plures, quam alios tragœdiarum auctores, acerbos caſus tragœdiis ſuis comprehendere, ſeu, illum tragœdias τραγικωτέρας, ſiue τραγικωτάτας facere. Argumentum huius rei, quod ex tot quas cõdidit, maior pars lugubrem ac triſtem habuit exitum: quod commendat Ariſtoteles.

DE BVCOLICA POESI.

CAPVT XXIII.

BVCOLICA poeſis perſonas humiles illa quidem, vt comœdia, veruntamen ruſticas, & agreſtes, non vrbanas, quæ ſunt paulò elegantiores, comminiſcitur: & eſt vmbra quædam ſeu quoddam ſimulacrum ruſticanę cōmœdię: quando nimirum in duobus illis poematū modis verſatur, quorum alter μιμητικὸς dicitur, alter μικτὸς: de quibus egimus cap. 8. lib. 1. Prioris generis exemplum eſto eclog. 1. *Tityre tu patula:* poſterioris ecloga 8. *Paſtorum Muſam.* Atq; iſtis imitandi modis ei cum reliquis poeſeos generibus, epopœia, comœdia, tragœdia ſocietas eſt. Argumenta & perſonas ſumit ab agris & ſyluis, paſtores, vinitores, aratores, olitores, accipitq; nomen potiſsimùm à paſtoribus, & iis quidem nobilioribus, bubulcis videlicet. Tractātur bucolicis vota, gratulationes, laudationes, obtrectationes, altercationes, cohortationes, pollicitationes, conqueſtiones, gaudia, pompæ, cātus, hilaritates, ioci. Verùm omnia agrū olere debēt. Ideo porro regnat in bucolicis hexameter, & præterea nullum genus carminis, quod narrationibus videtur accommodatiſsimus, & cātilenis ruſticis idoneus, nec ineptus actioni, modo ne adſit granditas, néue longiore ambitu circumducatur. Laudatur autem, ſi primus, & quartus pes integra voce terminetur, præſertim dactylica. *Tytire paſcentes à flumine reiice capellas.* Quod diligenter cu-

ter cuſtodiuit Theocritus. Definiatur ergo Bucolica poeſis: *ruſticarum actionum imitatio.* Fabula erit vna & ſimplex, non tamen digreſsiones non admittet. Nec neceſſe erit ſemper eſſe allegoricam. Nomina rebus apta fingemus: aut iam ficta à bonis auctoribus mutuabimur. Oratio vacabit ſplẽdore & ornamentis, g rauitate, ſententiarum acumine, iiſq; omnibus, quæ rerum humilitati aduerſantur. Erit autem pura ac demiſſa: in quo Theocritus anteſtat Virgilio. Partes conſtituunt duas, principium & narrationem. Interdum aliquid loco epilogi adiungitur.

DE ELEGIACA POESI.

VSVS, NOTATIO, INVENTOR Elegiæ.

CAPVT XXIV.

PENTAMETER ſolitarius non reperitur: quanquam Virgilius vni hexametro quatuor continuos ſubiecit.

Hos ego verſiculos feci, tulit alter honores,
Sic vos non vobis nidificatis aues.
Sic vos non vobis vellera fertis oues.
Sic vos non vobis mellificatis apes.
Sic vos non vobis fertis aratra boues.

Auſonius item in ſententiis ſeptem ſapientũ, Thaletis Mileſij dicta pẽtametris incluſit, quos ob elegantiam, & vtilitatem ad mores formandos adoleſcentibus ediſcendos propono.

Turpe quid auſurus, te ſine teſte time.
Vita perit, mortis gloria non moritur.
Quod facturus eris, dicere diſtuleris.
Crux eſt ſi metuas, vincere quod nequeas.
Nil nimium ſatis hoc, ne ſit & hoc nimium.
Cum verè obiurgas, ſic inimice iuuas.
Cum falſo laudas, ſic & amice noces.

Inueniuntur etiam ſoli pentametri apud Martianum Capellam de nuptiis Philologiæ & Mercurij lib.9.ad duodetriginta.Et apud Heliodorum ſcriptorem græcum in hiſtoria Æthiopica pentametris verſibus extat conſcripta ode. Cæterum hæc ſpecies carminis hexametro ſubdita,genus quoddam gignit,quod elegiacum vocatur.Tibull.

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pauidas mentes falſa timere iubent.

Etſi Pythiam ſcribat Athenæus inuerſo ordine reſpondiſſe de Charitone & Melanippo, ſic.

ἐυδαίμων χαείτων καὶ μελάνιππ☉ ἔφυ,
θείας ἀγισῆςες ἐφημερίοις φιλότητ☉.

Elegiaco primum res triſtes, & luctuoſæ mandabantur. Terentianus.

Hos elegos dixere, ſolet quod clauſula talis
Triſtibus, vt tradunt, aptior eſſe modis

Hoc ipſum nomen declarat: ductum eſt enim ἀπὸ τῦ ἔλεον λέγειν,vel ab ἒ, ἒλέγειν, quod idem eſt ac αἶ, αἶ λέγειν,& vtraq; interiectio vſitata eſt omnibus tragicis. Funebribus lamẽtationibus potiſsimùm inuentam elegiam inſinuat Ouidius, in mortem Tibulli.

Flebilis indignos elegeia ſolue capillos.
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit.

Et quia

Et quia in huiuſmodi lamẽtationibus mortui plerunq; laudantur, quidam παρὰ τὸ εὖ λέγειν τοὺς τεθνηκότας elegiam ſed falsò, nominatam dixerunt. Rectè igitur Horatius ad Tibullum ſcribens, miſerabiles elegos appellauit. Progreſſu temporis res ſecundæ, optatæ, & quidquid animus ferret, elegis ſcribi cœptum eſt: vt querelæ, expoſtulationes, preces, amores, vota, laudes, gratulationes, admonitiones, conuitia, &c. Ex vno Ouidio diſcas licet, quam varia ſit huius carminis materia. Nam vt prętercam epiſtolas heroidum, artem, remedia, & tres illos qui elegiarum libri nominantur, quæ omnia ad amores pertinent, funebria ſunt, quibus Druſi & Tibulli mortem deplorat. Sex libri: quorum tres priores Triſtium, tres reliqui de Ponto inſcribuntur, hi, inquam, omnes triſtia continent. Apud eundem lætæ elegiæ haud multæ: illa nempe, qua de triumpho gratulatur Germanico. Ibis verſatur in maledictis, quæ vt eruditi putant, melius iambis fuiſſent explicata. Eſt enim iambus conuitiorum, execrationum, & maledicentiæ miniſter aptiſsimus. In Faſtis docet. Maximè tamen amores laſciui hoc poemate tractabantur olim: qui querelarum, amaritiei, & acerbitatis plurimũ habent. Horatius ad Piſones.

Verſibus impariter iunctis querimonia primùm,
Poſt etiam incluſa eſt voti ſententia compos.

Solon vſus eſt elegia in ſcribendis legibus, quod memoriæ prodidit Laertius, qui eiuſdem verſus frequẽter recitat: quomodo & Demoſthenes orat. περὶ παραπρεσβείας quandam ipſius elegiam. Tyrtæus res bellicas elegis complexus eſt, quibus militum

litum animos adeo vehementer incitabat, ac permouebat, vt quaſi furentes, & lymphati in hoſtiũ ſe agmen inferrent. Vnde Horatius.

Tyrtæusq; mares animos in Martia bella
Verſibus exacuit.

Elegia item vſus eſt Theognis Megarenſis poeta vetuſtiſsimus non tantum in luſibus & amoribus, verum etiam in præceptis ad mores, & rectam vitæ inſtitutionem. Epicedia quoque, epigrammata, & epiſtolæ hac forma carminum conficiuntur. Iouianus Pontanus ad hymnos elegiam conuertit. Quod autem præcipiunt, vno diſticho, minimùm duobus finiri ſententiam oportere, prorſus nugatorium eſt, & hactenus à nullo obſeruatum.

VIRTVTES, ET ARTIFICIVM elegorum.

CAPVT XXV.

INTER omnia poemata propemodum vulgatiſsimum eſt elegia, eius tamen artificium perpaucis notum. Quare quæ huc ſpectantia legimus, & in elegiographis obſeruauimus, placitum eſt eorum participes facere poeticę alumnos. Oratio elegiaca terſa ſit oportet, lenis, ingenua, perſpicua, morata, tenera, affectibus referta, pathetica: & ſententiis exquiſitis minime obfuſcata, atq; impedita. Mirifice eam ornant frequentes commiſerationes, conqueſtiones, exclamationes, apoſtrophæ,

ſtrophæ, proſopopœiā, ſeu fictæ perſonę, excurſus, & παρεκβάσεις, ſeu breues, & cum re aptè cohærētes digreſsiones. Ornatur etiam inductionibus, & exemplis: exemplis, inquam, nō modò à ſimili, verùm etiam à diſsimili, à contrario. Interdum ad comparationem adhibentur. Interiiciuntur item ſententiæ tum breues, tum acutæ, quibus id quod eſt propoſitum, confirmatur. Magnum inprimis elegiæ decus eſt antiquitatis aliqua ſignificatio, qua aſpergi, & dum aliud narratur, diſtingui ac variari debet. Talis locus eſt apud Tibullum lib. 1. eleg. 7. de triumpho.

nouos pubes Romana triumphos
Vidit & euinctos brachia capta duces.
At te victrices lauros Meſſalla gerentem
Protabat niueis currus eburnus equis.

Et elegia 4. de equis Olympiacis.

Quàm iacet infirmæ venere vbi fata ſenectæ
Qui prior Eleo eſt carcere miſſus equus?

Ad antiquitatem meritò rediguntur hiſtoriæ atq; fabulæ, quibus moderatè vtendum eſt: manu etenim ſerere oportet, nō toto thylaco: ſecus eſt, cum inductione vti volumus: ibi quippe multas glomerari licet: immo enimuero oportet. Hoc in genere Tibullo præſtat longè Propertius, in quo maior eſt, quam in altero, poeticæ eruditionis ſupellex. Vnum admonebo, quo breuius paucioribusq; verbis antiquitates huiuſmodi, ſiue ad fabulam, ſiue ad hiſtoriam, ſiue ad aliquem priſcum ritum, morémue pertineāt, efferuntur, eo venuſtius carmen reddi. Propert. loquens de ſagis.

Tunc ego crediderim vobis, & ſidera & amnes
Poſſe Cythainis ducere carminibus.

Cythæa

Cythæa ſiue Cythia vrbs eſt Colchidis, patria Medeæ inſignis veneficæ. Ad Tullum.

At tu ſeu mollis quà tendit Ionia, ſeu quà
Lydia Pactoli tingit aratra liquor.

Et elegia ſequenti de Polynice & Eteocle Thebanis.

Armaq; fraterna triſtia militia.

Synalœphæ ſi vſquam alibi, hic vitandæ ſunt: frequentes item ecthlipſes: multum quippe fluentes illas huius carminis delicias remorantur, atque imminuunt quodammodo, & ſunt tanquam vortices ac ſcopuli quidam, vt in hoc hexametro videre eſt.

Aut abeuntis adhuc ſupremũ animæ halitum in auras.

Præterea Tibullus, vt Muretus animaduertit, elegantiam quandam iudicauit eſſe in eiuſdem ſyllabæ continuatione.

Me mea paupertas vita traducat inerti.
Ipſe ſeram teneras maturo tempore vites
Ruſticus, & facili grandia poma manu.
nam poſſe mederi.
Multa docet templis picta tabella tuis.
Nudus & æſtiui tempora ſicca canis.

Et hoc toties, vt conſtet id non caſu, ſed dedita opera factum. Dicitur iſtuc à Grammaticis cacemphaton, quaſi turpiter ſonans, & in vitiis orationis numeratur: cum nimirum ab ea ſyllaba poſterius verbum incipit, in quam prius exibat. Veruntamen niſi aliquid ex ſyllabis ita geminatis concurrentibusq; naſcatur, quod vel vt inhoneſtum, vel vt obſcœnum offendat, non videtur vſq; adeo iſte concurſus tanquam inſuauis fugiendus: ſiquidem tum apud oratores, tum poetas frequenter reperitur:

ritur: & Seruius in 2. Æneid. apud veteres vitioſum hoc non fuiſſe affirmat. Fit porro ſuauior, ſi monoſyllabum præcedat. *Me mea paupertas.* Et 1. Philipp. Quæ quæſita. Vt eo redeam, vnde pauliſper deflexi, idem poeta penthemimerim crebrò negligit in hexametro, & ex tarditate quandam iucunditatem aucupatur. Subiungemus aliquot teſtimonia.

Neu ſtrepitu terrete pedum, neu quærite nomen.
Illic eſt cuicunq; rapax mors venit amanti.
Tiſiphoneq; impexa feros pro crinibus angues.

Quid multa? ſexcenties occurret. Et Propertius id ſæpe facit.

Aſpice quos ſubmittit humus formoſa colores.
Quid tibi vis inſane meos ſentire furores?
Sed vobis facile eſt verba & componere fraudes.

Ouidius interdum cæſuræ ſubdit encliticam, & non iniucundum carmē efficit. Iucundius autem, quando idem fit poſt enneamimerim, vt in primo & quarto verſuum qui ſequuntur.

Sole tamen vinoq; calent, annosáq; precantur.
Iuſſa facit, ventoq; ratem committit & vndis.
Pallor abit ſubitaq; vident in corpore vires.
Imminet huic, ſequiturq; patrem ſimilisq; ferenti.
Nox & amor, vinumq; nihil moderabile ſuadent.

Talis Virgilij.

Mænalus argutumq; nemus, pinosq; loquentes.

Arbitror inſuper non modicum decus elegiæ acceſſurum per alluſiones ad apophthegmata: quod ipſum conſilium aliis quoq; carminibus commune eſto. Ita Virgilius cum dixiſſet, *nec te Troia cápit,* illud Philippi regis ad Alexandrum filium, qui ſolus Bucephalum perdomuerat, videtur exprimere,

mere, *μακεδονία σε ὐ χωρεῖ*. Et, *calumq́ obtexitur vmbra*, loquens de telorum multitudine, credi poteſt reſpexiſſe ad Laconis dictum, quod Cicero 1. Tuſcul. retulit. Cum enim Perſa hoſtis ei dixiſſet: ſolem hodie præ iaculorum multitudine non videbitis, reſpondit ille intrepidus: in vmbra igitur pugnabimus. Talia non pauca notabit in probatis poetis, qui multa audierit, plura legerit, ac memoria retinuerit.

DE INCISIONE PENTAMETRI, & eius exitu.

CAPVT XXVI.

INCISIONEM illam, cui græcè *πενθημιμερὴς*, latinè ſemiquinaria nomen eſt, perpetuò quidam Grammatici in hoc genere verſus requirunt, colliſionemq́ ſeu eliſionem in ea fieri prohibent: quod alioqui, vt dictitant, durus et aſper euaſurus ſit. Redigere fortaſſe nos volunt ad Ouidianam concinnitatem, quem poetam vnum maximè triuerũt. Ego verò nullum ferme, dempto Catullo, ab his in iudiciũ vocari video: apud quẽ iſtiuſmodi carmina legi minimè negauerim.

Quam veniens vna atq; altera rurſus hyems.
Ceſſarent neq; triſti imbre madere gena.
Muneraq; Muſarum hinc petis & Venerũ.
Nec deſiſtere amare omnia ſi facias.
Troia virũm & virtutum omnium acerba cinis.

Conce-

Concedamus iſta horridula,nec imitanda, aut rariſsimè imitanda eſſe: qui id in virtutibus ducunt, & libenter imitantur κακόζηλοι,& vitium κακοζηλία dicitur. Quod autem negant, ſyllabam, quæ poſt duos pedes relinquitur, & eſt pars extrema verbi proximè antegreſsi, breuem eſſe poſſe, adduntqúe rationē: propterea quòd, ſi in anapæſtos verſum diuidas, nequeat conſiſtere: neceſſe enim eſt tertium pedem ſpondeum eſſe, quem conficiunt duæ longæ: quod ſi penthemimeris illa ſit breuis, iambus fiet: hoc, inquam, poetæ nobiles non tam religioſè obſeruandum ſibi duxerũt, id quod patet his exemplis.

Catull.

Perſpecta eſt igitur vnica amicitia.

Propert.

Vinceris aut vincis, hac in amore rota eſt.

Tibull.

Lacteus & miſtus obriguiſſe liquor.

Ouid.

Indigus effectus omnibus ipſe magis.

Horatius quoq;, tametſi in alia forma verſus, ęquè cæſuram illam breuem non reformidauit. Quin etiam Virgilius toties Georg. Æneid.

Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.

Olli ſerua datur operum haud ignara Minerua.

At enim poetæ auctoritas ſeſe tuetur iudicio: ita vt temporis iacturam in ſyllaba, numerorum elegantia redimat. Pro cæſura tamen paulò durius collocatur monoſyllabum. Catullus in Cæſarem.

Nec ſcire vtrum ſis albus, an ater homo;

O dij reddite mî hoc pro pietate mea.

Mitigatur autem ſi antecedat monoſyllabum. Ouid.1. de Ponto.

Magna tamen ſpes eſt in bonitate Dei.

Nullum verò dubium eſt, quin pētameter, vt creberrimè, ſic aptiſsimè, & pulcherrimè in vocem diſſyllabam finiatur. in monoſyllabam autem non malè, ſi alia præceſſerit. Ouidius.

Præmia ſi ſtudio conſequar iſta ſat eſt.

Aut ſi antecedat hiatus, ſiue comploſio, quo ita cū præcedente coaleſcat, vt apud eundem,

Et ſolum conſtans in leuitate ſua eſt.

Alioqui dura carmina fiunt, & inſuauia, vt apud Catullum.

Aut facere, hæc à te dictaq; factaq; ſunt.

Etſi Ouidianum hoc non diſplicet ſanè, vbi extremam vocem monoſyllabam antecedit diſſyllaba.

Omnis at in magnos culpa Deos ſcelus eſt.

Nec etiam illud Martialis.

Sunt hæc trita quidem Zoile, ſed mea ſunt.

Quod verò docent, non eſſe ponenda in extremo metri huius vocabula duabus ſyllabis longiora, nimirum triſyllaba, tetraſyllaba, pentaſyllaba: niſi fortè ob impetum quendam, aut affectum, aut in exprimenda ſententia morali, aut in argutia, aut in epigrammatis, quaſi alioqui parum decenter, & feſtiue claudatur carmen: quodq́; Ouidium in ea re teſtem laudant, qui in omnibus ſcriptis ſuis vix decies trium, quatuórue ſyllabarum voces adhibuerit, idq́; in rebus triſtibus, vt aiunt, quibus proinde numeri mœſtiores conuenirent, ipſosq́; verſus ad vnum repræſentant, hoc, inquam, totum eſt inane, & friuolum, nullamq́; omnino vim habet, maio-

maiorúmque & meliorum poetarum, vt Catulli, Tibulli, Propertij auctoritate præponderatur. Quæſo num hi verſiculi adeo iniucundè ad aures accidunt? Propert.

Illis ampla ſatis forma pudicitia.
Libera tam duris cotibus Andromede.

Catullus.

Cum quibus illa malum fecit adulterium,
Iucundum cum ætas florida ver ageret.

Tibull.

Pomaq; non notis legit ab arboribus.
Haſura in noſtro tela gerit latere.

Videtur tamen mihi Propertius hunc leporem præcipuo quodam ſtudio frequentaſſe atque coluiſſe. Apud illum quippe voces iſtæ polyſyllabæ, in extremo carminis pentametri perquam frequentes cernuntur. Et quoniam ille poemata ſua vnus omnium maximè elaborauit, artíſque & imitationis pleniſsima vt eſſent, omni ratione cõtendit, & præterea quid bellum, nitidum, tenerum iudicare vnus optimè potuit, nobis non licet hanc finiendorum pentametrorum conſuetudinem criminari, nec vllo modo contrariã Grammaticorum doctrinam velut oraculum amplecti. Sileo de epigrammatis, in quibus hæ gratiæ ſingularem animis legentium voluptatem, infundũt. Sunt enim (quod ego quoque non inuitus confiteor) hæ longiuſculæ voces ad acutè, ſententioſè, grauiter, lepidè dicta exprimenda mirabiliter accommodatæ, Quamobrem cenſuerim eas in epigrammate componendo etiam ſtudioſè inueſtigandas: in elegia, ſi ſe obtulerint, non aſpernãdas.

Vtrobique nihilominus quod immodicum eſt, in vitio eſt, rectéque prouerbium καὶ τοῦ μέλιτος τὸ πλέον ἐστὶ χολή. Illi igitur non infrequenter plurium ſyllabarum nominibus pentametrum finiunt: vt eos appareat hac in re nō mediocrem venuſtatem ineſſe decreuiſſe. Addunt Grammatici, vitioſum eſſe in fine participium: quo de nolo plura: certè perrarò inuenies.

DE LYRICA POESI.

LAVDES, ET NOMINA LYRIcorum verſuum.

CAPVT XXVII.

DEVENIMVS aliquando ad id genus poematis diſſerendum, in quo facultas poetica totam ſe ad deliniendas hominum mentes, varietate verſiculorum (etenim cum olim vno genere formáque decurrerét Lyricum, ob maiorem voluptaté diſsimilibus numeris, & vario pedum diſcrimine ita temperatum eſt poſtea, vt innumerabiles lyricorum carminum ſpecies extiterint, quas Grammatici perſequuntur) breuitate eorundem, ac totius cantilenæ exquiſita vocum elegantia, nitore, ſono, concinnitudine numerorum, deſcriptione rerum ſuapte natura maxime delectabilium fingere & accommodare conſueuit. De hoc ſolo accepimus, eius iucundiſsima modulatione ſyluas, & ſaxa fuiſſe commota. Itaque quo modo

modo reliquæ partes poeſeos, eodem modo iſta ſuam ſibi inſignem notam vendicat, qua potiſsimùm commendatur, & ab aliis quaſi ſecernitur. Nam in carmine heroico quis neſciat dominari, & eminere grauitatem, in bucolico ſimplicitatem, in elegiaco teneritudinem ac mollitiem, in iambeo, & ſatyrico acrimoniam & acerbitatem, in comœdia iocos, in tragœdia πάθος, in epigrammatis acumen? Quæ igitur laus propria pæne relinquetur Lyricis? ſuauitas, quæ cum ex verborum floribus, ſentētiarum copia, collocatione pedum, rerum ipſarum ornamentis permagna exiſtat, acceſsione cantus, & fidium pulſu adhibito non mediocriter augetur.

Quapropter quod hæc carmina cum cantu, & ad lyram pronuntiari ſolerent, à canendo ᾠδαὶ (& forma diminutionis ᾠδάρια, paruæ odæ ſeu odulæ) vt latinè carmen eadem ratione, & κατ᾽ ἐξοχὴν ab inſtrumento muſico lyrica, & vates Lyrici cognominati ſunt. Dicuntur præterea Græcis appellationibus μέλη, μολπαὶ, ᾄσματα, quarum eadem eſt poteſtas, quæ primi illius: cantus enim iis ſignatur. A melos autem cùm vocetur melicum, non ignorandum eſt, propterea quod ea vox cantum ſignificaret, poetas omnes, quaſi cantores (quos ſe ipſi fatentur, cum ſe non ſcribere, aut loqui, ſed canere dicunt) appellatos fuiſſe melicos, & ipſam artem melicam, propter ſuauitatem nimirum. Veruntamen melicum carmen in eo dici maximè cæptum eſt, quod ad neruorum tibiarúmue cantum eſſet idoneum: qualia ſunt lyricum & dithy-

rambicum. Quinimmo, cùm melicum dicimus, nomine generis potiorem ſpeciem appellamus, & lyricum intelligimus. Melici ergo à lyricis ſeparari non debent. Simonidem Suidas nunc μελοποιὸν, nunc Lyricum vocat: & Platoni μελοποιοὶ canticorum ſcriptores ac Lyrici ſunt. Item Sapphus, Alcmanis, Anacreontis, qui in Lyricis numerantur, horum, inquam, verſus μέλη dicuntur. Iam igitur ſi melodiam (quo nomine harmonia afficitur) reliquis cantionum formis attribui videas, & Archilochi, Heſiodi, Mimnermi, Homeri, Phocyllidæ poemata μελῳδηθῆναι legeris, didiciſti, opinor, quid te intelligere oporteat. Sed ad nomina redeamus. Lyricum à laudatione atque votis appellatur hymnus, de quo ſeorſim agemus. Pindari Odas inſcriptas videmus εἴδη, quaſi poemata ſint rerum imagines quædam, vt vox latine ſonat, formę, ſpecies: hinc εἰδύλλια formulæ: fortaſsis formulæ poematis, ſeu parua poemata, poematia: qualia de Græcis fecit Theocritus Syracuſanus, de Latinis Auſonius.

DE PARTIBVS ODARVM.

CAPVT XXVIII.

CARMEN lyricum, quod ſcholiaſtæ Pindari tradiderunt, antiquitus tantum erat monoſtrophon, poſterius tribus partibus conſtare cœpit, ſtrophe, antiſtrophe, & epodo. Laudes quippe

quippe Deorum Dearumq; carminibus comprehenſas, aram circumiens chorus decantabat. Primum ambitum, quo ſiniſtrorſum ingrediebãtur, ϛροφὴν conuerſionem: alterum quem dextrorſum redeuntes conficiebant, ἀντιϛροφὴν reuerſionem, ipſa cantica oden & antoden vocabant: quæ quidem ab illis itionibus, & reditionibus etiam ſtrophæ, & antiſtrophæ. Tandem in medio, & velut in conſpectu Deorum quieſcẽtes, quod reliquum erat cantus perſoluebant: id ἐκ τοῦ ἐπᾴδεσθαι τῇ ϛροφῇ καὶ ἀντιϛροφῇ, quod accineretur cęteris partib⁹, ſiue διὰ τὸ μετὰ τὴν ϛροφὴν ᾄδεσθαι, quod poſt ſtrophen canebatur, ἐπῳδὸς dicebatur. Strophæ & antiſtrophæ totidem, ac iiſdem verſibus, pari ferè numero ſyllabarum componebantur: epodus alios, vel plures vel pauciores quàm illæ recipiebat. Si quando oda plures ſtrophas, & epodos haberet, in ſequentibus præcedentium ratio cuſtodiebatur. Et hic quidem mos Græcis fuit. Quod verò pręſcriptum eſt odis Horatianis, ode dicolos, tricolos, diſtrophos, tetraſtrophos, &c. declarat ex duobus, tribus, aut quatuor diuerſis generibus conflatas eſſe: & aliquando poſt ſecundum, interdum poſt tertium, aut quartum carmen reuerſionem fieri ad primũ genus. Itaq; ode ſecunda. *Iam ſatis terris.* Eſt dicolos tetraſtrophos. *Sic te diua potens.* Dicolos diſtrophos. Sed hæc vbęrius Grammatici.

DE REBVS, ET ARTIFICIO carminis lyrici.

CAPVT XXIX.

Q. HORATIVS huic generi materiam attribuit deorum heroumq; laudes, olympionicas,ſeu pugilum equitumq; victorias. Hanc adeo præcipuam eſſe indicauit & Pindarus his verſibus Olymp. carm. 2.

> ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι
> τίνα θεὸν, τίν᾽ ἥρωα
> τίνα δ᾽ ἄνδρα κελαδήσομεν;

Et Pindarum,vt aliâs,æmulatus Horatius,

> *Quem Virum,aut heroa,lyra,Vel acri*
> *Tibia ſumis celebrare Clio;*
> *Quem Deum,cuius recinet iocoſa*
> *Nomen imago?*

Atqui poſtea terminos protulit,& complexum eſt amores (quales celebrarunt Alcman, Sappho, Anacreon)conuiuia,compotationes, & res hilaritatis plenas.Hæc omnia argumenta eſſe Lyricorum oſtendit Flaccus,

> *Muſa dedit fidibus diuos pueroſq; Deorum,*
> *Et pugilem Victorem, & equum certamine primum,*
> *Et iuuenum curas, & libera Vina referre.*

Tractantur lyricis etiam iurgia, inſectationes, vota, preces, exhortationes ad voluptates honeſtas. Commendatur ſobrietas,iuſtitia, fides,continentia,parſimonia, religio cæteræq; virtutes, Laudes

eodem

eodem referuntur non deorum modo ac hominum,ſed aliarum quoque rerum.Itaque Horatius non ſolùm laudauit deos,Auguſtum,Mæcenatem, Druſum,Aelium Lamiam,Pindarum, verum etiã loca amœna, villas, vina, fontes, & virtutes, quas dixi paulò ante. Cadunt in lyricum vituperationes quoq; hominum, rerum,vitiorum : vt iniuſtitiæ,perfidiæ, libidinis, luxuriæ. Exhortationes ad capeſſenda pro Repub. pericula, deplorationes calamitatum publicarum, deſideria, conqueſtiones,locorum, temporum deſcriptiones,deliberationes, inuitationes, deteſtationes.Item quæcunq; lyricis numeris deuinciri, & breui poemate concludi videntur poſſe, ſub hoc genus cadere exiſtimantur. Steſichorus quidem & bella, & clariſsimos duces memorari hoc carmine poſſe monſtrauit. Quem imitatus Simonides, cum de Regum Perſarum hiſtoria elegias condidiſſet, certamen nauale ad Salaminam initum lyrico verſu cantauit. Pindari poeſin ſi quis inſpexerit,finibus non ſanè anguſtis lyrici materiam circũdabit.Fertur enim 17. libris poemata multa comprehendiſſe. De varietate poeſeos Pindaricæ Horatius quoque meminit.

Politam inprimis, candidam, floridam, & numeroſam dictionem, accuratam voluptatem, vegetum ingenium, animi libertatem non ſecus,quã vel ſatyræ, vel epigrammata, hilaritatem, digreſſiones & plures, & liberiores, quoniam ad laudationes amplificationesq; conferunt (vnde Pindarus in amœniora ſæpe loca vagatur)hæc, inquam, omnia requirit & amat poeſis lyrica. Non excuſat

frequentiam ſententiarum: quarũ aliæ ſunt apertæ, vt illa,

nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Aliæ quodam verborum circuitu tectæ, vt,

Tu ne quæſieris ſcire nefas quem mihi, quem tibi, &c.

lege Odam lib. 1.

Sæculum Pyrrhæ noua monſtra queſtæ.

Breuitate delectatus eſt Horatius: quod conſilium nos quoq; maximè probamus: nihil enim ſuauius, quàm poſſe plures epulas ſimul deguſtare.

LEPOS ET GRATIAE Anacreontei carminis.

CAPVT XXX.

VNVM genus inter lyrica eminet, cui Anacreonteo nomen indiderunt, ab Anacreonte nimirum, qui illud vel inuenit, vel vnus omnium creberrimè feliciſsimeq; tractauit. A menſuris & pede præcipuo iambicum dimetrum catalectum appellant. Primus pes iambus eſt, aut ſpondeus: alter iambus, tertius rurſum iambus, cũ vna ſyllaba, quæ plerunq; vocis antegreſſæ particula eſt. Quamuis Anacreon ipſe non raro anapeſtum, aliquando tribrachym prima regione locet: nonnunquã ſeu dimetra acatelecta, ſeu alias quaſdam dactylicorum ſpecies intermiſceat, quæ ſono & nu-

& numero prioribus illis catalectis nō admodum diſsimiles apparent. Hoc genus Anacreonteum adeo per ſe venuſtum eſt, vt nihil à quoquam venuſtius excogitari fingiq́; poſsit: & is, à quo nomen accepit, multas eidem ſuauitates, illecebraſq́; adiunxit. Eſt in eo, quemadmodum Quintil. de Xenophonte iudicat, inaffecta iucunditas: ſed quam nulla poſsit affectatio conſequi, vt ipſæ feciſſe ſermonem χάριτες videantur. Facilitas ſimplicitaſq́; carminis tanta, vt eam aut nullo modo, aut difficillimè labor & cura aſſequatur. Animaduertit hoc etiam diligentiſsimus Horatius: quo circa de illo ſcripſit.

Qui perſæpe caua teſtudine fleuit amorem,
Non elaboratum ad pedem.

Cum igitur tam dulce carmen hoc ſit, & tantum eidem leporum Anacreon pepererit, obſeruauimus quędam apud illum, vnde eius deliciolas bona ex parte manauiſſe putamus. Quæ ſi ſtudioſi imitabuntur, argumenta ipſa deteſtabūtur, vt item in Propertio, Horatio & aliis, rectè & Chriſtianè fecerint. Sunt imprimis ἀναφοραὶ, & ἀναδιπλώσεις latini repetitiones, & conduplicationes vocāt. His variè vſus eſt: quam varietatem exponemus, & exemplis omnia illuſtrabimus: quæ, vt latina demus, nemo poſtulet: eſt enim eorum feſtiuitas inimitabilis: docti iudicabunt.

Interdum duo verſus idem habēt principium, idq́; nunc initio Odes, vt

θέλω λέγειν ἀτρείδας,
θέλω δὲ κάδμον ᾄδειν.

Nunc

Nunc in medio,aut circa medium,

μή μοι ξένον τορεύσῃς,
μὴ φευκτὸν ἰσόρημα.

Nunc ad finem.

ἀντ᾽ ἀσπίδων ἁπασῶν,
ἀντ᾽ ἐγχέων ἁπάντων.

Aliquando tres verſus eodem modo exorditur.

τοῖς ἰχθύσι τὸ νηκτὸν,
τοῖς ὀρνέοις πέτασθαι,
τοῖς ἀνδράσι φρόνημα.

Hoc modo quãdam Oden claudit, cuius initium, *ὅτ᾽ ἐγὼ πίω τὸν οἶνον.* Illa ſanè belliſsima eſt repetitio Ode 5. vbi ſingularis in multitudinis numerum commutatur,loquitur autem de roſa.

ῥόδον ὦ φέριστον ἄνθος,
ῥόδον ἔαρος μέλημα,
ῥόδα καὶ θεοῖσι τερπνὰ,
ῥόδα παῖς ὁ τῆς κυθήρης
στέφεται.

In interrogationibus eſt multus & frequẽs, etiam initiis.In hirundinem.

τί σοι θέλοις ποιήσαι
τί σοι λάλη χελιδών;

Et alibi.

τί με τοὺς νόμους διδάσκεις
καὶ ῥητόρων ἀνάγκας;

Atque in fine etiam,

τίς ἂν οὖν ὁρῶν παρέλθοι
καταγώγιον τοιοῦτο;

Liben-

Libentiſsimè immiſcet articulos: quin etiam ſtatim iterat eoſdem.

τὸ ῥόδον τὸ τῶν ἐρώτων.
ὁ ἀνὴρ ὁ τῆς κυθήρης.

Quæ dulcedo à nobis latinè ſcribentibus, quando articulis funditus caremus, exprimi non poteſt. Sunt & hæc exempla conduplicationis.

θέλω θέλω μανῆναι.

Hunc verſum alicubi intercalarem facit: vt appareat perquam eo fuiſſe delectatum. Aliam Oden ſic incipit

θέλω θέλω φιλῆσαι.

Aliam ſic.

δότε μοι δότ᾽ ὦ γυναῖκες.

Et illam quoque in columbam pæne ſimiliter.

ἐρασμεῖα πέλεια
πόθεν πόθεν πέτασαι;
πόθεν μύρων τοσοῦτον.

Et rurſum hoc modo.

ἐγὼ δὲ τὰς κώμας μὲν
εἴτ᾽ εἰσιν, εἴτ᾽ ἀπῆλθον
οὐκ οἶδα, τοῦτο δ᾽ οἶδα, &c.

Ode, *ἡ ταντάλου πότ᾽ ἔστη*, duorum verſuum principia alternatim repetuntur, ſecundi etiam quartùm, vnico ſemper verſiculo interiecto. Sequitur deinde continenter trium verſuum ſimile principium. Deniq; nimium extenderetur oratio, ſi notare omnia ornamenta huius carminis velimus, quibus id condecorauit Anacreon: quæ legendo

ſentiri

ſentiri facilius, quàm vllis verbis explicari poſſunt.

DE HYMNO.

FINITIO HYMNI, ET *Antiquitas.*

CAPVT XXXI.

HYMNVS, propriè ſi loquamur, nihil eſt aliud, quàm ἡ εἰς θεὸν ᾠδὴ, *Dei laus per carmen, ſiue cantus in Deum*, ſicut Scholiaſtes Sophoclis definiuit, & confirmat reſponſum Anacreontis. Rhodigin. lib. 15. cap. 9. in qua quidem poeſi vates Chriſtianus cupidè, & cum lætitia verſari debet: eſt enim tum propter rem ſubiectam, tum propter quandam diuinam delectationem nobiliſsima. Nihil illa cum apud Græcos, tum Latinos antiquius: verſus ſiquidem & ad ſacra, & ad colenda numina adhibebantur primùm: quamuis quidam in agreſti vita apud paſtores prius extitiſſe vſum eorum affirment: ſed hoc obſcurius eſt. Hos igitur hymnos dicere quid vetat? Romæ non paulò ante, quam vllius poetæ extaret memoria, à Saliis ſacerdotibus Martis, verſus Saliares dicti, Numæ Pompilij inſtituto concinebantur, quos Rex ipſe, vt credebatur, compoſuerat. Teſtis fide dignus Cicero. *Numerorum vis aptior eſt in carminibus & cantibus, non neglecta à Numa Pompilio rege doctiſsimo, maioribusq; noſtris: vt epularum ſolennium fides & tibia, Saliorumq; verſus indicant.* Sed multò poſt ſequentibus

bus ſæculis hymnorum canendorum, Deorumq́ carmine rogandorum mos increbuit, quod narrat Horatius, poſtquam multa de poetices vtilitate commemorauit.

Caſtis cum pueris ignara puella mariti
Diſceret vnde preces, vatem ni Muſa dediſſet?
Poſcit opem chorus, & præſentia numina ſentit,
Cæleſtes implorat aquas doctà prece blandus,
Auertit morbos, metuenda pericula pellit,
Impetrat & pacem, & locupletem frugibus annum.

Et quoniam ex Hieronymo & Ioſepho Dauidem in morem Simonidis, Flacci, Pindari & Alcæi lyra perſonuiſſe conſtat, qui & Philoni κατ' ἐξοχὴν ὑμνογράφος, vt item pſalmi eius hymni: & certum eſt eum lyricis, & hymnographis Græcis multò maiorem natu eſſe, quod ex chronologiis apertè colligitur, non video quare hymni inuentionem non iuſtius Hebræis concedamus: maximè cum & Moyſes hexametris verſibus compoſitum carmẽ, teſte Ioſepho, id eſt, hymnum Deo cantauerit. Atqui Moyſes ipſum Dauidem quot ſæculis anteiuit?

Illud ſcire nos oportet, etſi hymnus propriè Dei Opt. Max. laus ſit, licere tamen nobis etiam diuos, hoc eſt eos, qui ex hac ęrumnoſa hominum vita demigrantes, in cælum recto itinere peruenerunt, & ab Eccleſia Catholica præcipua veneratione, templis ædificatis, diebus feſtis, & precibus ac cæremoniis anniuerſariis coluntur, hymnis celebrare, pro illis commentitiis ac deteſtandis Ethnicorum numinibus Ioue, Mercurio, Baccho, Iunone, Pallade, Venere. Ita quotidie ſacris in ædi-

bus

bus hymnos de gloria, & virtute cæleſtium à piis ſanctisq; viris conſcriptos decantari audimus. In quibus quanquam verborum pigmenta, & ſermonis puritatem non cernimus, pietatem nihilominus, vt Chriſtiani ſolent, reuerēmur ac ſuſpicimus.

DE HYMNIS IN DEVM Opt. Max.

CAPVT XXXII.

DEVM eſſe vnum eſſentia, trinum perſonis, omnes qui ſumus Chriſtiana diſciplina imbuti, credimus. Licebit ergo poetis Deum modo vt vnum canere, eiq́ue bonorum omnium ſummam perfectionem, & copiam tribuere: modo ſingulas perſonas ſeorſim celebrare, & religioſè ac timidè proprietates earum, quibus diſtingui ſolent explicare. De Deo patre loquemur tãquam de fonte æterni luminis, de principio ſine principio, de antiquiſsimo & fæcundiſsimo parente, de rerum & naturarum omnium effectore. Filius ante omnia tempora è patre natus, & patris ſapientia, mens & conſilium eſt, humani generis liberator, iudex orbis, rex ſæculorum immortalis. Spiritus ſanctus eſt bonitas, qui à patre & filio ab omni ęternitate proceſsit, qui eſt vtriuſque ſempiternus & inexplicabilis amor, diuinus ignis, qui hominũ animos cupiditate immortalitatis incendit. Hæc & plura ſeparatim de ſingulis dicuntur, cum interim

rim vna & eadem ſit omnium potentia, ſapientia, bonitas, virtus,maieſtas,æternitas.

Omnes autem illi hymni, qui certo aliquo anni, noctis aut diei tempore canendi ſcribuntur, vt ab Aurel. Prudentio in lib. καθημερινῶν ad galli cãtum,ante cibum,poſt cibum,ante ſomnum,ad incenſum cerei paſchalis, in Epiphaniam: ab aliis in Pentecoſten, Natalem Chriſti, Nomen Ieſu, ad preces matutinas, tertiæ, ſextæ, nonæ, veſperas, completorium, &c. ad Deum pertinere, & Deo ipſimet conſcribi intelliguntur, quod admonendum ratus ſum. Etſi Frãciſcus Bencius meus ſuos, quos ad preces horarias fecit, non malè ad certos quoſdam Sanctos direxit.

Quamuis autem de Deo infinita ſuggeratur dicendi materia, non idcirco exiſtimabit prudens poeta,quæcunq; à diuo Auguſtino, Hilario,à diuo Thoma, à ſcholaſticis doctoribus, à Dionyſio Areopagita, à Damaſceno, & aliis de Trinitate ac Deo ſubtiliſsimè diſputata fuerint, ea ſibi ſumenda eſſe ad explicandum.Illa potius ſumet, quæ nõ tam abſtruſa & ſpinoſa videbuntur,quæq; à populari intelligentia tantopere nõ abhorrebunt. Qua in re oratores prudentes imitabitur, quibus moderantur auditorum aures, & qui quod illæ reſpuunt, immutant: non philoſophos, qui diſceptant de iis,quæ ipſi ſoli intelligunt.Non paulò rectius faciet, qui hymnos pãget huiuſmodi, in quibus Dei erga genus humanum beneficia exponũtur,quam qui de proceſsione ſpiritus ſancti,de relationibus diuinis,& hypoſtaſibus, cæteriſq; obſcuriſsimis rebus philoſophabitur. Iam ſi mente

aſſequi illa myſteria vix, ac ne vix quidem datur, quid tandem, obſecro, in ſermone nobis continget, immo in carmine, vbi etiã perfectiſsimè percepta non quouis modo eloqui aut poſſumus, aut debemus? Quare celebremus vt ſapientiſsimum in rerum vniuerſarum procreatione, earundemq́ue gubernatione, vt potentiſsimum in conſeruatione. Laudemus vt liberaliſsimum in tanta beneficiorum copia: ſiquidẽ commoda quibus vtimur, lucem qua fruimur, ſpiritum quem ducimus ab ipſo nobis dari atque impartiri videmus, vt Orator dixit. Prædicemus vt clementiſsimum, maximeq́ue miſericordem, qui humanam naturam induit noſtri cauſſa, & interclusum ad cælos aditum ſua morte nobis reſerauit. Poterit inſuper religioſus poeta ea beneficia extollere, quæ priuatim ab ipſo eſt conſecutus. Alia item multa de Deo ſine periculo erroris licebit canere. Quomodo ſit mẽs ſoluta & libera, ab omni coniunctione materiæ penitus ſegregata, qui ſentiat, meminerit, præuideat, moueat, alat, foueat, ſuſtentet omnia. Nulli ſubiectus, omnia potens, nuſquam abſens, malorum vindex, bonorum remunerator, immutabilis, quem nullus attingat dolor, nullus angat metus, nulla perturbet iracundia, nulla torqueat inuidia.

Viſum hîc perelegantem M. Antonij Mureti hymnum apponere in S. Trinitatem.

O nullis hominum peruia ſenſibus
Natura penitus ſola capax tua,
Cuius condita ſunt omnia numine,
Æterna & monas & trias.

Nate

Nato æquæue pater, nateq́; par patri,
Et manans ab vtroq; inclyte ſpiritus,
Circumfuſa tuo nubila lumine
Noſtro diſcute pectore.
Da mens per ſpeculum cernere te queat
Noſtra, & poſthabitis te petat omnibus,
E iuſsisq́; tuis pendeat, & tibi
Soli dedita ſeruiat.
Tu clemens miſeris da veniam pater:
Tu fili miſeris ſterne viam ad patrem:
Tu ſanctum miſeris pneuma vagantibus
Præfer conſpicuam facem.
Simplex ætherei numinis vnitas,
Quæ diſtincta eadem eſt, veraq́; trinitas,
Æternis vigeat ſemper honoribus,
Et terra ſimul, & polo.

DE HYMNIS IN DIVOS.
CAPVT XXXIII.

ANTIQVI vates, præſertim Homerus & Orpheus, quoties falſos illos, & impuros deos canebant, multos ſanè locos enumerabãt, in quibus ipſi verſati fuiſſent, quibúſue præeſſent, & magnam inde epithetorum varietatem, ac multitudinem nominum coaceruabant, quibus hymnos ſuos referciebant. Nos hoc in cælitibus noſtris commendandis facere minus poſſumus. Quid ergo? totam, opinor, vitam, omnéſque actiones Diui explicabimus. Ne hoc quidem: non hymnus magis, quàm panegyricus diceretur: aut certè ad iniuſtam magnitudinem carmen ex-

creſceret. Eligemus igitur vnum aliquod factum, vnam aliquam præclariſsimam virtutem,ſeu plures, prout longi eſſe in animum induxerimus, & illam,illáſue, quàm poterimus ſuauiſsimè elegantiſsimeꝗ proſequemur. Licebit autem vel ſimpliciter extollere, & admirari ſanctum: vel tum hoc facere, tum ipſis laudibus breuem precationem annectere:qua id ab illo petamus, quod ipſum inprimis Deo annuente, nobis concedere velle exiſtimabimus. Interdum tantummodo aliquid rogare Diuum toto hymno poſſumus, quamuis eiuſdem laudes nunquam non intercurrent:& vſitatum eſſe omnes norunt,laudare eum à quo quid petas. Non indigent cælites noſtris laudibus: at nos eorum beneficiis indigemus. Initium hymni venuſtum eſt, quãdo cæteros mortales inuitamus ad ſanctorum nobiſcum concordibus votis modulanda præconia: cũ ſalutamus eoſdem, vt Prudentius Bethleemitas pueros.

Saluete flores martyrum,
Quos lucis ipſo in limine
Chriſti inſecutor ſuſtulit.

Item cum exordimur ab exclamatione.Exclamationibus autem, & admirationibus totos interdum hymnos complere licitũ eſt. Iam verò hymnis eccleſiaſticis perpetuo eam clauſulam adiungi animaduertimus, qua patri, filio & ſpiritui ſancto gloria honorqúe attribuitur, hac aut ſimilibus rationibus.

Deo patri ſit gloria,
Eiuſꝗ ſoli filio,
Cum Spiritu paraclito
Et nunc & in perpetuum,

Hoc

Hoc ſeruauit Hieronymus Vidas hymno in D. Homobonum.

Regi tamen ſit gloria
Horum datori munerum,
Qui trinus, Vnus, omnia
Regit Deus per ſæcula.

Et Sannazarius in diuum Gaudioſum.

Laus tibi cæli pater, atque princeps,
Omnium rector ſimul & creator,
Quem fides Veri ſtudioſa trinum
Credit & Vnum.

Et Muretus omnes hymnos ſuos ita concludit.

Simplex ætherei numinis Vnitas,
Quæ diſtincta eadem eſt, veraque trinitas,
Æternis Vigeat ſemper honoribus,
Et terrâ ſimul & polo.

Idem hymnum in D. Syluestrem Pont.Max. feſtiuè admodum inchoauit ab apoſtrophe ad vrbem Romam. Scimus autem hoc eſſe inſigne orationis ornamentum apud Rhetores: immo enimuero etiam apud poetas.

Priſcos Roma duces deſine laudibus
Efferre immodicis, qui Valida manu
Fines imperij protulerunt tui
Quacunque Oceanus patet.
Hic ſolus tibi plus contulit omnibus, &c.

Præterea hymnus in diem Epiphaniæ, eſt colloquium elegãs & pium inter poetam, & Magos. Interrogat poeta, quæ ipſos cauſſa è patrio ſolo huc adduxerit, quem quæſitum venerint, cui munera demum apportent. Reſpondent illi ad ſingula. Tum rurſus percontatur, quid ſingula dona ſibi velint: id Magi explicant. Hymnus ita diſtinctus ſequitur.

Poeta. *Quæ vos cauſſa Magi, dicite, perpulit*
E veſtris iter huc carpere finibus?
Quem tanto ſtudio quæritis anxij?
Quóue hæc munera pertinent?
Magi. *Nos ſtella inſoliti luminis huc trahit,*
Et dux certa viam perpetuò præit,
Iudææ populis quæ cupientibus
Regem ſignificet datum.
Poeta. *Auri iſthæc ſed enim quid ſibi pondera,*
Myrrhæ mirificus quid ſibi vult odor:
Aut quæ cum populus ſacra Deo facit
Aris thura ſolent dari?
Magi. *Rex auro colitur, thura deum decent,*
Noſtri myrrha homines poſt obitum linunt.
Huic ergo hæc pariter munera congruunt,
Qui eſt Rex, eſt & homo, & Deus.

Antequam colophonem addam, vnum monebo. Eſt autem hoc. Caueamus ὁμοιοτέλευτα in dimetris iambicis, quæ in Eccleſiaſticis hymnis perpetuo ſolent, anxiéque ſeruari. Nec mirum, quãdo eum leporem ſimiliter quæſitum ſtudiosè videmus in aliis plurimis, quæ leguntur & canuntur in templis. Si inciderint cum aliqua feſtiuitate, non erũt reiicienda, tanquam abſolutè ſempérque vitioſa. Inueſtiganda autem, & continenter vſurpanda nequaquam.

DE HYMNIS IN VIRG. Dei matrem.

CAPVT XXXIV.

QVANDO Eccleſia Catholica honoribus auguſtiſsimis Mariam virginem Diuum atq;

atq; hominum Reginam proſequitur, eamq; mū-dus vniuerſus ſuppliciter meritò veneratur, putaui etiam in hoc libro, atq; adeo in iſta hymnorum diſputatione aliquem tam ſacroſanctæ atq; diuinæ matri, & qualemcunque honorem præ cæteris cælitibus eſſe tribuendum. Cuius virtutes commendationesq; cum omnes pæne omnium libros expleuerint, deeſſe materia hymnographis nunquam poſsit. Mihi tamen rem totam animo complectenti, Deiparæ hymni in duo genera videntur poſſe diſtribui: nempe vt alij vniuerſi, ſeu vagi ſint, alij proprij ſeu certi. Id eſt, vt quidam eas laudes comprehendant, quæ in Virginem quouis tempore poſsint conuenire: quales ſunt, quod nata in familia Dauidis, quod ſemper virgo, quod pudica, verecūda, demiſsi animi, prudens, tabernaculum diuini ſpiritus, genitrix Dei, quod hiſtoriis tam multis iam olim adumbrata (quę cēſeri poterunt) quod à prophetis prænuntiata, quod humani generis amantiſsima, &c. Alij pertineant ad dies ſollennes, illi ab Eccleſia dicatos, ad Conceptionis, Natalis, Annuntiationis, Viſitationis, Expiationis, Aſſumptionis: vt ſint, inquam, horum dierum peculiares ac proprij.

In Cōceptione ergo prædicabimus, & ſuſpiciemus admirabilem prærogatiuam, quod in ſolam hanc macula illa fœdiſsima originis non ceciderit: addemus cauſſas τῆς ταύτης οἰκονομίας breuiſsimè. In Natalibus gratulabimur orbi terrarum diuiniſsimæ huius puellæ ortum, quam Deus pater placidiſsimis oculis, vt vnigeniti ſui futuram parentem aſpexerit, cui totum cælum arriſerit, & ap-

plauſerit. Valebit hîc vna & altera dulcis comparatio à nitidioribus floſculis, aut roſis exorientibus petita. Item ab aurora, à ſole, à ſtella ſurgentibus: harum quippe rerum ſpectacula gratiſsima ſunt, & inſignis eſt earũdem pulchritudo. Ad gaudiũ præterea & tripudia mortales excitare oportebit. In Annuntiatione ſatis fuerit rem geſtam cum ſtupore deſcribere. In Viſitatione matrum ſibi occurentium lætiſsimos complexus, & paruuli prophetæ intra vterum maternum exilientis, ac præſentem Deum geſtu, non voce ſalutantis officium. In expiatione Simeonem ſenem vlnis ſuſtinentem infantulum, cuius nec aſpectu expleri, nec oſculis ſatiari queat. In Aſſumptione magnificentiſsimum virginis triumphũ attingemus, & maieſtatẽ quam adepta apud filium ſit. De hac aſſumptione, quid D. Bernardus ſuo more, dulci videlicet eloquio ſcribat, accipiant, & ſibi pro argumento vſurpent poetices alumni. *Quod ſi paruuli necdum nati anima liquefacta eſt, vt Maria locuta eſt: quid putamus quanam illa fuerit cæleſtium exultatio, cum & vocem audire, & videre faciem, & beata eius frui præſentia meruerũt? Sed & illud quis cogitare ſufficiet, quàm glorioſe hodie mundi regina proceſſerit: & quanto deuotionis affectu tota in eius occurſum cæleſtium legionum prodierit multitudo? quibus ad thronum gloriæ canticis ſit deducta? quam placido vultu, quam ſerena facie, quam diuinis amplexibus ſuſcepta à filio, & ſuper omnem exaltãta creaturam? cum eo honore, quo tanta mater digna fuit: cum eo honore, qui tantum decuit filium. Felicia prorſus oſcula labiis impreſſa lactentis, cui virgineo mater applaudebat in gremio. Verum nunquid non feliciora cenſebimus, quæ ab ore ſedentis in dextra patris hodie in beata ſalutatione ſuſcepit,*

ſcepit, cùm aſcenderet ad thronum gloriæ, epithalamiũ canens & dicens: Oſculetur me oſculo oris ſui? Chriſti generationem, & Mariæ aſſumptionem quis enarrabit? Quantum enim gratiæ in terris adepta eſt præ cæteris, tantum & in cælis obtinet gloriæ ſingularis. Nihil etiã impedit, quo minus in hymnis iſtis ſeu propriis, ſeu vagis ſeruentur ea, quæ ſuperiore capite præſcripta fuerũt. Vnum reſtat, quod tacendum non eſt: oportere in his hymnis ineſſe aptam verborum dignitatem atque pondus, quantum verſiculi breues (quibus potiſsimùm hymnos ſcribimus) patiuntur, & ſuſtinere queunt. Nihil nec vulgare, nec vulgariter dicendum de Matre Dei, in qua omnia magna, diuina, cæleſtia ſunt.

METRA, LONGITVDO hymnorum.

CAPVT XXXV.

SI hoc in negotio priſcorum exempla conſideremus, minimè ambiguum eſt, hexametro hymnos contexi ſolere. Homerus enim, & illo maior natu Orpheus, & Callimachus in deos deáſque permultos longis verſibus condiderunt, qui ad citharam canebantur. Quos feliciter imitati ſunt Ioannes Picus Mirandulanus, & noſter Vida, Scaliger in tres perſonas Trinitatis, in Virginem genetricem, Apoſtolos, Stephanum, Laurentium alióſque cælicolas. Præterea Vida, ſicut ante eum Iouianus Pontanus, elegiacum carmen adhi-

buit, cum in Chriſtum è cruce pendentem hymnum faceret. In hymnis Eccleſiaſticis fermè lyrica tantum metra frequentantur; & ex horum generibus vt plurimum iambica dimetra acatalecta, itemq; Sapphica. Nos rem cuilibet integram relinquimus, & hymnos lyrico metro factos potiſsimùm probamus.

Hymni qui hexametris verſibus fiunt, vt plurimum ſunt longiſsimi, & potius libri ſeu volumina, vt videre eſt apud eos, quos paulò ante nominaui. Aliorum generũ plerunq; contracti ſunt, & non ita multorum carminum. Quanquam Aurelius Prudentius pæne ſemper conficiat longiſsimos. Certa menſura conſtitui non poteſt. Illud ſcio, quemadmodum me, ſic alios multos ſcita & ornata breuitate mirum in modum delectari. Ex vna ſtrophe (ſic quippe libet appellare qualiumcunque verſuum quaternionem) non fit lyricum, nec hymnus. Ex duabus apud Horatium legimus Sapphica. *O Venus Regina Cnidi*, lib. 1. Ode. 30. Et *Perſicos odi puer apparatus*, eiuſdem lib. Ode vltima. Et, *Montium cuſtos nemorumq; Virgo* lib. 3. Ode 22. Eodem modo hymnus ex duabus minimum fieri poteſt.

Et hæc de hymnis pro tenuitate noſtra. Quæ ſi nimium pauca, minusq; accurata videbuntur, hoc reſponſum eſto, non habuiſſe me (vt neq; in funebri poeſi, quæ tractatio infra, diſciplinã epigrammatariã ſequetur) cuius veſtigiis ingrederer: propterea ſcilicet, quod hæc pars poeſeos nobis quidẽ Chriſtianis & Catholicis perfamiliaris, & perquam vſitata eſt: at non veteribus, aut certe aliter
veteri-

veteribus, quam nobis, vt ex dictis planum fieri potuit. Porrò quamuis eccleſiaſticorum hymnorum ingens extet numerus, tamē (quod fateri neceſſe eſt) non ea diligentia, eóq; ingenio contexti, elaboratiq́; ſunt, vt inde artem aliquam plenam colligere queas: magisq́; illorum auctorum ſancti mores admirandi, quam ipſi ſcribendo magnopere imitandi ſunt, iuxta illud, quod è Grammatico haud contemnendo, cuius præceptionibus puer inſtituebar, etiam hodie memini.

Tu viuendo bonos, ſcribendo ſequare peritos.

DE IAMBEA POESI.

CAPVT XXXVI.

FACTITATOS eſſe iambos ante comœdiā quæ ex illis poſtea profluxerit, quomodo ex heroica poeſi tragœdia, auctor eſt Ariſtoteles. Nam ſimiliter vt materies grauium, honeſtarumq; rerum, quæ carmen heroicum efficiebat, adiūcta forma dramaticæ imitationis tragœdiam procreauit: ſic ridicula, ioci, conuitia, cauillationes, quæ iambico tractabantur, dramate adhibito ipſam comœdiam genuerunt. Ergo iam tum illis temporibus res humiliores, maledicta, iocationes materiam dabant iambographis: qui poetæ verſi deinde ſunt in Comicos, manēte eadem materia, forma verò τῆς μιμήσεως commutata. Conſtat igitur, quam ſit antiqua hæc poeſis: nempe æqualis ſeu æquæua ipſi heroicæ. Cùm porrò priſci mor-

tales iambicis plerunq; numeris mutuùm rodere, & lacerare conſueuiſſent, & hi ſe inter maledicendum obiurgandumq́; frequentes offerrent (quò etiam *παρὰ τὸ ἰαμβίζειν*, conuitiari, probra iacere nominatum húnc verſum contendit Ariſtoteles) euenit, vt qui poſtea verſibus corruptos & improbos aliorum mores, vitamq́; inſectarentur, hoſce numeros ſequerentur, tanquam inſtituto accommodatiſsimos: ſiquidem & Strabo ait: *ὅτ' ἴαμβος κακισμοῖς οἰκεῖος ἐστὶ, καὶ τῷ ἰαμβίζειν*. Et quia vitia accuſarēt poetæ iambici, ſolutosq́; hominum mores liberius & acrius reprehenderent, permiſſum id illis fuit, ſiue peccatorum, ſiue peccantium odio: tantóque magis permiſſum, quod iſtuc negotium ad corrigendas vitæ rationes, & emendandos animos non parum valere animaduerſum eſt: cum quiſq; in ſtudio haberet, vt in iſtam aciem, hoc eſt in poetarum vituperationem, reprehenſionem, maledicentiam ne incurreret.

Cognoſci iam poteſt, vt exiſtimo, in quibus qualibúſue argumentis potiſsimum exerceatur hoc genus poeſeos: in obiurgationibus, reprehenſionibus, vituperationibus, deteſtationibus, quorum omnium materia ſunt vitia, ſcelera, flagitia, mali mores deniq;. Item quæcunq; nō decent, aut aliena ſunt virtutis, grauitatis, honeſtatis. Non ergo adhibendum hoc genus carminum neq; ad probos, & innocentes vulnerandos, neq; ad nocentes & improbos commendandos: quandoquidē quomodo in hos non cadit virtus, quam ſolam laudari par eſt: ſic in illos non cadit turpitudo, quæ aut ſola, aut maximè vituperatur. Haud iniuriâ ſæuiit

hoc

hoc ſtimulo Catullus in Suffenum, Egnatium, Strumam, Vatinium, Mamurram, Cæſarem. Horatius (quanquam epodis) in Mænam libertum Pompeij, in Mæuium poetam, homines ineptos, arrogantes, ſuperbos, honore indigniſsimos, luxurioſos, inuidos, impudicos. Ex his duobus ſolis diſcere poſſumus rationem modumq́ꝫ huius carminis rectè componendi: in aliis vix eiuſmodi iambos inuenias, vt de imitatione admodum cogitandum ſit. Ac Horatius quidem apud Latinos primum ſe eſſe gloriatur, qui hoc carmen dederit: in quo ab illa Archilochia acerbitate & verbis, quę Lycamben ad laqueum compulerunt, abſtinuerit: eius tamen poetæ vim & ſpiritum retinuerit, atque expreſſerit.

Parios ego primus iambos
Oſtendi Latio, numeros animosq́ꝫ ſecutus
Archilochi, non res & agentia verba Lycamben.

Significat ergo Flaccus ſe moderatiorẽ extitiſſe. Catullum antiquiorem quin boni harum rerum æſtimatores omnibus iambographis Latinis præferant, nihil dubito. Vſurpant nihilominus iambum, etiamſi id minus propriè, in laudatione, in gratulationibus Catullus, & Flaccus. Ille Phaſelum ſuam prædicat, & peninſulam Sirmionem: hic vitam ruſticã. *Beatus ille qui procul, &c.* præterea Canidiam veneficã irridet. Docet Ariſtoteles conuenire iambicis verba tranſlata, & cum maximè imitetur locutionem quotidianam ſeu vulgarem, ea nomina, quibuſcunque in ſermonibus vteretur aliquis: cuiuſmodi ſunt, inquit, propria & tranſlata, & ornamentum. Qua voce putant Ariſtotelem ſignifi-

ſignificare voluiſſe, hoc poema maximè excoli, & ornari debere. Illud ad extremum noſſe te velim, nomine iambi ſiue iamborum intelligere, & accipere frequenter doctiores non pedem (ſiquidem de pedibus non diſputamus) ſed ipſum verſum: ſic enim cum pes, tum verſus, eadem ſcilicet voce ſæpenumero appellatur. Hac eadem voce (quomodo etiam cum dico, iambicum ſiue iambeum) intelligo nihilominus illud genus ſenarij, quod vltimum pedem ſpõdeum poſtulat loco iambi: quem tamen ſpondeum præcedat iambus. Quod idcirco fieri oportet, vt verſus nimia tarditate ne langueſcat. Quanquam Græci, quibus eſt nihil negatum, & Seuerinus Boëtius lib. de conſolat. philoſophiæ ſpondeum quinta ſede collocare non verentur. Huiuſmodi verſus ſcazontes ſeu choliambi, quaſi dicas claudicantes ſeu claudi, aut mutilati iambi vocantur (priores enim, qui iambo finiuntur, recti dicuntur) quibus perſæpe vtitur Martialis. Etenim cum verſus iambicus ad maledicendum reperiatur aptiſsimus, tum neſcio quo pacto in hoc vno negotio ſupra cæteros iſti ſcazontes excellunt. De vtroq; Ouid.

Liber in aduerſos hoſtes ſtringatur iambus,
Seu celer, extremum ſeu trahat ille pedem.

Lege Politian. Miſcel. cap. 64.

DE SA-

DE SATYRICA POESI.

NOMEN, ORIGO, ET NATVRA *Satyræ.*

CAPVT XXXVII.

POEMATIS huius appellatio vnde nam tandem facta ſit, necdũ pro certo affirmari poteſt. A lancis genere inditam eſſe quibuſdam placet:illo nempe, quo ſacris cerealibus primitiæ inferebantur fructuum diſsimilium. Sic in ſatyra, inquiunt, variæ ac diuerſæ res tractari ſolent,quibus illa velut expletur & ſatiatur. Hinc atque à ſatietate ſatyram, quaſi ſaturam appellari viſum eſt: à quibus parum diſſentiunt, qui à ſatyra farciminis genere, quod auctore Varrone paſſa, polenta, nucleis pineis mulſo conſperſis farciebatur, & tãquam ſaturabatur, deductum hoc nomen putant. Malunt alij à ſatyra lege,quæ multas leges, multáque vitia vno quaſi faſce comprehendebat. Fortaſsis autem lex iſta ſatyram conſecuta, potius ab ipſa nomen accepit, quam dedit. A ſaliendo quoque dictam crediderunt aliqui, ob argumentorum varietatem: per quam fit, vt more ſatyri animantis illius ſine modo atque ordine huc illuc ferri,rapi,ac volitare videatur. Quid ſi ab ipſiſmet ſatyris? quando in hoc poemate videmus diis illis petulcis,laſciuis,dicacibus digna proferri, & ſatyricis fabulis iſta ipſa poeſis ſucceſsit. Inter ipſos enim actus tragœdiæ, aut etiam acta iam tragœdia, vt il-

vt illius ſeueritas triſtitiaq́ꝫ riſu, & hilaritate aliqua temperaretur, ſatyros inducebant, qui luſibus, iocis, ſcommatis feſſum, & tam atrocibus rebus audiendis mœſtum ac perturbatum ſpectatorem reficerent, atque ad iucunditatem traducerent. Nam tragœdiæ ipſi hilaritas & riſus inimica ſunt. Horat.

Carmine qui tragico vilem certauit ob hircum,
Mox etiam agreſtes ſatyros nudauit, & aſper
Incolumi grauitate iocum tentauit: eò quod
Illecebris erat & grata nouitate morandus
Spectator functuſq́ꝫ ſacris, & potus, & exlex.

Verùm iſtuc in Latinis tragœdiis non fiebat, & Græcorum inuentum putatur. Fabulæ ſatyricæ non multum diuerſæ fuerunt ab Atellanis: cum vtrobique mos eſſet, omnia ſuis ac propriis verbis Cynice, id eſt, ſine pudore efferre, ſermone parum verecundo, libero, aculeato, & ad riſus eliciendos idoneo: quos quidem ſatyri etiam vultu, & toto corpore mouebant. Excluſi poſtea dicuntur tragœdia ſatyri, & migrauit in comœdiam veterem illam ſatyra, vbi locus procacitati & licentiæ ſatyrorum dari opportunior putabatur. Chorus autẽ maximè ſatyricus, & acerbus fuit, ac ciues improbos nominatim, nobiles iuxta ac ignobiles carpere ſolitus eſt. Cum igitur id potentioribus vehementer diſpliceret, & limites egredi chorus cenſeretur, ſublatus eſt. Itaq́ꝫ Horatius.

Succeſſit vetus his comœdia non ſine multa
Laude, ſed in vitium libertas excidit, & vim
Dignam lege regi. Lex eſt accepta, chorusq́ꝫ
Turpiter obticuit ſublato iure nocendi.

Sed antiquæ comœdiæ locum apud Latinos occupauit

cupauit ſatyra, quod genus poematis Græci nõ fecerunt, teſte Quintil. Numeros Latini mutarunt, ſeu nouam quandam formam maledicendi atque inſectandi repererunt. Primus ſatyrographus Lucillius, maior auunculus Pompei Magni, qui primus naſi ſtylum acuiſſe dictus eſt à Plinio. Hic in ciuium vitiis liberrimè, ac ſalſiſsimè, accuſandis, planeqúe ſatyrice exagitandis primo iambis vſus eſt: quemadmodum Varro quoque poſt illum. Deinde ſenarios in hexametros mutauit, quia hic verſus narrationi congruebat magis. Hunc Fabius & primùm fuiſſe Satyricum, & inſignem laudẽ adeptum ſcripſit. Poſt Lucillium numerantur Terentius Varro, Horatius, Perſius, Iuuenalis. Arbitror iam ſatis intelligi, quale ſit poema ſatyra: vrbanum nempe, iocoſum, ſalſum, ad reprehendendos mores corruptos, & inſectandam vitę improbitatem comparatum.

ARGVMENTA, FINIS, VTIlitas ſatyræ.

CAPVT XXXVIII.

QVEMADMODVM priſcæ illius comœdię, item iamborum, & quorundam epigrammatum, ita ſatyræ quoq; materia dici poteſt turpitudo vel riſu digna, vel odio. Quocirca ſi quid ridiculum, aut odioſum non eſt, habet autem luctum, terrorem, commiſerationem, vt res tragœdiarum, in ſatyram minimè cadit. Ergo in duobus peccatorum vitiorúmue generibus perſequendis omne ſtudium ſatyrici verſabitur, quo-

rum aliud riſum, aliud deteſtationem mereatur. Quanquam aliquando flagitia & ſcelera magna etiam ridentur, & multò ſalſius. Sæpius tales riſus ridet Horatius,& eſt cæteris duobus iocoſior. Perſius triſtior eſt,Iuuenalis petulantior. Primum rectè appellaueris feſtiuũ ac lepidum deriſorem, ſecundum tetricum cẽſorem,tertium petulcũ & ſatyricum,& ſatyrum.Irridet & exagitat ſatyra inertes,paraſitos,deformes,loquaces, ingratos, ambitioſos, ꝓdigos, libidinoſos,potatores, auaros,fœneratores, ſicarios, fures,adulteros,&c. Rectè etiã fecerit, qui morbos animi ſatyræ ſubiecerit, quòd in his non ſecus occupata eſt, quam medicorũ ars in doloribus, vulneribus & ægrotationibus corporum. Proponit vtraque ſibi ſanitatem: ſed iſta oratione, illa potionibus & herbis. Medicinas ambę ægrotis faciunt amaras,inſuaues,& ingratas,ſecant,vrunt, non parcunt. Ergo ſatyram ad homines abſterrendos à vitiis,& ad virtutem obiurgatione irriſioneq́ impellendos natã habemus confiteri. Ex quo patet, quanta ſit eius vtilitas: corriguntur nimirum peruerſi, & reliqui aculeos poetarum iſtorum metuentes,à nequitia & ſcelere lõgius refugiunt. Et quoniam amore virtutis abſtinere ſe à prauis actionibus nolunt, formidine huius pœnæ & infamiæ,quod nolunt,id facere compelluntur. Veruntamen ioci & ſales ſatyrici carere obſcœnitate rerum verborumq́ debent, & crimina libidinesq́ ita reprehẽdi, vt ne dum animos reorum purgare volumus, alios interim ſinceros & innocentes collutulemus, & ad morum turpitudinem quaſi inuitemus. Diligentior hac in re Perſius,& ſeuerior quam Horatius,& Iuuenalis.

ARTIFICIVM SATYRAE.

CAPVT XXXIX.

DOCVIMVS ſatyram quandam eſſe medicinam: quapropter ne ea ob amaritudinem ab ægroto ſtatim reſpuatur, imitandi nobis erunt medici, de quibus ita Lucretius.

Nam veluti pueris abſinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flauoq; liquore,
Vt puerorum ætas improuida ludificetur
Labrorum tenus, interea perpotet amarum
Abſinthi laticem, deceptaq; non capiatur,
Sed potius tali tactu recreata valeſcat.

Eodem prorſus modo illinenda ſunt quibuſdam ſuauitatibus obiurgationes ſatyricæ: vt æquiore animo excipiantur: iocis nempe & facetiis, quibus quodammodo animi ad hanc alioqui amarã potionem exhauriendam præparantur, & inducuntur. Sed oræ poculi nimirum vrbanitate iſta condiuntur, & tum demum ſentitur medicamenti amarities, cum eſt in ipſa viſcera demiſſum. Quam rationem mirificè tenuit Horatius, qui admiſſus circum præcordia ludit, Perſio teſte. Nec dubitauit ipſemet hac de re prædicare.

Præterea ne ſic, vt qui iocularia ridens
Percurram, quanquam ridentem dicere verum
Quid vetat? vt pueris olim dant cruſtula blandi
Doctores, elementa velint vt diſcere prima.

Et quamuis ad virtutem cohortari, à vitiis autem auocare magna contentione debeat ſatyra, non ideo tamen eam de ipſis diſputare conuenit: quod munus philoſophiæ relinquẽdum eſt, quæ & ma-

giſtra virtutum, & vitiorum ſola explicatrix habetur. Verſutum, ſagax, callidum, diſertum, acutum ingenium hic requiritur, & à leporibus minimè abhorrens atque alienum. Vtebantur ſatyrici veteres plerunque fictis nominibus, cum timerent potentiores in ſe ciues irritare, ſi eos apertè laceſsiuiſsent. Aliquando ita fictis vtebantur, vt tamẽ eorum ſignificatio cum illorum vita moribusq́ congrueret. Interdum vera nomina ponebant, cum aliquos ſimili ſcelere inſignes exagitabant. Sic Nero pro crudeli, Clodius pro mœcho, & cætera ad eundem modum. Noſtri poetæ, quod iam pridem obſeruaui, quando epigrammatis, ſatyris, aut alia quacunq; poeſi flagitium alicuius, aut peccatum duntaxat reprehẽdunt, parcunt nominibus, & ex Martiale, Horatio, Iuuenale mutua ſumunt. Pontilianus, Fuſcus, Ponticus, Gargilianus, Poſthumus, Glaphyre, Creſtilla, Lycoris & ſimilia: aut ipſi noua quædam fingunt ex vocibus ſeu græcis, ſeu latinis, ſeu barbaris. Amat ſatyrá varietatem materiæ & argumẽtorum, crebras ſententias, & acutas, atq; etiam acres, dictionem ſubmiſſam, quotidianæ locutioni ſimilem, remiſſos molliores'q; numeros, puritatem & elegantiam in verbis. Partes certas nullas habet: aliquando inſinuatione, ſæpius abrupto & incitato principio vtitur. Et licet abrupta principia ſint, ad totius tamen corporis compoſitionem pertinere debent: ſemperqúe loco exordij aliquid eſſe neceſſe eſt, quod ad ea quę ſequũtur facilem comparet beneuolumq́ auditorem. Atque illo principio Horatius,

Qui fit Mæcenas, vt nemo quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit, ſeu fors obiecerit, illa
Contentus viuat, laudet diuerſa ſequentes?

id proponit, quod vbi longa exemplorum enumeratione probauit, aptè concludit.

POETICARVM INSTITVTIONVM LIBER TERTIVS.

DE EPIGRAMMATE.

NOTATIO, ET VSVS EPIgrammatis.

CAPVT I.

EPIGRAMMA *παρὰ τοῦ ἐπιγράφειν*, ſuperſcribere, ſeu inſcribere, principiò erat tantùm ἐπιγραφὴ, ſuperſcriptio, ſeu inſcriptio, & quidem ἄμετρος, ſeu numeris libera: nam breuia poematia, quæ nunc epigrammata vſurpantur, poſterius hanc appellationẽ tulerunt. Apud Strabonem huiuſmodi legitur epigramma in Cyrum, quod eſt eiuſdem epitaphiũ. *ὦ ἄνθρωπε, ἐγὼ Κῦρος ὁ τὴν ἀρχὴν τοῖς Πέρσαις κτησάμενος, καὶ τῆς Ἀσίας βασιλεύς. μὴ οὖν φθονήσεις τοῦ μνήματος. Audi viator: ego ſum Cyrus Aſiæ Rex, qui Perſis imperium peperi: ne itaq; mihi ſepulcrum inuideris* Pauſaniæ vnica

nica vox, ἐνυάλιος, epigramma vocatur, ſic enim inquit: ἐπίγραμμά ἐστιν αὐτῷ, ἐνυάλιος, vt ſi dixiſſet, ἐπιγραφὴν ἔχει, ἐπιγέγραπται αὐτῷ. Fuerunt igitur epigramma olim pauca verba, poeticis ſoluta numeris, & pro elogiis inſcripta, àut inciſa ſtatuis, trophæis, imaginibus, clypeis, nauibus, ſepulchris, monumentis, delùbris, ædificiis, magnificis demum operibus. Quam poſtea varius ac multiplex eiuſdem vſus increbuerit, ex Anthologia epigrãmatum Græcorum, ex epigrammatariis Latinis, Martiale potiſsimùm, & ex iis quæ deinceps differentur, planiſsimum fiet. Videlicet quidquid de re tum animata, tum inanima eleganter, acutè, vrbanè, breuiter ἐμμέτρως, ſeu verſu dictum eſſet, ſeu laudationem, ſeu vituperationem, ſeu triſte, ſeu lætum, ſeu aliud quippiam contineret, epigrammatis ambitu ac terminis includebatur, nullo ad inſcriptionem reſpectu.

LAVS EPIGRAMMATIS, Materia, difficultas.

CAPVT II.

EPIGRAMMA non ſolùm propter elocutionis concinnitudinem, venuſtatem, dulcem in modum cadentes numeros, breuitatem, varias deniq; blanditias, delectationes, verum etiam propter acumen, & ingenium admirari conſueuimus. Reliquæ ſpecies poematum ſuo vnaquæq; artificio magnam lectori voluptatem, magnam poetæ gloriam conciliat. Ars epigrammatum

tum æquè nobis vtramq; pollicetur. Iam ipſa horum componendorum exercitatio perpolit ingenium,& quodammodo elimat. Ad prudenter,ingenioſè, lepidè dicta cum in aliis ſubitò animaduertenda, tum in noſtris ſermonibus, Marte noſtro adhibẽda nos velut magiſtra inſtituit ac præparat. Verborum luxuriam, vt foliorum, amputat, nihilq; inane, & otioſum permittit. Ad delectandum,& mouendum valet plurimum.

In rebus autem epigrammati ſubiectis maxima eſt,ac pæne incredibilis viciſsitudo.Hoc inſigne & memorabile dictum: illud feſtiuum acroama:hoc facetum apologum: iſtuc lepidum, aut graue prouerbium complectitur. In alio eſt laus, in alio reprehenſio, in alio admonitio, aut cohortatio, aut conqueſtio,aut iocatio,aut fabula,aut luſus,aut ſimile quid. Atq; vt Horatius de verſibus impariter iunctis, hoc eſt elegiacis, primùm iis fuiſſe incluſam querimoniam,hoc eſt, res triſtes, poſt,ſententiam voti compotem,hoc eſt,optatas & ſecundas: ſic nos dicamus licet, triſtia, & læta eſſe epigrammatis materiam, quibus duobus generibus tanquam ſummis omnia cõprehendimus: ſicut illis verbis Horatianis interroganti de materia elegiaci carminis,probè reſpondetur.

Cæterùm quam egregium, tam difficile eſt ſuis numeris perfectum epigramma. Non igitur ſatis eſt delegiſſe materiam, lectiſsima vocabula contraxiſſe, adiuncta ad nomen ſeu epitheta (quanquam non citra delectum)in promptu habere,ſuo quæq; dicendi charactere efferre didiciſſe: videndum præterea, vt aut proſimus, aut delectemus, aut vtrunque ſimul effectum demus.Conandum, vt ea-

vt eadem iſta quàm breuiſsimè, quàm argutiſsimè, certè quam prudentiſsimè præſtemus. Leuia remiſsè, molliterq́ attingenda, ridicula facetè, triſtia ſeuerè, grauia grauiter. In opere longo fas dicit Horatius ſomnũ poetis obrepere: in epigrammate quia breue eſt, intelligẽtia noſtra ſimul omnia concipit, & oculi vno aſpectu paruam picturam totam hauriunt. Vtrobique autem, quoniam ad animi iudicium ſtatim tota referuntur, & puſilla pictura, inquam, & epigramma, facillimè ſi quid peccatum eſt ſentimus. In ſcriptione diffuſa declinanti paulum à recto datur venia: in parua & modica, etiam modica macula offenſionem habet: & qui non totum optimè fecerit, totum peccaſſe videbitur. Adde quod non omnibus eadem probari ſolent in epigrammate. Hic ducit acutum, ingenioſum, ſalſum, quod alter frigidum, plebeium, inſulſum. Ita diſplicendi metus, acerrimus laboris hortator fiet. His & aliis de cauſsis, quod de toto genere Cicero, id nos de epigrammatariis ſeorſim affirmemus: *in horum numero perrarò exoriri aliquem excellentem.*

DEFINITIO EPIGRAMMATIS, eiusq́ prima diuiſio.

CAPVT III.

EPIGRAMMA, vt eſt proprium poetarum, *eſt quoddam breue poema, cum ſimplici cuiuſpiam rei, vel perſonæ, vel facti indicatione: aut ex propoſitis aliquid deducens.* Hæc definitio ex diuiſione conficitur, quemadmodum Cicero in Topicis definire do-

re docet,& duo ſumma epigrammatis genera,ſpectata eorum forma comprehendit, ſimplex nimirum, & compoſitum. Æneas dedicans clypeum Abantis, rem carmine ſignat,nempe hoc.

Aeneas hæc de Danais victoribus arma.

Plura de ſe Virgilius illo diſticho, quod ſibimet moriens fecit.

Mantua me genuit: Calabri rapuêre: tenet nunc
Parthenope: cecini paſcua, rura, duces.

Indicat patriam, locum mortis, ſepulturæ, genera ſcriptorum ſuorum. Nec enim eo prima forma ab altera ſecernitur, quod vnum aliquod tantummodo indicet: nec ob id vocatur ſimplex: ſed quod nihil in ea niſi indicatio, nulla compoſitio: de qua compoſitione infra agemus. In priore videas pleraq; verſari epitaphia. In quo quæ exprimuntur & indicantur, conuenienter antiquitati (cuius præſertim anathematum, ſtatuarum, monumentorum ac trophæorum ἐπιγραφαὶ multæ) ſimpliciore filo, minoreq; cura exprimenda, & indicanda ſunt.

AMPLIVS DE SIMPLICI COMpoſitoq; Epigrammate, & in extremo ſecunda diuiſio.

CAPVT IV.

MANEAT igitur quod docuimus, eſſe quædam ſimplicia epigrammata, quædã concreta ſiue compoſita. Simplex, in quo res aliqua,perſona ſeu factum exprimitur, nullaq; in-

eſt comparatio: quemadmodum duobus ſuperioribus exemplis eſt cognitum. Compoſitum, quod ex propoſitis aliud quiddam, idq; aut maius, aut minus, aut æquale, aut diuerſum, aut contrarium deducit. In omnibus his collationes ſiue relationes perſpicis, quibus & tollitur ſimplicitas, & gignitur comparatio, ſiue compoſitio. Exemplum vbi maius aliquid ex propoſitis deducitur, hoc ſit. Martial. lib. 1. de Carpophoro.

Sacula Carpophorum, Caſar, ſi priſca tuliſſent,
Iam nullum in monſtris orbe fuiſſet opus.
Non Marathon taurum, Nemee frondoſa leonem,
Arcas Manalium non timuiſſet aprum.
Hac armata manus Hydra mors vna fuiſſet,
Hinc percuſſa foret tota Chimæra ſemel.
Ignipedes poſſet ſine Colchide vincere tauros,
Soluere & Heſionem ſolus, & Andromeden.
Herculea laudis numeretur gloria, plus eſt
Bis denas pariter perdomuiſſe feras.

Et lib. 11. laudatur Nerua Traianus.

Tanta tibi eſt recti reuerentia, Cæſar, & æqui,
Quanta Numa fuerat, ſed Numa pauper erat.
Ardua res hac eſt, opibus non tradere mores,
Et cum tot Cræſos viceris, eſſe Numam, &c.

Quando minus. Toſcanus tom. 1. Collectaneorum ex illuſtribus poetis Italicis.

De C. Iulio Cæſare.

Spectat Alexandri picta vt certamina Cæſar:
Aſt ego nondum aliquid geſſi, ait, illacrymans.
Quid ſi & Alexander ſpectaſſet Cæſaris acta?
Dixiſſet: Perſas vincere pigritia eſt.

Quando par aut ſimile. Leontij in Alexandrum Macedonem.

ἔχθος

ἕκτορι μὲν τροίη συγκάτθανεν, οὐδ' ἔτι χεῖρας
  ἀντῆρε Δαναῶν παισὶν ἐπερχομένοις,
πέλλα δ' Ἀλεξάνδρῳ συναπώλετο. πατρίδες ἄρα
  ἀνδράσιν, οὐ πάτραις ἄνδρες ἀγαλλόμεθα.
Hectoris & Troia fuit exitus vnus, & ipſi
  Dardanidûm ſoboli mox dedit illa manus,
Pella & Alexandri fato comes. Hinc decus aio
  Eſſe viros patriæ, non patriam eſſe viris.

Catullus ad Quintium.

Quinti ſi tibi vis oculos debere Catullum,
  Aut aliud, ſi quid charius eſt oculis:
Eripere ei noli multo quod charius illi
  Eſt oculis, ſi quid charius eſt oculis.

Martialis lib.1. de leone Cæſaris, in cuius ore ludebant lepores illæſi.

Aethereas aquila puerum portante per auras, &c.

Quando diſpar, ſeu diuerſum. Martial. de leone & lepore lib.1.

Rictibus his tauros non eripuere magiſtri,
  Per quos præda fugax itq; reditq; lepus.
Quodq; magis mirum; velocior exit ab hoſte,
  Nec nihil à tanta nobilitate refert.
Tutior in ſola non eſt cum currit arena:
  Nec caueæ tanta conditur ille fide.
Si vitare canum morſus, lepus improbe, quæris,
  Ad quæ confugias, ora leonis habes.

Quando contrarium, ſeu repugnans. Catullus.

Odi & amo, quare id faciam, fortaſſe requiris,
  Neſcio, ſed fieri ſentio, & excrutior.

Martialis ad Dindymum, lib.4.

Inſequeris, fugio, fugis, inſequor, hæc mihi mens eſt:
  Velle tuum nolo, Dindyme, nolle volo.

In haben-

In habentem varios mores lib. 14.

Difficilis, facilis, iucundus, acerbus es idem,
Non poſſum tecum viuere, nec ſine te.

Sunt qui tres tanquam claſſes epigrammatum conſtituêre. Vnam eorum, quibus ad rerum inſcriptiones vtimur, vnde nomẽ ipſum eſt natum, quæq́ue prima origo epigrammatis fuit. Alteram, quibus laudes alicuius aut vitia explicamus, ſiue quibus laudamus, aut vituperamus. Tertiam, quibus fortuitum quippiam, vel nouum, vel admirabile quod acciderit argutè exponimus: vel ipſi aliquid excogitamus, & comminiſcimur. Primi generis paradigmata iam ſupra adduximus: alterius, & poſtremi affatim hoc in libro adducentur. Et ne diu te ſuſpenſum teneam. Fortuiti & rari, ſeu inopinati euentus eſt illud Carpyllidæ in eum, qui piſcaturus, reti caput naufragio mortui attraxit: quod cum manu ſcalpendo ſepulcrum parans terræ mandaret, improuiſò theſaurum inuenit. Concluſio eſt, iuſtos viros pietatis mercedẽ haud amittere.

ἰχθύας ἀγκίστρῳ τὶς ἀπ' ἠϊόνος οὔτειχι βάλλων
εἵλκυσε ναυηγοῦ κρᾶτα λιποτειχέα.
οἰκτείρας δὲ νέκυν τὸν ἀσώματον, ἐξ ἀσιδήρου
χειρὸς ἐπισκάπτων λιτὸν ἔχωσε τάφον.
εὗρε δὲ κευθόμενον χρυσοῦ κτέαρ. ἦ ῥα δικαίοις
ἀνδράσιν εὐσεβίης οὐκ ἀπόλωλε χάρις.

Et illud Germanici Cæſaris ex Græco.

Thrax puer aſtricto glacie dum ludit in Hebro,
Frigore concretas pondere rupit aquas.
Dumq́; ima partes rapido traherentur ab amne,
Abſcidit heu tenerum lubrica teſta caput.

Orba

Orba quod inuentum mater dum conderet vrna
Hoc peperi flammis, catera, dixit, aquis.

Admirabile ſeu magnum ſit hoc, de matre Lacæna: quanquam etiam fortuita ſæpe magna ſunt, & contra item, magna fortuita.

γυμνὸν ἰδοῦσα λάκαινα παλίντρεπτον ἐκ πολέμοιο
παῖδ' ἑὸν ἐς πάτραν ὠκὺν ἰέντα πόδα,
ἀντίη ἀΐξασα, δι' ἥπατος ἤλασε λόγχην,
ἄρρενα ῥηξαμένη φθόγγον ἐπὶ κταμένῳ.
ἀλλότριον σπάρτας εἶπεν γένος, ἔρρε ποθ' ᾅδαν.
ἔρρ', ἐπεὶ ἐψεύσω πατρίδα καὶ γενέταν.

Marullus ſic latinè.

Mater Lacæna conſpicata filium
Relicta inermem parmula.
Progreſſa contra traiicit ferro latus,
Super necatum his increpans:
Abi hinc, morere, non digna me proles, abi
Mentire patriam, & genus.

Eorum quibus ipſi materiam inueniũt poetæ, ſiue vt iocentur, ſiue vt ſeria dicant, numerus infinitus eſt. Propterea cum pleni ſint libri, quid opus exemplis in re clariſsima?

TERTIVM DIVIDITVR EPIgramma, ſecundùm tria genera poematis.

CAPVT V.

POTEST non immeritò videri epigramma puſilla quædam pars, ſeu reuocari poſſe partim ad tragœdiam, partim ad comœdiam, partim

partim denicꝙ ad epopœiam. Quare cum hæc tria genera poeſeos materia diſcrepent, epigrammatis item materia non erit vna, ſibiꝙ ſimilis: ideo nec ipſa epigrammata. Ex epopœia ſumit epigramma laudationes inprimis excellentium virorum, vrbium, fluuiorum, portuum, locorum, fontium, monumentorum, &c. Fabuloſa quoꝙ haud aliunde ſumuntur. Hinc igitur fit, vt in Epigrammate loquatur mira cum venuſtate deus, vt nympha, ſatyrus, &c. quin aliquando amnis, fons, arbor, ſtatua, mons, vrbs, tumulus, locus, animal cum aliis, aut cum ipſomet poeta. Tragœdiæ propria eſt rerum grauium illuſtriumꝙ tractatio, quæ multum doloris, & commiſerationis, multum pariant admirationis. Dolorem afferunt atrocia. Commiſerationem eadem ipſa, ſi aut immerẽti eueniunt, aut accidunt inter conſanguineos, inter parentes & liberos, inter fratres & ſorores. Fortuita commouent admirationem. Sunt autem admirabiliora, quando præter opinionem aliud ex alio dependet, vt in vita Oedipi, de quo habemus tragœdiam Senecæ. Hæc omnia aptiſsima ſunt conficiendis epigrammatis. Hinc tam multa, præſertim apud Græcos, in heroas, Priamum, Hectorem, Achillem, Aiacem, Alexãdrum & alios. Apud Latinos in Scęuolam, Pompeium, Cęſarem, Catonem, Lucretiam, Porciam, &c. Ad tragœdiam quoꝙ reiiciantur, quæ in mortem interitumqúe alicuius ſcribuntur: eſt enim per ſe res tragica mors. In comœdia priſca poetę homines impunè, ac nominatim accuſabant, irridebant, contemnebant. Quæ materies, probroſa & ridicula ſcilicet, conuenit etiam epigrammatis, quorum auctores aliena pec-
cata

cata multo ſale ac lepore patefaciunt, inſectantur, atq; irrident. Nec nominibus abſtinent, quod reprehendit præfatione libr. 2. Martial. quamuis ea ſæpius commutent, aut pro veris ficta ſupponant: rem enim ipſam intelligi ab omnibus nihil vetat, pudori autem & famæ hominum conſulendũ eſt, ſi conſuli adhuc poteſt. Vetus quoq; comœdia laſciuis vocibus,& ſententiis abundabat, quæ conſuetudo in epigrammata irrepſit, quorum plurima,potiſsimùm Martialis,videmus eſſe plena turpitudinis & nequitiæ, & hanc epigrammatum eſſe linguam homulus ex luto & argilla factus aſſerit. Ab epigrammatis eiuſmodi temperare nos oportet. Ex comœdia item antiqua ioci & ſales ad epigrammata profluxerunt. Illis quæ habent ſpem, metum,ſuſpicionem,amorem, deſiderium, diſsimulationem, ſubitam lætitiam, inſperatum incommodum,miſericordiam, fortunæ commutationem, & alia huius generis, nouam comœdiam præbuiſſe materiam fit credibile.

QVARTA DIVISIO EPIGRAMmatis ſecundùm tria genera cauſſarum.

CAPVT VI.

Vt ciuilis eloquentia in tripartita cauſſarum varietate exercetur: ſic epigramma non incommodè ad totidem, eademq́ue genera fermè redigi poteſt. Itaq; ad iudicium reuocabuntur omnia, quibus aliorum vitia, ſcelera & mala facinora accuſamus, quib⁹ expoſtulamus, exprobramus,

bramus, minamur, inſimulamus, inuehimur, &c. Ad deliberationem, quibus ſuademus, diſſuademus, hortamur, dehortamur, petimus, deprecamur, inuitamus, conſolamur. Ad exornationem pertinebunt quibus laudamus, vituperamus, ſiue homines, ſiue res alias quaſcunq;, idq; ſiue in ipſo homine, ſiue extra hominem. Item quibus commendamus, gratulamur, gratias agimus, aliquid dedicamus, & iocoſa, quorum materia eſt turpitudo ſine dolore, quę potius riſum excitet, quam indignationem. Quanquam etiam in his, quæ ab Ariſtotele 2. Rhetor. dicuntur φθαρτικά, vt vulnera, cædes, fames, morbi, & in his quæ odium indignationemq; merẽtur, vt fraudes, furta, adulteria, &c. iocari, ridere, aculeum exerere, & quidem magis in poſterioribus iſtis, mos eſt: quæ proinde in iudicialibus licebit numerare, quoties talia extiterint.

EXEMPLA IVDICIALIVM.

Aſinium Catullus de furto poſtulat. Nam ſecundum cœnam, quando conuiuæ vrbanitati indulgere, & poculis capacioribus poſcere conſueuerunt, ipſe mappas illorum, ſiue ſudaria ſurripiebat, vt apud Martialem Hermogenes. Et cum hoc valde facetum, & nimis lepidum putaret, eundem leporem in Catullum exercuerat.

Marrucine Aſini manu ſiniſtra
Non belle vteris in ioco atq; vino.
Tollis lintea negligentiorum.
Hoc ſalſum eſſe putas? fugit te inepte.
Quamuis ſordida res & inuenuſta eſt.
Non credis mihi? crede Pollioni
Fratri, qui tua furta vel talento

Mutari Velit:eſt enim leporum,
Diſertus pater ac facetiarum.
Quare aut hendecaſyllabos trecentos
Exſpecta,aut mihi linteum remitte:
Quod me non mouet æſtimatione,
Verùm eſt mnemoſynon mei ſodalis.
Nam ſudaria ſetaba ex Iberis
Miſerunt mihi muneri Fabullus
Et Verannius. Hac amem neceſſe eſt,
Vt Veranniolum meum, & Fabullum.

Thalum quoq; vt furem inceſsit, cui, niſi ille quæ ſuffuratus erat,ab vnguibus reglutinaret, flagella, quomodo Aſinio trecentos hendecaſyllabos, interminatur. Epigramma eſt numero XXII.ſimile fecit Martialis, in Luſcum furem.

Aſpicis hunc vno contentum lumine,cuius
Lippa ſub attrita fronte lacuna patet?
Ne contemne caput,nihil eſt furacius illo,
Non fuit Autolici tam piceata manus.
Hunc tu conuiuam cautus vitare memento,
Tunc furit,atq; oculo Luſcus vtroq; videt.
Pocula ſolliciti perdunt,ligulaſq; miniſtri,
Et latet in tepido plurima mappa ſinu.
Lapſa nec accubitu ſubducere pallia neſcit,
Et tectus lanis ſæpe duabus abit.
Nec dormitantem vernam fraudare lucerna
Erubuit fallax,ardeat illa licet.
Si nihil inuaſit puerum,tunc arte doloſa
Circuit, & ſoleas ſurripit ipſe ſuas.

Alibi Catullus Iulij Cęſaris liberalitatem in Mammurram hominem improbum ſtultè collatam acerrimè inſectatur.

Quis hoc poteſt videre,quis poteſt pati
Niſi impudicus,& vorax,& aleo,&c.

Talia ſunt quæ ſcripſit in prodigioſam Gellij libi-

dinem. In Licinium Caluum, qui ei malos poetas dono miſerat. In Cornificium, qui eum in magno animi dolore iacẽtem ſolatum non acceſſerat. Cũ Alpheno homine parum fideli in colenda amicitia expoſtulat. Alibi ingrato exprobrat.

EXEMPLA DELIBERATIONIS,

Notum eſt illud Martialis ad Iulium, quem ætatẽ grauem ad otium voluptatemq́ hortatur lib.1.

O mihi poſt nullos Iuli memorande ſodales,
Si quid longa fides, canaq́ iura valent.
Bis iam pæne tibi conſul trigeſimus inſtat,
Et numerat paucos vix tua vita dies.
Non bene diſtuleris, videas quod poſſe negari,
Et ſolum hoc ducas, quod fuit, eſſe tuum.
Exſpectant curæq́ catenatiq́ labores,
Gaudia non remanent, ſed fugitiua volant.
Hæc vtraq́ manu complexuq́ aſſere toto,
Sæpe fluunt imo ſic quoq́ lapſa ſinu.
Non eſt, crede mihi, ſapientis dicere, viuam:
Sera nimis vita eſt craſtina, viue hodie.

Martialis lib.5. per Muſas petit à Parthenio Domitiani cubiculario, vt Imperatori ſuum librũ, cum erit tempeſtiuum offerat. Conſolatorium hoc eſt Leodegarij à Quercu. tom.1. Florum epigrammatum ex variis poetis.

Quid noctes miſer eiulans, dieſq́
Nil conuitia profutura fundis?
Irato Lacheſin laceſſis ore,
Quod natam illa tibi abſtulit quadrimam,
Argutam, docilem, venuſtulamq́
Et quam præſidium ſubinde firmum

Sperabas ſenio tuo futuram.
An hoc lædere? an hoc vocas nocere,
Pro terris Maria dediſſe cælum?
Quin gaudes potius, Beralde, cum, quam
Mortalem genuiſſe credidiſti,
Hanc factam videas repente diuam?

EXEMPLA EXORNATIONIS.

Catullus in Ciceronem.

Diſertiſsime Romuli nepotum
Quot ſunt quotq́ fuêre Marce Tulli,
Quotq́ poſt aliis erunt in annis,
Gratias tibi maximas Catullus
Agit peſsimus omnium poeta:
Tanto peſsimus omnium poeta,
Quanto tu optimus omnium patronus.

Martialis in Decianum lib. 1.

Si quis erit raros inter numerandus amicos
Quales priſca fides famaq́ nouit auos:
Si quis Cecropia madidus Latiaq́ Minerua
Artibus, & vera ſimplicitate bonus:
Si quis erit recti cuſtos, imitator honeſti,
Et nihil arcano qui roget ore deos:
Si quis erit magna ſubnixus robore mentis,
Diſpeream ſi non hic Decianus erit.

Concinnum, & longè feſtiuiſsimum eſt hoc eiuſdem Martial. de catella Publij lib. 1.

Iſſa eſt paſſere nequior Catulli,
Iſſa eſt purior oſculo columbæ.
Iſſa eſt blandior omnibus puellis,
Iſſa eſt clarior Indicis lapillis,
Iſſa eſt deliciæ catella Publi.
Hanc tu ſi queritur loqui putabis.
Sentit triſtitiamq́ gaudiumq́.
Collo nixa cubat, capitq́ ſomnos,

Vt ſuſpiria nulla ſentiantur.
Et deſiderio coacta ventris,
Gutta pallia non fefellit vlla:
Sed blando pede ſuſcitat, thoroq́
Deponi monet, & rogat leuari.
Caſta tantus ineſt pudor catellæ.
Ignorat Venerem, nec inuenimus
Dignum tam tenera virum puella.
Hanc ne lux rapiat ſuprema totam,
Pictam Publius exprimit tabella,
In qua tam ſimilis ſibi nec ipſa.
Iſſam denique pone cum tabella,
Aut vtramque putabis eſſe veram,
Aut vtramque putabis eſſe pictam.

Nullum datur epigramma, quod non tot, quot attulimus diuiſionum parti alicui ſubiiciatur. Nec abſurdum exiſtimes velim, vnum atque idem in tribus quatuórue diuiſionibus locum vendicare, & tam huius quàm illius generis efficere ſpeciem: id quippe fit ratione diuerſa. Etenim (vt pingui Minerua agamus) homo cùm ſit vnum quiddam, eſt, & numeratur in multis: in ſubſtātiis, in corporibus, in viuentibus, in animantibus, alia ſemper atque alia ratione. Lac item in dulcibus, in liquidis, in albis. Pari modo epigramma eſt ſimplex, & habet aliquid aut fortuitū, aut admirabile (quod eſt ſecundæ diuiſionis genus tertium) & eſt tragicum, & eſt διηγηματικὸν (nā hęc quoque diuiſio ſecundum tres modos poematum non eſt aſpernanda) & exornatione continetur. Iam qui volet, cauſſas harum relationum quærat.

DE EPIGRAMMATE IN QVO paria paribus, & contraria contrariis referuntur.

CAPVT VII.

CICERO in Orat. perf. cum de numero oratorio diſputat, ſcribit eſſe quoddam genus verborum, in quibus ipſis concinnitas inſit, & quæ ſuapte natura numeroſa ſunt, etiamſi nihil eſt factum de induſtria. Cęterùm genus illud eſſe triplex. Aut enim habere caſus in exitu ſimiles, vt pro Cælio. *Non modò nihil ignoſcendum, ſed etiam acriter reſiſtēdum.* Aut paria paribus reddi, vt in Sextiana. *Qui auctoritate, qui fide, qui conſtantia, qui magnitudine animi conſiliis audaciū reſtiterunt, ij graues, ij principes, ij duces, ij authores huius dignitatis atq; imperij ſemper habiti ſunt.* Aut opponi contraria, quæ exornatio græcè ἀντίθετον, latinè cōtentio, & contrapoſitum. Fit autem diuerſis modis. Nam & ſingula ſingulis opponuntur, vt, *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.* Bina binis, vt, *non noſtri ingenij, Veſtri auxilij.* Plura pluribus, pro Milone: *Eſt enim iudices hæc non ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus: Verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus.* Omiſſo primo genere huius concinnitatis, quæ hîc locum nullum habet, niſi in ethicis, videamus quam pulchrè ſecundum & tertium in epigrammata conueniant. Quæ proinde concinna fieri & dici certiſsimùm eſt. Paria paribus referuntur in illo, quod primum eſt in Anthol.

τέσσαρές εἰσιν ἀγῶνες ἀν' ἑλλάδα, τέσσαρες ἱεροί,
οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ', ἀθανάτων,
ζηνὸς, λητοΐδαο, παλαίμονος, ἀρχεμόροιο,
ἆθλα δὲ τῶν, κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Et in his quæ in Appendice Virgiliana leguntur de morte trium.

Sus, iuuenis, ſerpens, caſum venere ſub vnum,
Sus iacet ex ictu, pede ſerpens, ille veneno.

Lege cętera, ſunt enim nō vulgaria. Eiuſdem claſſis eſt hoc Pentadij in Virgil.

Paſtor, arator, eques, paui, colui, ſuperaui,
Capras, rus, hoſtes, fronde, ligone manu.

Fælici conatu hoc imitatus eſt Matthæus Toſcanus in ſuis poematis, loquens de Petro Bembo.

Hiſtoricus, vates, rhetor, celebrat, canit, implet,
Geſta, ignes, aures, ore, lyra, eloquio,

Nihil porrò elegantius illo Archiæ in Hectorem mortuum.

καὶ γενέταν τῷ νέρθε, καὶ οὔνομα, καὶ χθόνα φώνει,
σᾶλα, καὶ πόια κηεὶ δαμεὶς ἔθανεν.
γεννήτωρ πρίαμος, γᾶ δ' ἴλιον, οὔνομα δ' ἕκτωρ,
ὦ ξέν', ὑπὲρ πάτρας δ' ὤλετο μαρνάμενος.

Et hoc Simonidæ perquam numeroſum & rotundum.

εἶπον τίς, τινὸς ἐσσὶ, τινὸς πατρίδος, τί δὲ νικῇς;
κάσμυλος, εὐαγόρου πύθια, πὺξ, ῥόδιος.

Exemplum vbi ſingula ſingulis opponuntur Toſ. tom.1. in Chriſtum cruci ſuffixum.

Pro ſeruis dominus moritur, pro ſontibus inſons,
Pro ægroto medicus, pro grege paſtor obit.
Pro populo rex mactatur, pro milite ductor,
Proq; opere ipſe opifex, proq; homine ipſe deus.

Quid

Quid ſeruus, quid ſons, ægrotus, grex, populusq́;
Quid miles, quid opus, quidue homo ſoluet? amet.

Cōcluſio huius pulcherrimi, & religioſiſsimi epigrammatis habet repetitionem, ὑπόζευγμα, συναθροισμὸν, ſubiectionem. Quamuis autem exempla nondum repererim, in quibus bina binis, & plura pluribus opponerentur, vt fieri perſpexiſti, in exemplis Ciceronis, quæ ſupra adduxi: tamen quin idem præſtari poſsit in epigrammatis, non eſt dubitandum.

DE EPIGRAMMATE dialogico.

CAPVT VIII.

DIALOGVM conficere, cùm propter alia, tum propter decorum perſonarum loquẽtium eſt laborioſum: propterea quod niſi prudentiſsimus, & experientiſsimus videre poteſt, quando, quantum, quibus verbis, quomodo vnumquemq; loqui, & quibus moribus præditum eſſe oporteat. In omnib. & ſingulis ſeparatim τὸ πρέπον cernitur. Sed hæc meo quidem iudicio, vbi ad perfectum vnguem omnia exiguntur, paucisq; verſibus tota collocutio arctatur, difficiliora fiunt. Itaque etſi non quæuis difficilia continuo pulchra, tamen hoc epigramma, in quo vt laborioſè, ita feſtiuè, magnaq; cū admiratione, quales ſunt perſonæ, ſecundum naturam, proprietatem & conditionem ipſarum exprimuntur, audebo

 pulchrum

pulchrum dicere. Nec refert quidquã, veræné an ficitæ perſonæ ſint: poetæ enim frequentiſsimè fictas inducunt: qui, quæ hominum propria ſunt, multis aliis rebus tribuere conſueuerunt, ſiue illæ ſentiant, ſiue omni ſenſu motuq́ vacent.

Auſonij dialogus in ſimulachrum Occaſionis, & Pœnitentiæ.

Cuius opus? Phidiæ, qui ſignum Pallados, eius,
Quiq́ Iouem fecit, tertia palma ego ſum.
Sum Dea, quæ rara, & paucis Occaſio nota.
Quid rotulæ inſiſtis? ſtare loco nequeo.
Quid talaria habes? volucris ſum, Mercurius quæ
Fortunare ſolet, tardo ego, cum volui.
Crine tegis faciem. Cognoſci nolo. Sed heus tu,
Occipiti Caluo es. Ne tenear fugiens.
Quæ tibi iuncta comes? dicat tibi. dic rogo quæ ſis?
Sum dea cui nomen, nec Cicero ipſe dedit.
Sum Dea quæ facti, non factiq́ exigo pœnas:
Nempe vt pœniteat, ſic Metanœa vocor.
Tu modo dic quid agat tecum? Si quando volaui,
Hæc manet: hanc retinent, quos ego præterij.
Tu quoq́ dum rogitas, dum percunctando moraris,
Elapſam dices me tibi de manibus.

Inueni duos perelegãtes dialogos, vnum in Spem, alterum in Iuſtitiam. L. Q. tom. 1. Poſterior tantum ſtudio breuitatis adſcribetur.

Dialogus in Iuſtitiam.

Quæ dea? Iuſtitia. Quid toruo lumine? flecti
Neſcia ſum & lachrymis, & precio, & precibus.
Quod genus? à ſuperis. Ex quo genitore? Modo. Ecqua
Matre? Fide. Nutrix quæ tua? Pauperies.
Quis gremio infantem fouit? Prudentia. Quonam
Freta duce agnoſcis crimina? Iudicio.
Cur gladium tua dextra gerit? cur læua bilancem?
Ponderat hæc cauſſas, percutit ille reos.

Quid

Quid rari aſſiſtunt? Quod copia rara bonorum eſt.
Quæ comes aſſidua eſt? Candida ſimplicitas.
Aurium aperta ſibi cur altera, & altera clauſa eſt?
Hac ſurda iniuſtis, panditur illa bonis.
Paupere cur ſemper cultu? iuſtiſſimus eſſe
Qui cupit, exiguas ſemper habebit opes.

Quaſi torno factum, elegantiæ grauitatiſque plenum eſt illud Iuliani Expræfecti Ægypti lib. 3.

α. ἄγριος ἐστι χάρων. β. πλέον ἤπιος. α. ἥρπασεν ἤδη
τὸν νέον β. ἀλλὰ νόῳ τοῖς πολιοῖσιν ἴσον,
α. τερπωλῆς ἀπέπαυσεν. β. ἀπεσυφέλιξε δὲ μόχθων
α. οὐκ ἐνόησε γάμους. β. οὐδὲ γάμων ὀδύνας.

Multi ſcriptores dialogos huiuſmodi vocant dialogiſmos, in quo falluntur. Dialogiſmus ſiquidem à διαλογίζεσθαι, eſt figura, quæ fit, cum quis ſecum diſputat, & volutat quid agat, vel quid agendum putet. Vt Terentius Andria: Quid igitur faciam? Virgil. 4. Æneid.

En quid agam? rursúſne procos irriſa priores
Expertar?

Cicero pro Cluent. Dem Iudicibus? mihi igitur nihil quæretur? Et in Verrem. Si pupillo redimitur, mihi præda de manibus eripitur. Quod eſt igitur remedium? quod?ne liceat pupillo redimere. Peccant etiam hi, qui locos illos, vbi orator interrogationem proponit, deinde ad eam ipſemet reſpondet, dialogiſmos appellant: quia putant idē eſſe quod dialogus, quæ vox à διαλέγεσθαι facta eſt Quamuis autem in dialogiſmo etiam ſibi reſpondeat Orator, tamen interrogatio eius non eſt ſimpliciter interrogatio, ſed interrogatio διαπορητική, ac proinde dialogiſmus à diaporeſi parum differt. Hæc ex libello cuiuſdam docti viri de abuſu Græ-

cæ linguæ, οὐκ ἀπεργασθιόνυσα. Lib.1. Anthol.perquam ſuauis dialogus extat Antiphili in Iliad. & Odyſſeam,quibuſcũ tãquam Homeri filiabus loquitur. αἱ βίβλοι τίνος ἐστέ; Alius non minus lepidus de diuerſitate patriæ Homeri, lib. 4. χῖος ἔφυς; In tertio quoq; tumuli nonnulli ſuauiſsimas habent collocutiones. Græcis hæc forma epigram. familiarior eſt: Latini veteres eam neglexerunt. In Catullo,& Martiale nullum dialogum legere memini.

DE ECHONE.

CAPVT IX.

PERIVCVNDVM,argutum,& lepidum eſt epigramma,attentumq; retinet lectorem,cum in fine aut medio verſus, eiuſmodi vocula ponitur, quæ vel toti verbo præcedenti, vel eius caudæ ſimilis aut eandem ſententiam illuſtrat, aut diuerſum aliquid, & nonnunquã contrarium,aut prorſus inexſpectatum, aut par,aut maius,aut minus deniq; complectitur.Hęc Echo dicitur.In hoc genere feſtiuitatis Latini maiorem quàm Græci putantur laudem aſſecuti. Poteſt item Echo ea ratione ad finem verſus reſpondere, vt ipſa non ſit particula verſus: quo quidẽ pacto in medio committi nequaquam poterit: eſt enim & deforme,& inuſitatum interiicere verſui, quod ad uerſum nihil pertineat. Ego verò elegantiorem illam exiſtimo,quæ crebrius adhiberi poteſt. Talis autem eſt hæc, quæ partem carminis continet, quæ proinde tum in fine, tum medio poterit conſiſtere. Multæ inter-

interrogationes in echicis vſurpantur: quamuis etiã ſine interrogatione ſuam venuſtatem retineãt. Nec opus eſt, oẽs & ſingulos verſiculos echonem ſuam habere: ſed tum illa reſpondebit, cum ſenſus abſoluitur, & ſententia finitur, ſiue id in medio, ſiue in extremo verſus, ſiue vtrobiq; ſimul fiat. Non oportet autem diu differre iſtam repercuſsionem vocis, quia deformitatẽ generat dilatio: ſicut frequentia ornamentum. Præterea non adeo ſemper numeroſi eſſe poſſunt echici, poſſuntqúe euadere Leonini ſine vllo vitio: quia ingenium & lepos qui eſt in rebus, quam concinnitas quæ eſt in verbis, aut aliud quippiam, magis hîc ſpectatur. Melius etiam Echo fit in diſyllabis, quam in triſyllabis, aut monoſyllabis: quoniam ad naturam rei illa imitatione quam iſta propius accedimus. Toſ. tom. 2. Poeta interponens verba ſua, narrat Bethlehemitæ paſtoris & Echus colloquium quod operæprecium eſt legere: etſi quibuſdam locis poterat fieri melius.

Hæc Bethleemitæ paſtoris verba referre
Audita eſt Echo, quæ iuga montis habet.
Quis natus? dixit, natus. patriſne Iudæi?
Illa Dei. verufne eſt homo? dixit, homo,
Atq; hic idem, nonne Deus remanet? manet. eſtne
Vt pater omnipotens? retulit illa, potens.
Hunc quid de cælis duxit? lis duxit. at iſtam
Dic vtrum vincet? vincet, & ipſa refert.
Litis erat radix longæua? Eua, an mala? mala.
Anne gula hoc potuit? illa refert, potuit.
An puer hic fiet magnus? quæ reddidit, agnus.
Ipſe ait hoc? ait hoc. Cur ita clamat? amat.
Is maius noſtro nunquid dare poſſit amori?
Reddidit illa nihil, quam gemebunda, mori.

Hoc

Hoc faciet: faciet, moriens? oriens. Deus ille?
Hac, ille. eſt forſan cauſſa tua? auſa tua.
Diligere hunc ergo par eſt ſuper omnia Chriſtum.
Iſtum. nonne Deum? Dixit, eum, & tacuit.

In pictorem Echus luſit Auſonius epigrammate XII. Fabulam ingenioſè narrat Ouidius Metamorph. 3. Licebit interdum mutare literam, aut ſyllabam initio, aut medio verbi: nam finis in Echone ſemper ſimilis requiritur. Item addere aut tollere aſpirationẽ, vt ſi pro ſacer dicas, lacer, pro ſenex, remex, pro mœſtus, feſt⁹, pro abeat, habeat. Quamobrem male reprehenderentur hæ imagines. Albertúſne iacet? Tacet. Quæ cauſſa obitus? Pus. Religio amiſit patronum? Bonum. Hæreticos oderat. Poterat. Anne huic par vllus? Nullus. In ſimili ſono vocalium extremarum poſita eſt echo: illæ enim ſolæ ſonant, & echo ſonus eſt, non in ſimilitudine conſonantium quoque, quæ tantum conſonant, nec ſoni naturam ſubſtantiamq́; mutant.

DE EMBLEMATE.

CAPVT X.

EMBLEMA dicitur παρὰ τῷ ἐμβάλλεσθαι, quod valet immittere, iniicere, interponere, inſerere. Vocantur autem emblemata lapilli colorati & minutè ſecti, gemmæ, clauiculi, paruæ ex auro argentóue rerum diuerſarum effigies, & ſimilia, quæ pauimento, parieti, vaſculis, veſtibus, poculis, pileis, clypeis, gladiis in morem torulorũ, pro ornamento affiguntur, incidũtur, inſculpuntur,

tur. Sic olim (id quod nunc quoq; in templis nonnullis videre eſt) regalium palatiorum pauimenta quadratis huiuſmodi lapillis decorabantur. Ex quo illud Lucillij apud Ciceroné in orat. perfect.

Quam lepidè λέξεις compoſta vt teſſerula omnes
Endo pauimento, atq; emblemate vermiculato?

Sciendum porrò, talia opera in pariete vermiculata, in pauimento teſſellata, in lignis ſegmentata dici. Hoc autem loco carmina ſeu epigrammata ipſa, huiuſmodi ἀγάλματα, ſymbola, ſimulachra, & imagines rerum aliquid ſignificantes interpretantia, emblemata vocamus μετωνυμικῶς: vt nobis aliud nihil ſit emblema, quam *epigramma, quod emblema complectitur.* Iam verò emblema tria continet. epigraphen, velut rei totius animã, picturam & poeſin, artes germanas, quæ ſe ita explicent, vt altera alteri ſit interpres. Et pictura quidem, tanquam corpus, poeſis tanquam animus eſt: ſitq; vt emblema non poſsit non eſſe gratum, in quo & aures dulci carminum numero delectantur, animi paſcuntur, & oculi pictura recreantur.

Tria maximè ſtatuenda emblematum genera. Nam quæ rerum naturas & cauſſas aperiunt, phyſica ſunt. Quæ rem olim geſtam, aut quaſi geſtam vt fabulam includunt, hiſtorica ſeu mythologica. Demum quæ ad mores pertinent, quæ innumera ſunt, in ethicis habentur. Et quemadmodum non ex quocunque lapillo gemma in annulum aptari poteſt, aut debet: ſic exiſtima non omnes heroum, aut ſapientum, poetarúmue ſententias, non omnes fabulas, hiſtorias, prouerbia, apophthegmata, quantumuis lemma præſcriptum habeant, pingique

qúe poſsint,ducenda in emblematis.Verbi gratia: quiſpiam ligna in ſyluam portans, cum hoc, LABOR INVTILIS. Curtius in voraginem cum equo deſiliens, cum hoc, AMOR PATRIAE. Sic abutuntur emblematis nomine, eiúſque naturam parum perſpiciunt, qui nobis vtriuſq; Teſtamenti hiſtorias, ſuprapoſitis lemmatis obtrudunt, tanquam emblemata. Exempli cauſſa. Adamum & Euam ſtantes ſub arbore vetita, cum hoc, LIBERALIS INTERDICTIO. Tres Reges infantulum Ieſum adorantes,cum hoc,GENTIVM LVX. Selecta ſint oportet, iucunda, arguta, ſubtilia, quæ quomodo Pythagoreorum notæ, & Ægyptiorum hieroglyphica mentem exerceant: nec tam multitudine figurarum, pictoriſq; artificio, quam poteſtate & vi aliquid declarandi monendiq; emblemata metienda cenſemus.

DVAE PRIMARIAE VIRTVTES Epigrammatis, argutia, & breuitas.

CAPVT XI.

DVo præcipuè lumina flagitat epigramma, quibus ornatur commendaturq; mirifice: eæ ſunt breuitas, & argutia: quarum poſterior iure optimo anima, vita, & tanquam ſpiritus eius, nerui, ſuccus, ſanguis vocari poteſt: qua deſtitutum velut ægrum languet, friget, & quaſi intermoritur. Quod ſi vel ſola áffuerit, vt alia deſiderentur, probabitur tamen. Generatur autem acumen iſtuc cum aliis modis, tum hoc frequenter, ſi conclu-

conclusio aut non exſpectata(quod Græci dicunt παρὰ προσδοκίαν) aut exſpectationi planè contraria ſequitur. Catullus Fuſij paupertatem vrgens, ſicut ante vrſerat,ait villulam, quæ ei, vt veriſimile eſt,vnica remanſerat, non eo incommodam eſſe, quod ad huius aut illius venti flatum opponeretur : ſed (quod omni vento deterius) quod oppoſita eſſet pignori pro tanta pecunia, vt nihil iam ſit,cur eam Furius ſuam dicere debeat. Ludit autem in ambiguitate vocabuli, oppoſita. Hæc ex Mureto prius, ne quem obſcuritas epigrammatis implicaret.Eſt igitur hoc.

Furi, villula veſtra non ad Auſtri
Flatus oppoſita eſt,nec ad Fauoni,
Nec ſæui Borea,aut Apheliotæ.
Verùm ad millia quindecim ducenta.
O ventum horribilem atq́ peſtilentem.

Facetum illud Martialis, de Selio cœnipeta ad Rufum.

Quod fronte Selium nubila vides Rufe,
Quod ambulator porticum terit ſeram,
Lugubre quiddam quod tacet piger vultus,
Quod pæne terram tangit indecens naſus,
Et dextra pectus pulſat,& comam vellit:
Non ille amici fata luget, aut fratris.
Vterq́ natus viuit,& precor viuat:
Salua eſt vxorq́,ſarcinæq́,ſeruiq́,
Nihil colonus villicusq́ decoxit:
Mœroris igitur cauſſa qua eſt?domi cœnat.

Lib. 3. interrogat Muſam compluſculis verſibus, quid agat Canius Rufus. Enumerat plurima, quæ agere ille poſſet. Muſa ad extremum reſpondet,illum nihil agere aliud,quam ridere.

Dic Muſa quid agat Canius meus Rufus,&c,

Cæterùm

Cæterùm,de fine epigrammatis,quem ars potiſsimum reſpicit,poſtea fuſius. Nunc de breuitate.

Breuitatem certo aliquo verſiculorum numero non definimus, quando & vnicum carmen, ſiue monoſtichon, epigramma eſt, vt apud Martial. in Cinnam lib.8.

Pauper videri Cinna vult, & eſt pauper,

& plura diſticha, quibus aliqua ſententia perfectè explicatur,epigramma dicuntur. Veruntamen illud fugiendum, ne currente rota pro vrceo exeat amphora: ne, inquam, fiat elegia, aut promiſſum carmen. Et quoniam vox ipſa inſcriptionem Latinis ſonat, inſcriptiones autem paucis plerunque verbis finiũtur,credamus id optimum fore, quod breuiſsimum.Eſt & illa in breuitate commoditas, quod epigramma memoria retinere, & quoties lubet recitarè cum delectatione magna poſſumus. Lubebit autem ſæpiſsime:ſiquidem arguta breuitas nunquam ſatiat. Et profectò acumen breuitas, non longitudo conſeruat:quo amiſſo, nihil habet ferè,quo laudari poſsit epigramma. Quemadmodum igitur facetè,grauiter,ſcitè dicta,quæ vocantur apophthegmata, quò breuiora, eò maiorem vim ad animum afficiendum habent: ſic prorſus de epigrammate ſentiamus licet.

DE SVAVITATE, ET ALIIS Epigram. ornamentis.

CAPVT XII.

INTER quoſdam eruditos de carminum ſuauitate contentionem ſubortam narrat A. Gellius

lius lib.19.cap.9. Cum ibi Græcos nonnulli extollerent,& Latinos tam fluentes carminum delicias feciſſe negarēt, Antonius Iulianus Rhetor docuit, Latinos nihil Græcis concedere, atque extemplo quatuor epigrammata ex memoria recitauit, Valerij Æditui,Porci Licinij, Q. Catuli, quibus, vt ſentit Gellius,mundius, venuſtius, limatius, preſſius græcum latinúmue nihil quidquam reperitur. Fatendum eſt tamen vel inuitò, ſæpius licere Græcis, quam nobis eſſe dulcibus. Demonſtrabimus nunc paucis, in quibus rebus collocata ſit, & quibus è locis potiſsimùm comparetur ſuauitas epigrammatis.

Principiò, quæ res ſua natura vim aliquam ad ſenſus demulcendos oblectandáſque mentes obtinent,ex iis ſuauitas in oratione exiſtit. Tales, exempli cauſſa,ſunt amœnitas hortorum,ſpecies arborum virentium ,flores, leni murmure labentes riuuli,ſtellæ,lux,cantus muſici,citharæ, tibiarum, chori & tripudia, amplexus, oſcula, honeſta, inquam, & legitima. Quæ omnia quò clarius & ἐμφατικωτέρως deſcribuntur,ſiue memorantur, eo cumulatiorem ſuauitatis ſenſum efficiunt. Res igitur,in quibus ineſt elegantia & lepos:quæq; ſuapte vi & natura, quamuis ab aſpero & agreſti homine proferantur, plenæ ſunt hilaritatis, (nec enim, inquit Demetrius, Cupidinem Erynnim faciet quiſquam vi locutionis,aut gigantem, neque ridere plorare) dulci condimento aſpergent epigramma,poſſuntq; huiuſcemodi res appellari pulchræ, & tribui in totidem genera, quot ſunt ſenſus. Vnum quod pulchrum, ſeu iucundum eſt ad aſpectum, vt ſunt horti, flores, aurū,gemmæ,pul-

BIBLIOTECA ... ROMA VITTORIO EMANUELE

chritudo,lux,& ſimilia. Alterum quod mulcet auditum, vt inſtrumenta muſica, variiq́; concentus. Tertium quod palatum, & cætera ſimiliter. Adde his vnum genus,quod animo ſolo perceptum delectat, & ſub ſenſum nõ cadit, vt amor,virtus, &c. hinc ſimilis pulchrorum nominum diuiſio naſcitur. Quæ namque iucundè vel videntur,vel audiuntur, &c. vel cogitantur, etiam iucundè dicuntur. Addit nihilominus ipſa locutio venuſtatem his,quæ per ſe elegantia ſunt. Lepida auis eſt luſcinia,ait Demetrius,& ver natura lepidum: multum tamen ornantur verbis, elocutione decorantur. Profert locum ex Odyſſea.

ὡς δ᾽ ὅτε πανδαρέου κούρη χλωρηῒς ἀηδὼν,
καλὸν ἀείδῃσιν ἔαρος νέον ἱσταμένοιο.

Appellat poeta luſciniam tanquam nobilem virginem, πανδαρέου κούρην, Pandari filiam,& Chloreida,indicans quid olim fuerit,à qua nympha ducat originem.

Reddunt nihilominus iucundam orationem epigrammatis allocutiones illæ, quibus poetæ ſeipſos compellant. Catullus ad ſemet de aduentu veris.

Iam ver egelidos refert tepores,
Iam cæli furor æquinoctialis
Iucundis Zephyri ſileſcit auris.
Linquantur Phrygij Catulle campi,
Nicææq́; ager vber æſtuoſæ,
Ad claras Aſiæ volemus vrbes, &c.

Dulcis eſt apoſtrophe,ſiue ad diuum aliquem,ſiue ad hominem,idq́; aut in medio,aut in extremo. In extremo, vt epigram. Catulli. *O dulces comitum valete*

lete cœtus,&c. In medio, vt illo, quod ſcripſit in annales Voluſij.

Nunc ô cæruleo creata ponto,
Quæ ſanctum Idalium, Vrioſq́ apertos,

& quæ ſequuntur, quibus compellat Venerem. Apud alios non deſiderabis exempla, ſi quæras.

Suauitatis gratia ſermo & ſenſus attribuuntur brutis animantibus, ſyluis, fontibus, montibus, inſulis, aliisq́ue rebus animo vacantibus, quas etiam blandè affari conceſſum eſt. Lucillus cum auaro murem loquentem facit, & negantem ſeſe cibum apud illum, ſed hoſpitium tantum quærere. Martialis ad ſuum libellum toties ſermonem conuertit. Apud Auſonium Danubius alloquitur Nilum. Loquitur etiam captus à cane marino lepus. Rurſum apud Martialē in Xeniis, & Apophoretis ſermo rebus variis affingitur. Toſ. tom.2. elegans eſt querimonia anſeris, quem ab arbore ſuſpenſum iaculis Romani petebant.

Quid benefacta iuuant, quid vos ſeruaſſe Quirites,
Et Capitolini templa ſuperba Iouis?
En iaculis ſumma pendens ex arbore, veſtris,
Poſtmodo victori præda futura, petor.
Ergo non aliam tanta feritate decebat,
Quam veſtri altricem ſanguinis eſſe lupam.

Venuſtè Catullus ad verſiculos, quos Cæcilium accerſitum mittit.

Poetæ tenero meo ſodali
Velim Cæcilio papyre dicas, &c.

Et alio loco ad hendecaſyllabos quam lepidè?

Adeſte hendecaſyllabi quot eſtis
Omnes, vndiq́ quotquot eſtis omnes, &c.

Item ad Sirmionem inſulam in agro Veronenſi, vbi poſſeſsiones habebat, reuerſus è Bithynia.

Peninſularum Sirmio, inſularumq́;
Ocelle, quaſcunq; in liquentibus ſtagnis,
Mariq́; vaſto videt vterq; Neptunus.

Peruenuſtum iudicatur epigramma, in quo eſt aliquid eruditionis non vulgaris: ſeu in quo aliquid antiqui moris, aut ritus attingitur, vt in illo Catulli ad puerum ſuum, in quo duas conſuetudines aperit: vnam poſcendi maioribus & meracioribus poculis vetuſtioris vini, in quo amarus quidam ſapor ſentitur: quæ cõſuetudo à Græcis procedente conuiuio tenebatur, & ab illis orta fuerat: alteram, creandi in conuiuiis talorum iactu vnum aliquem, qui præſcriberet, quantum quiſque & quomodo temperatum biberet. Græci συμποσίαρχον, & βασιλέα, Horatius bibendi arbitrum, Varro modiperatorem, Cic. de ſenect. magiſtrum, Macrob. regem menſæ, rem & poteſtatem ipſam, magiſterium, Horatius regnum vini, Græci ἀρχιποσίαν appellabant.

Miniſter vetuli puer Falerni
Ingere mi calices amariores,
Vt lex Poſthumia iubet magiſtra.
At vos, quo lubet, hinc abite lymphæ,
Vini perniciesé, & adſeueros
Migrate; hic merus eſt Thyonianus.

Obſeruaui præterea hæc in Catullianis, quæ mihi non inſulſa videntur. Primum verſum poſtremo loco iterat, vt ad ſe ipſum, de Struma & Vatinio.

Quid eſt Catulle, quod moraris emori?
Sella in curuli Struma Nonius ſedet:
Per conſulatum peierat Vatinius.
Quid eſt Catulle, quod moraris emori?

In annales Voluſij ſimiliter. Et Martial. ad librum ſuum epigram. vltimo lib. 4.

Liben-

Libenter etiam, ac ſæpe claudit exclamatione, ô, vt in luctu paſſeris

O factum male, ô miſelle paſſer, &c.

Et ad Verannium.

O quantum eſt hominum beatiorum
Quid me lætius eſt, beatiúſue?

Et in Furium.

O ventum horribilem atq; peſtilentem,

Et in Acmen.

O ſeculum inſipiens, & infacetum.

Gaudet etiam ab eadem particula exordiri.

O Colonia, quem cupis ponte ludere longo.
O qui floſculus es Iuuentiorum.
O furum optime balneariorum.
O funde noſter, ſeu Sabine, ſeu Tiburs.
O rem ridiculam, Cato, & iocoſam.

Martialis lib. 5. epigrammate de Hermete, omnes verſus inchoat à nomine Hermes. Et quomodo omnes verſus ab eadem voce inchoari: ſic in eandem, aut eaſdem pulchrè poſſunt deſinere, aut omnes, aut alterni; figura quæ Conuerſio dicitur.

Pulchrum ſanè & illud, in quo magnus animi motus, magnáue & vehemens affectio cernitur, exprimitúrque: nempe aut mœror, aut dolor, aut pietas, aut amor, aut commiſeratio. Quale eſt Catulli, quod inſcribitur, Inferiæ ad fratris tumulum.

Multas per gentes, & multa per æquora vectus, &c.

Atque etiam Auſonij in Didonem.

Infelix Dido, nulli bene nupta marito,
Hoc pereunte fugis, hoc fugiente peris.

Elegantiſsimum phaleucium, incerto auctore.

Ablatus mihi Criſpus eſt amici,
Pro quo ſi pretium dari liceret,

Noſtros diuiderem libenter annos:
Nunc pars optima me mei reliquit
Criſpus, præſidium meum, voluptas,
Pectus, delicia: nihil ſine illo,
Lætum mens mea iam putabit eſſe.
Conſumptus malè debiliq; viuam:
Plus quam dimidium mei receſſit.

Delectat etiam illud Pētadij in Narciſsum florem, cuius fabulam perſequitur Ouidius Metamorph. lib. 3.

Hic eſt ille, ſuis nimium qui credidit vndis
Narciſſus vero dignus amore puer.
Cernis ab irriguo repetentem gramine ripam,
Vt per quas periit creſcere poſſit aquas.

Supereſt enargia, Cicero euidētiam nominat, quæ rem ſubiicit ſub oculos, & eius formam quaſi pingit. Ea partim ſita eſt in verbis, partim in rebus. Exemplum eſſe poterit Martialis, in Mutium Scæuolam lib. 1. Prouidendum tamen, ne cum hanc virtutem conſectamur, inani ſonitu verborum turgeſcat oratio.

Dum peteret Regem decepta ſatellite dextra,
Iniecit ſacris ſe peritura focis.
Sed tam ſæua pius miracula non tulit hoſtis,
Et raptum flammis iuſſit abire virum.
Vrere quam potuit contempto Mutius igne,
Hanc ſpectare manum Porſena non potuit.
Maior decepta fama eſt, & gloria dextra,
Si non erraſſet, fecerat illa minus.

DE SCITA CONCLVSIONE Epigrammatis.

CAPVT XIII.

ETSI totum epigramma compoſitum, feſtiuum, artificio quodã & expolitione diſtinctum, & ingenioſum eſſe debet, id quod ſatis ſupérque nos docuiſſe arbitramur, tamen ipſe terminus eius præcipuo quodam artificio illuminatus ſit oportet, taliſqúe prorſus, qui vel acumine, vel pondere, vel lepore, vel nouitate, vel alia quapiam illecebra legentium mentes ſenſuſqúe commoueat. Idcirco epigramma quidam cum ſcorpione contulerunt. Nam ſcorpius, quanquam minatur vndiq;, tamen in cauda gerit aculeum, quo lethalem plagam infligit. Perinde epigramma venenum, hoc eſt acumen, admirationem, pondus, riſum, dolorem, & quidquid ad delectationem, variúmque animi motum præclarum eſt, ad vltimum, vltimoſq; potiſsimùm verſiculos, tanquam in caudam reſeruat, quoniam ibi aures, & animus legentium conquieſcit. Concluſione metimur totum epigramma: quod etſi paulò frigidius, leuius, inſulſius, exilius fuerit, eleganti clauſula, & feſtiua commendabitur: nec facilè effluet ex animo. Adiuuant hîc plurimùm exclamationes, interrogationes rhetoricæ, epiphonemata, amaræ conceſsiones, quæ à quibuſdam dicuntur, ironiæ, cum formis ſibi ſubiectis, inexſpectatò & ſentẽtioſè dicta, apoſtrophæ, & ſimiles feſtiuitates, quas, quæ adduxi exempla, partem aliquam docebunt. Martial. de Gellia lib. 1.

Amiſſum non flet cum ſola eſt Gellia patrem:
Si quis adeſt, iuſſa proſiliunt lacrymæ.
Non dolet hic quiſquis laudari Gellia quærit:
Ille dolet verè qui ſine teſte dolet.

Eiuſdem ad Catonem lib. I.

Noſſes iocoſæ dulce cum ſacrum Floræ,
Feſtosq; luſus, & licentiam vulgi,
Cur in theatrum Cato ſeuere veniſti?
An ideo tantum veneras vt exires?

In Portiam Bruti vxorem lib. I.

Coniugis audiſſet fatum cum Portia Bruti,
Et ſubtracta ſibi quæreret arma dolor:
Nondum ſcitis, ait, mortem non poſſe negari?
Credideram ſatis hoc vos docuiſſe patrem.
Dixit, & ardentes auido bibit ore fauillas,
I nunc, & ferrum turba moleſta nega.

De Gemello, & Maronilla ibidem.

Petit Gemellus nuptias Maronillæ,
Et cupit, & inſtat, & precatur, & donat.
Adeóne pulchra eſt? immo fœdius nil eſt.
Quid ergo in illa appetitur, & placet? tuſſit.

Auſonij quoddam eſt de vxore zelotypa, veneno argentum viuum miſcente, vt citius virum tolleret: quod tamen pharmacum præter opinionem purgauit potius hominem. Eius finis ſic habet.

Quàm pia cura Deûm? prodeſt crudelior vxor,
Et cum fata volunt, bina venena iuuant.

Martialis lib. 4. de vipera electro incluſa.

Flentibus Heliadum ramis dum vipera ſerpit,
Fluxit in obſtantem ſuccina gemma feram.
Quæ dum miratur pingui ſe rore teneri,
Concreto riguit victa repente gelu.
Ne tibi regali placeas Cleopatra ſepulchro,
Vipera ſi tumulo nobiliore iacet.

DE EPI-

DE EPITAPHIO, SEV FVNEBRI POESI.

QVID SIT ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ ΛΟΓΟΣ, *Epitaphium, Epicedium, Nænia.*

CAPVT XIV.

DEFVNCTORVM imagines & ſimulacra domi per atria diſpoſita ſeruabantur, in foro atq; alibi eorundem ſtatuæ collocabantur, quibus cum virorũ fœminarumq; illuſtrium erga patriam beneficia, virtutesq; ad immortalitatem conſecrarentur: tum iis aſpectandis ad ſimile decus ſibi parandum ciues inflammarentur. Eorundem facta & hanc ob cauſſam, & ad ſedandum cognatorũ, affiniumq; luctũ publicè laudabantur. Quæ oratio, quod initiò ad tumulos eorũ, quos laudabant, pronuntiabatur, ἐπιτάφιος λόγος nomen adepta eſt. Conſtabat hæc epitaphica oratio aliquando verſibus: poetæ enim in defuncti laudibus prædicandis concertabant.

Nobis epitaphium hoc loco *eſt metricum quoddam epigrámma, quod videlicet inſcribi poßit defunctorum ſepulchro, ſiue tumulo, illorum plerunque nomen, ætatem, merita, ſtatum, dignitates, laudes tum animi tum corporis, mortis genus, aliaq; huiuſmodi grauiter, & ſæpius cum quadam commiſeratione, ac interdum ingentis doloris ſignificatione breuiter indicans.* Plato breuitatem amauit in epitaphio, & ſepulchra fieri ſumptuoſa vetuit. Sic enim eius ſententiam retulit Cicero. Extrui autem vetat ſepulchrum altius, quam quod

quinq; diebus homines quinq; abſoluerint: nec è lapide excitari plus, nec inponi, quam quod capiat laudem mortui, inciſam quatuor heroicis verſibus: quos lōgos appellat Ennius. Apud Virgilium in Daphnide, cum Mopſus ita dixiſſet.

Spargite humum foliis, inducite fontibus vmbras
Paſtores, mandat fieri ſibi talia Daphnis.
Et tumulum facite, & tumulo ſuperaddite carmen,

mox ſequitur epitaphium, duobus verſibus comprehenſum:

Daphnis ego in ſyluis hinc vſque ad ſydera notus,
Formoſi pecoris cuſtos, formoſior ipſe.

Epitaphia ad exornationem maximè referuntur. Quod ſi in iſta tractatione videbor paulò vberior, quam res poſtularet, intelligant ſtudioſi, me voluiſſe cæteris etiam carminibus funebribus materiam conquirere ac ſuggerere, deq; illorum ſimul artificio naturaq; vna opera diſputare: qualia ſunt epicedia, næniæ, monodiæ, atq; adeo elegiæ, item threni. Idcirco quoties per hæc capita vocem epitaphij legent, ſimul omne genus poeſeos funebris accipiant. Tenendum porrò, metonymia quadam epitaphia frequenter à poetis vocari tumulos. Quidam, propterea quod querelas, nænias, funebres lamentationes epitaphiis permiſcent, maluerunt ſuis libris nomen indere Funerum.

Epicediū græcè ἐπικήδειον à κηδεύω, vt Euſthatius deducit, recitabatur, dum iuſta mortuo ſoluebantur, ſeu ante humationem cadaueris: quaſi dicas, ad exequias, in ipſo funere, dum curatur funus. Euſthatius definit ἔπαινον τοῦ τελευτήσαντος μετά τινος μετρίου χειλισμοῦ. Exempla veſtiges licet ecloga 5. vbi Mopſus Daphnidi canit epicedium. Æneid. 9.

vbi

vbi mater Euryalum à Rutulis vita ſpoliatū plorat: & 11. in quo lugetur Pallas Euandri filius. In ſupplemento Maphæi Daunus Turni, ab Ænea interfecti pater in hunc modum.

Nate patris dolor, & feſſæ miſerande ſenecta
Rapta quies: & quæ ſequuntur.

Et quidem Epicedium nō repetebatur: orationes quas ἐπιταφίυς λόγυς appellatas oſtendi, ſiue metris conſtarent, ſiue ſolutæ eſſent, in annos ſingulos ad extincti monumentum iterabantur. Conſuetudo tamen, quæ vt aliarum rerum, ſic verborum domina eſt, Epicedij nomen ad carmen funebre quodcunque indicandum tranſtulit.

Nænia carmen erat, quod ad rogum, ſeu in funere concinebatur ad tibiam, in quo ea prodebantur, quæ ad mortui laudem declarandam, luctumque aſtantibus incutiendum faciebant. Huiuſmodi cantionem ſibi Dido Regina Carthaginis apud Maronem, conſtructa iam pyra in gladium incubitura effundit.

MATERIA FVNEBRIVM
CAPVT XV.

QVANQVAM epitaphio cæteriſque poematum funebrium generibus lugubria fermè explicantur, non ſunt tamen omnia vnius eiuſdemque rationis: ſicuti nec ipſæ perſonæ, de quibus ſcribuntur. Alia quippe eſt perſona Cæſarum, Regum, Principum, alia mediocriter nobilium, alia ſapientum, alia ſtultorum, alia magiſtratuum,

tuum, alia priuatorum. Rurſum alia puerorum, alia adoleſcentum, alia mulierum nuptarum, innuptarum, alia opificum. Reliqua diſcrimina, ne longus ſim, prætereibo. Generatim autem hæc & ſimilia epitaphio, ſeu genere aliquo funebriũ poematum perſequemur. Significabimus noſtrum aliorumq; dolorem ex obitu hominis acceptum. Inuehemur in mortem, quæ nos tam conſtantibus amicis, tam iucundis ſodalibus, tam charis fratribus, tam dilectis ſororibus, dulciſsimis parẽtibus, conſanguineis, affinibus: noſtram patriam tam bonis ciuibus. Rempub. tam ſapiente gubernatore, regnum tam bono Principe ſpoliarit. Deteſtabimur ipſam cauſſam, quę interitum inuexit, bellum, peſtilentiam, famem, morbum, tempeſtatem, ſubitos & improuiſos caſus, qui hîc enarrari non poſſunt, quippe innumerabiles: & nunquam homini ſatis prouiſum eſt, quid veſper ſerus apportet. Fas item eſt deflere miſeram humanæ vitæ conditionem, quæ nunquam longè abeſt à termino. Hîc verò incredibilem optimarum ſententiarum vbertatem vtriuſq; linguæ ſcriptores ſuppeditabunt. Hortamur quoq; ad luctum, non homines ſolum, ſed etiam res inanimas, & eas ipſas, ſicuti beſtias quoq; ſqualere, afflictari, lugere dicimus. Vt Virgil. eclog. 5.

Non vlli paſtos illis egere diebus
Frigida, Daphni, boues ad flumina: nulla neq; amnẽ
Libauit quadrupes, nec graminis attigit herbam.

Et poſtea.

poſtquam te fata tulerunt,
Ipſa Pales agros, atque ipſe reliquit Apollo,
Grandia ſæpe quibus mandauimus hordea ſulcis,
Infelix lolium, & ſteriles dominantur auenæ

Compa-

Comparamus nos cum iis, qui ob patrum, filiorum, coniugum, neceſſariorum interitum in luctu ac mœrore non vulgari iacuerunt, noſtrumq́ue mœrorem & incommoda exaggeramus. Eſt quãdo conſolamur propinquos & familiares defunctorum, dicentes, cum illis bene actum, & multis malis ereptos, pro excellentibus eorum meritis æuum ſecurum agere in cælis: quin apud ſuperſtites quoq; celebre nomen, & illuſtrem famam adeptos. Ita Martial. lib. 6. Priſcum de patre Salonino in Hiſpania mortuo conſolans, fama & gloria virtutis eum viuere affirmat.

Sancta Salonini terris requieſcit Iberis,
Quam melior Stygias non videt vmbra domos.
Sed lugere nefas: nam qui te, Priſce reliquit,
Viuit, qua voluit viuere parte magis.

Defunctis placidam quietem, & gaudia ſempiterna precamur. Pium præterea, & Catholicum foret, ſi viatorem poeta hortaretur ad preces deo adhibendas pro anima demortui expianda: idq; etiam ipſum è tumulo defunctum flagitantem poterit inducere. Sicut item pro noſtræ religionis myſterio ſæpius reſurrectionis corporum meminiſſe poterimus, & illius vitæ beatiſsimæ, quã nobis diuinæ litteræ pollicentur. Quod ad laudes attinet, efferemus eas, modicè tamen: in epitaphio, inquam: nam in epicediis, næniis, &c. licebit eſſe longiores, & cum pondere, animi atque corporis ornamenta, egregia facinora, auctoritatem, genus, & alia demum, quæ deinceps omnia diſtinctè, diſtributeq́; exponentur, commendare.

DE EPITAPHIO IMPERATOrum, Regum, Principum, Nobilium, & Illuſtrium.

CAPVT XVI.

GENVS hoc, quoniam id ipſarum perſonarum auctoritas, amplitudo, maieſtas, & nobilitatis reuerētia poſtulat, tum verborum, tum ſententiarum luminibus debet eſſe grauiſsimum, lectorumq́ animis multam admirationem parere: ſiquidem vt nullorum hominum potentia maior, vita ſplendidior, fama peruagatior: ita nullorum occaſus vulgatior: addo etiam mirabilior, inſperatior, & ſæpenumero calamitoſior. Celſæ enim grauiore caſu decidunt turres, ait Lyricus. Alexandro Magno ſi quis faciet epitaphium, dicet horum ſimilia. Heri orbis terrarum ſpatia nō ſuffecerunt Alexandro: nunc trium quatuórue cubitorum latitudo illi planè ſufficit. Paulò antè Alexander multas gentes morte prohibere potuit: hodie ſeipſum non potuit. Nuper Alexander terram oppreſsit: nunc à terra opprimitur. Eiuſmodi γνῶμαι haud mediocrē materiæ vim his epitaphiis creabunt. Nec verò ſilebitur eorum felicitas in propagandis imperiis, ſapientia, iuſtitia in adminiſtrandis regnis, prouinciis, clementia in ignoſcendis ſubiectorum peccatis, comitas in congreſſu, fortitudo & prudentia militaris: hæc enim ſunt decora Principum. Maximè autē proferetur pietas in benefactis erga homines, in templis conditis erga deum, in tuenda & propaganda religione orthodo-

orthodoxa, in perſequendis hæreticis, in puniendis flagitioſis, &c. Legenda Iſocratis oratio ad Nicoclem, qua officium, & virtutes regiæ deſcribuntur.

Tumulus Caroli V. ex Hippolyto Capilupo.

Europa domuit tollentes cornua Reges
Carolus, atq; Aſia terror & horror erat.
Et pedibus Libyam calcauit victor, & illi
Innumeras victus præbuit Indus opes.
Deinde ſibi frænum iniecit, fratriq; regendum
Imperium, & nato cætera regna dedit.
Atq; ait, è nobis & honores temnere, & vnum hoc
Diſcite mortales, puluis & vmbra ſumus.

Mollities illa, teneritudo, & commiſeratio in hiſce tumulis locum non habet: omnia ſiquidem ad acumen, grauitatem, admirationem, maieſtatem conferenda ſunt. Legè ſi lubet fragmentum Pepli Ariſtotelis, quo epitaphia continentur heroum Homericorũ, quæ ſingula ſuis diſtichis abſoluuntur. Eorundem heroum epitaphia in Auſonio leges: qui apud philologum quendam reperta, vt ipſe inquit, liberius, & ſuo arbitratu latino ſermone conuertit. Huc item referri queunt Heroes Scaligeri, & ex græcis epigrammatis non pauca.

In nobilitate conſideratur antiquitas familiæ: quo enim quæque vetuſtior, hoc nobilior. Hinc nonnulli, vt antiquiſsimi, ideoq; nobiliſsimi iudicétur, nõ modo ad Comites, Principes, Reges qui ſexcentos abhinc annos vixerunt, ſed etiam ad Pompeios, Herculem, ad Troianos originem ſuæ domus referunt. Semper itaq; recentiorem nobilitatem à vetuſta deſpectam videmus. Extollamus ergo antiquitatem ſtemmatis in nobilibus. Plerũque

que opes cum nobilitate cōiunctæ ſunt: nobilium quippe ſunt ſyluæ, pagi, arces, oppida. Hinc altera laus naſcitur à diuitiis. Eſt etiam præſtans forma in nobilibus, quæ in 1. Offic. dicitur dignitas, alięq; corporis laudes. Quanquam rectè monent Rhetores, non ſimpliciter aliquem laudari à diuitiis: ſed ita, ſi iis bene ſit vſus. Bona enim corporis & extra nos poſita, veram laudem, quæ vni virtuti debetur, non habent. Magni tamen fiunt, & ſuſpiciuntur à populo, ad cuius ſe iudiciūm opinionéſque demittunt poetæ. Forma commendatur magis in pueris & fœminis, quam in viris: quorum alia maiora ſunt ad gloriam. Quoniam verò gradibus diſtant nobiles, oportebit pro ratione ſtatuum epitaphia quædam alia aliis eſſe nitidiora. Licet etiam captare anſam laudandi eos ex arguta explicatione inſignium familiæ, ſi fortè obſcurior eſt eorum ſignificatio. Immò quamuis clara fuerit, poetæ tamen aliò detorquere fas erit.

Illuſtres viros appello, rebus in magiſtratu, vt in ædilitate, prætura, conſulatu geſtis, nobilitate, virtute, auctoritate, meritis claros & honoratos, toti ciuitati notiſsimos. Inſpicienda hîc ea, ex quibus glorioſum in Repub. nomen conciliatur, quæ ſtrictim attingenda. Libandi item loci communes, & ſi quid in morte nouum, admirabile, triſte acciderit: ſi qua virtus eximia, & egregiè Chriſtiana in homine eluxerit, qualis inprimis eſt beneficentia in egentes: ſi à multis nepotibus & neptibus, vt ille Metellus Romanus, in ſepulcrum illatus ſit: ſi, vt Maximus, & L. Paulus filios claros habuerit: ſi vel in negotio ſine periculo, vel in otio cum dignitate vixerit. Et reliqua demum, quæ diximus,

ximus, cum de materia funebrium loqueremur. Cic. in Catone epitaphium quoddam adducit Attilij Calatini. Sic enim ait. *Apex autem ſenectutis eſt auctoritas. Quanta fuit in L. Cecilio Metello? quanta in Attilio Calatino? in quem illud elogium: vno ore quem vnicum plurimæ conſentiunt gentes, populi primarium fuiſſe virum. Notum eſt totum eius carmen inciſum ſepulchro.* Verſiculos quos Cicero duos citat, ſic digeſsit quidam eruditus.

Hic ſitus, vnei quoi plurimæ conſentiunt
Gentes, fuiſſe virom populi primariom.

Lib. 3. Anthol. prima ſtatim pagina duo ſunt perelegantia epitaphia: prius in Dulcitiũ Procos: Conſtantinopolitanum, quem ob vitam inculpatam ad ſummos honorum gradus extulerant Imperatores: alterum in hominem claro ſanguine natum & probum, generum imperatricis: cuius omnia mortalia dicit fuiſſe poeta, præter virtutem.

Incerti.

Δυλκίτιον μὲν ἄνακτες ἄκρον βιότοιο πρὸς ὄλβον
ἤγαγον ἐξ ἀρετῆς, καὶ κλέος ἀνθυπάτων.
τὸν δὲ φύσις μιν ἔλυσεν ἀπὸ χθονός, ἀθάνατοι μὲν
αὐτὸν ἔχουσι θεοί, σῶμα δὲ σῆκος ὅδε.

Iuliani Ægyptij

α. κλεινὸς Ἰωάννης. β. θνητὸς λέγε. α. γαμβρὸς ἀνάσσης.
α. θνητὸς ὅμως. β. γενεῆς ἄνθος ἀναστασίου.
α. θνητοῦ κἀκείνου. β. βίον ἔνδικος. β. οὐκ ἔπι τοῦτο
θνητὸν ἔφης, ἀρεταὶ κρείσσονές εἰσι μόρου.

DE EPITAPHIO DVCVM atque militum.

CAPVT XVII.

DVAE ſunt artes bellicæ, prudentia & fortitudo, de quibus Cicero in 1. Off. earũ vtraq; Duci ſeu Imperatori eſt perneceſſaria, amplius tamen prudentia: militem potius commendat fortitudo, qui ad alienum arbitriũ gubernatur, & ducis imperium ſeu prudenter ille, ſeu ſtolidè imperauerit, capeſſere neceſſe habet. Itaq; nunquã magnopere commẽdatus eſt miles à prudentia, ſed à fortitudine. Hinc illa magnifica, & omnibus politiorum literarum alumnis iam pridem nota vox M. Tullij: Vos, vos, inquam, appello, fortiſsimi viri, qui multum pro Repub. ſanguinem effudiſtis. Nec verò vel ſapiẽti magnanimoq; Imperatori, vel ſtrenuo aut veterano militi digna laus perſolui vnquam poteſt. Quorum virtute & laboribus gentes in pace viuũt, & vrbes otio tranquilitateq; florent: quibus vitam fortunasq; noſtras ſaluas debemus. Conqueremur ergo de violentia & iniquitate Martis, qui, vt Cicero ait, optimum quenq; ex acie pignerari ſolet: & facilius è medio tollit intrepidos, quam ignauos atq; timidos. Prudentia quidem Imperatorem cum Vlyſſe, Neſtore, Q. Fabio Maximo: fortitudine cũ Achille, Aiace, Scipione, Hannibile, Epaminonda, Leonida contendemus. Ipſum aut æqualem, aut maiorem ſtatuemus. Enumerabimus erecta trophæa, aduer-

aduerſus hæreticos & Turcas potiſsimúm, conciſos ac funditus deletos exercitus, captas, defenſas, obſidione liberatas vrbes, & illa quæ in ſummo Imperatore ineſſe oportere ſcripſit M. Tullius: ſcientiã rei militaris, virtutem, auctoritatem, fęlicitatem. De his omnibus vniuersè, ſi volemus, aut de vno aliquo ſpeciatim agemus. Dicemus quàm generosè occubuerit: præclaræ enim mortes Imperatoriæ. Affabimur Rempub. patriam, regna, prouincias, ditiones, vrbes. Earum vicem deplorabimus: quantæ calamitates præſtantiſsimo Imperatore occiſo ante fores ſint, oſtẽdemus. Fletum ciuium, propinquorum, omnis generis hominum, crudelitatem hoſtis in mortuum exponemus. Ipſum etiam ſua decora predicantem, & indignitatem necis, ſi per inſidias, aut proditionem oblata ſit conquerentem introducemus.

Nec deſunt generoſi, & hiſtoricorũ, poetarumq́; libris nobilitati bellatores, quibuſcum miles rectiſsimè conferatur. Habemus namque Coclites, Horatios, Curiatios, Scæuolas, Torquatos: habem⁹ Euryalos, Niſos, Patroclos & alios apud Virgiliũ & Homerum, in 6. poſterioribus Æneidos, & 24. Iliados libris. Laudantur præterea hæc in milite: obedientia erga ducem, vigilię, tolerãtia ęſtus, frigoris, itinerum, famis, ſitis, continentia voluptatum, & ſuper omnia charitas patriæ, pro qua ſuum caput deuouerit. Memorantur eiuſdem victoriæ, efferuntur cicatrices: maximè ſi omnes aduerſæ, nulla auerſa fuerit. Non omittitur, ſi nunquam fugam dederit: ſi eum ſicut exemplum cæteri ſpectarint: ſi ab imperatore aut congiarium frequen-

ter, aut coronas obtinuerit, ciuicam, muralem, caſtrenſem, naualem. Fas interim deteſtari bellum, quod parentes dulciſsimis liberis, Rempub. optimis ciuibus, prouincias & regna hominibus orbare, ſurſum ac deorſum miſcere ac cōfundere omnia ſoleat.

Germanici in Themiſtoclem.

ἀντὶ τάφου λιτοῖο θὲς ἑλλάδα, θὲς δ' ἐπὶ ταύτᾳ,
δούρατα, βαρβαρικῆς σύμβολα ναυφθορίας,
καὶ τύμβου κρηπῖδα περίγραφε περσικὸν ἄρη,
καὶ Ξέρξην. τούτοις θάπτε θεμιστοκλέα,
στάλα δ' ἁ σαλαμὶς ἐπικείσεται ἔργα λέγουσα
τ' ἀμά. τί με σμικροῖς τὸν μέγαν ἐντίθετε;

Antipatri in Ariſtomenem fortiſsimū Meſſoniorum Ducem. Alloquitur poeta aquilam, eius ſepulchro inſidentem.

α. ὄρνι, διὸς κρονίδαο διάκτορε. τεῦ χάριν ἔστας
γοργὸς ὑπὲρ μεγάλου τύμβον ἀεισομένους;
β. ἀγγέλλω μερόπεσσιν, ὅθ' οὕνεκεν ὅσσον ἄειστος
οἰωνῶν γενόμαν, τόσσον ὅδ' ἡμιθέων.
δειλαί τοι δειλοῖσιν ἐφεδρήσουσι πέλειαι,
ἄμμες δ' ἀτρέστοις ἀνδράσι τερπόμεθα.

Tumulus Hectoris.

Defenſor patriæ iuuenum fortiſsimus Hector,
Qui murus miſeris ciuibus alter erat,
Occubuit telo violenti victus Achillis,
Occubuere ſimul ſpesq́ ſalusq́ Phrygum.
Hunc ferus AEacides circum ſua mœnia traxit,
Quæ iuuenis manibus texerat ante ſuis.
Heu quantos Priamo lux attulit illa dolores,
Quos fletus Hecubæ, quos dedit Andromachæ?

Sed raptum pater infelix auroq́ꝫ repenſum
Condidit, & mærens hac tumulauit humo.

Tumulus Achillis.

Peleïdes ego ſum, Thetidis notiſſima proles,
Cui virtus clarum nomen habere dedit.
Qui ſtraui toties armis victricibus hoſtes,
Inq́ꝫ fugam ſolus millia multa dedi.
Hectore ſub magno ſummà eſt mihi gloria caſo,
Qui ſæpe Argolicas debilitauit opes.
Ille Menætiadæ ſubiit me vindice pœnas:
Pergama tunc ferro procubuère meo.
Laudibus immenſis victor ſuprà aſtra ferebar,
Hoſtilem preſsi fraude peremptus humum.

Duo epitaphia in milites apponam, ab Anacreonte ſcripta. Primo eandem ſententiam complexus eſt, quam ſupra protuli ex Philippicis. In altero dicit Agathonem à tota patria defletum, nec parem illi in acie cecidiſſe.

Tumulus Timocriti.

καρτερὸς ἐν πολέμῳ Τιμόκειτος, οὗ τόδε σῶμα.
ἄρης δ' οὐκ ἀγαθῶν φείδεται, ἀλλὰ κακῶν.

Tumulus Agathonis.

ἀβδήρων προθανόντα τὸν αἰνοβίην ἀγάθωνα,
πᾶς ὅδ' ἐπὶ πυρκαϊῆς ἤδ' ἐβόησε πόλις.
ὕπνα γάρ τοῖονδε νέων ὁ φιλαίματος ἄρης
ἠνάειςε συγερῆς ἐν στροφάλιγγι μάχης.

Sunt autem profectò ſpecioſiſsima epitaphia; quæ in plures milites, atq; adeò in totos exercitus ſcribuntur. Simonidæ in 300. Lacedæmonios duce Leonida in Thermopylis occiſos à Perſis.

ὦ ξεῖν', ἄγγειλον Λακεδαιμονίοις ὅτι τῇδε
κείμεθα, τοῖς κείνων ῥήμασι πειθόμενοι.

Cicero latinè.

Dic hoſpes Sparta, nos te hic vidiſſe iacentes,
Dum ſanctis patria legibus obſequimur.

Aliud.

εἰ τὸ καλῶς θνήσκειν ἀρετῆς μέρος ἐστὶ μέγιστον,
ἡμῖν ἐκ πάντων τοῦτ' ἀπένειμε τύχη.
Ἑλλάδι γὰρ σπεύδοντες ἐλευθερίην περιθεῖναι
κείμεθ', ἀγηράντῳ χρώμενοι εὐλογίῃ.

Maxima ſi virtus eſt fortiter occubuiſſe,
Fortuna hoc nobis contulit ante alios.
Nam aſſerere afflictam properantes Hellada, cuncti
Æternum indepti ſternimur elogium

DE EPITAPHIO SANCTORVM, religioſorum, eruditorum, ac ſapientum.

CAPVT XVIII.

VSvs horum epitaphiorum ideo fit inſolēs, quod millibꝰ è multis hominum rari ſunt & infrequentes boni: mali ac perditi infinitis partibus plures. Non hîc intelligo quoſuis quoquo modo bonos, id eſt nō improbos: vt cum dicimus, hos vel illos, Titium & Sempronium eſſe bonos viros: verum excellenter bonos, quos vocamus ſanctos viros. Neq; religioſos, qua notione

hæc

hæc vox apud latinos adhibetur, & Feſto auctore eum ſignificat, qui non modo Deorum ſanctitatem magni ęſtimat, ſed etiam officioſus eſt aduerſus homines: vel vt Cicero 2. de Nat. Deor. qui omnia quæ ad cultum Deorum pertinent, diligenter retractarent, & tanquam relegerent, ſunt dicti religioſi, ex relegendo, vt elegantes, ex eligẽdo: ſed qua apud nos Chriſtianos in vſu eſt. Illos, inquam, ſic appello, qui ſpretis huius vitæ blandimentis atque ludibriis, Deo Opt. Max. totos ſe conſecrarũt: qui vitæ ſuę curſum ad præſcriptum inſtitutorum ſuorum direxerunt, innocentiſsimeq́ue, & quantum hominis natura fert, extra culpam ſuos annos decurrerunt. Sanctos homines voco illos, qui ſignorum editione floruerunt: eos autem magis, in quibus fuerunt expreſſa maximarum certiſsimarumq́ue virtutum indicia, quorum obitus lætitia, non lamentis eſt proſequendus: vt aliorum, quibus quid fiat poſt diſceſſum ex hac luce, nobis incertum eſt. Quapropter horum tumuli niſi meras veraſq; laudes nihil complectuntur. Veruntamen piè dolere poſſumus, Eccleſiam catholicam tantis luminibus atq; ornamentis, ciuitatem tam firmo aduerſus iram Dei præſidio eſſe priuatam. Licitum inſuper in extremo epitaphij rogare illos vt apud Deum in gratia nos reponant, eius voluntatem nobis recuperent, & impendentem prouinciæ noſtræ, orbiq́ue Chriſtiano cladem, vaſtitatem, famem, bellum, morbos auertant. Lege tumulum D. Ioannis Alexandrini cognomento ἐλεήμονος, ſcriptum à Sophronio Patriarcha Hieroſolymorum tit. 1. lib. 3. Anthol.

Quæ de viris dixi, ſuo ſcilicet modo de religioſis ſanctisq́; fœminis accipiantur, quarum virtutes atq; laudes maiore admiratione oportebit extollere. Longe enim mirabiliꝰ eſt, imbecillũ ac mollem illum ſexum, laboris rerumq́; aſperiorum impatientiſsimum, ad illud ſanctitatis culmen aſcendere, quo cum ſudore virorũ paucisſimi aſpirant. Si fuerint fratres, cognati, matres, ſorores, aut affinitate quapiam nobis coniuncti, aliquanto plus erit indulgendum dolori: quandoquidem hoc natura ſuadet, atque adeo cogit: cuius imperium nolentes volentesq́; patimur, & ſuſtinemus. Laudare nihilominus etiam ſuos poſt mortem honeſtiſsimum eſt: in quo multorum nobis, & illuſtrium hominum exempla prælucent. Et hoc quidem eo audacius conceditur, ſi conſcientia multorum dictis noſtris teſtimonium impertiat.

Varij ſunt ordines doctorum, & ſua cuiuſque propria laus, Theologorum, Philoſophorum, Iureconſultorum, Medicorum, Mathematicorum, præſertim Aſtrologorum, Oratorum, Poetarum, Grammaticorum. In poetarum tumulis mentio Muſarum, Phœbi, lyræ, citharæ, plectri, fontium, fluminum, montium Muſis dedicatorum, camporum item Elyſiorum: quæ omnia cum mera figmenta ſint, vt alia innumerabilia in ſtudio poetico, nota omnibus, & credibilia nemini, propter quendam leporem tamen, & ſuauitatis gratia ſcimus à pleriſq; non negligi. Mirificè placet Bembi in Politianum.

Duceret extincto cum mors Laurente triumphum,
Lætaq; pullatis inueheretur equis,
Reſpicit inſano ferientem pollice chordas
Viſcera ſingultu concutiente virum.

Mirata

Mirata eſt, tenuitq́ iugum, furit ipſe, pioq́
Laurentem cunctos flagitat ore Deos.
Miſcebat precibus lacrymas, lacrymisq́ dolorem,
Verba miniſtrabat liberiora dolor.
Riſit, & antiqua non immemor illa querela
Orphei, tartarea cum patuêre via.
Hic etiam infernas tentat reſcindere leges,
Fertq́ ſuas, dixit, in mea iura manus?
Protinus & flentem percuſſit dira poetam,
Rupit & in medio pectora docta ſono.
Heu ſic tu raptus, ſic te mala fata tulerunt
Arbiter Auſoniæ Politiane lyræ.

Et alterum in Herculem Strozam.

Te ripa natum Eridani Permeſſus alebat,
Fecerat & vatem Marsq́ Venusq́ ſuum.
Iniecêre manus iuueni, & fatalia duræ
Stamina pollicibus perſecuêre Deæ.
Vxor honorata manes dum conderet vrna,
Talia cum multis dicta dedit lacrymis.
Non potui tecum dulcem conſumere vitam,
At iam adero amplexans te cinerem ipſa cinis.

Lege Myrthæi in Iouianum Pontanũ. Toſ.tom.2.
In Cottam Veronenſem Sanazarij, lib.2.Epigram.

Sperabas tibi docta nouum Verona Catullum:
Experta es duros bis viduata deos.
Nulla animum poſthac res erigat, optima quando
Prima rapit celeri Parca inimica manu.
Qua tamen vt vidit morientis frigida Cotta
Ora, ſuum faſſa eſt crimen, & erubuit.

Iureconſulti ſacerdotes & antiſtites iuris nuncupantur. Siquidem ſanctiſsima eſt res, ciuilis ſapiẽtia, vt Vlpianus ait. Et quomodo apud antiquos, ſacerdotes ſui ſingulis diis conſecrati erant, qui de

futuris atq; agendis reſponſa dabant conſulentibus: ſic venerandi illi Iuriſconſulti omni genere literarum inſtructiſsimi, gratuitam, non quæſtuariam iuriſprudentiam habẽtes, in publicum quotidie prodeuntes, vnicuiq; ciui conſulẽdos ſe veteri inſtituto præbebant, & tanquam oracula Iuſtitiæ, Themidiſqúe promebant. Hoc eſt reſponſa boni & æqui plena. Vnde Seruius Sulpitius iuris Antiſtes appellatus eſt, auctore Quintil. vt ſacrorum antiſtes, antiſtitæq; dicebantur. In 1. de Orat. domus Iureconſulti oraculum totius ciuitatis nominatur.

Multùm in hiſce epitaphiis valebunt comparationes. Vt ſi in poetam ſcribas, eum conferas Ouidio, Propertio, Tibullo, Catullo, Virgilio, Homero, Orpheo, ipſi Apollini. Si in Oratorem, Ciceroni, Demoſtheni: nam hi duo cæterorum glorię obſcuritatem attulerunt. Si in Mathematicum, Euclidi, Ptolemæo, Archimedi. Si in Medicum, Podalirio, Pæoni, Machaoni, Æſculapio. Si in Philoſophum, Ariſtoteli, Platoni, Zenoni. Si in Theologum, Auguſtino, Thomæ Aquinati. Adhæc deploranda conditio literarum, amiſsis ipſarum interpretibus, & antiſtitibus. Exaggeranda vniuſcuiuſq; in ſuo genere eruditio. Prædicanda in Theologo pietas, & cæleſtis ſapientia: in Philoſopho acumen: in Medico diligentia: in Iureconſulto integritas: in Oratore facundia: in Poetis maxime ſuauitas: in Grammaticis linguarum græcæ & latinæ perfecta cognitio, multaqúe lectio. Si quis libros ediderit, commendandus labor, laudanda ſcriptoris benemerendi de poſteritate voluntas.

Incer-

Incerti in Hippocratem medicum.

θέσσαλος ἱπποκράτης, κῷος γένος, ἐνθάδε κεῖται,
φοίβου ἀπὸ ῥίζης ἀθανάτου γεγαώς.
πλεῖστα τρόπαια νόσων στήσας ὅπλοις ὑγιείης,
δόξαν ἑλὼν πολλὴν οὐ τύχῃ, ἀλλὰ τέχνῃ.

Tumulus medici, ex Fracaſtorio.

Dum medica Montane doces ope vincere fata,
Et Lacheſi inuita viuere poſſe diu;
Letheo indignans preßit te Parca ſopore,
Et ſecuit vita grandia fila tua.
Sic animas & tu, Aſclepi, dum ſubtrahis orco.
Te quoque ſanorum perdidit ira Deûm.

DE EPITAPHIO CONSANGVInearum. Item Virginum, & Matrumfamiliâs.

CAPVT XIX.

QVAEC VNQVE in iſto genere fient epitaphia abundabunt lamentis, ſuſpiriis, lacrymis. Nam quid homini, potiſsimùm adoleſcenti, poſsit in vita funeſtius & lacrymabilius euenire, quam amittere, quæ illum geſtauit vtero, in hanc iucundiſsimam lucem edidit, vberibus aluit, omni ſollicitudine ac pietate fouit, & ſuis viſceribus chariorem habuit? nullum eſt arctius vinculum in natura, quam quo mater liberiq; colligantur. Non igitur ſine magno, & eximio dolore diſrum-

diſrumpitur. Sorores quam fratres diligimus teneriùs: quare eas auelli à nobis per mortem ægerrimè patimur. In filios ardens eſt patrum, ardentior matrum amor. In coniuges, qui ſunt vna caro, prô quantus? Matrum merita amoremq́; erga nos memorabimus: earundem ſuauiſsimam præſentiam votis ardentiſsimis expetemus. Pro beneficiis & laboribus offerem⁹ aſsiduas lacrymas, dicemusq́; omnino παθητικώτερα. Precabimur etiã quietem à Deo maternis manibus. Fingere ad hæc ſolent poetæ ſororum, filiarum, coniugum imagines occurrere dormitantibus ſibi. Earundem caſtitatem, & pudicos mores prædicant: ſed ita, vt hæc omnia ad luctum referantur. Denique, vt breue faciam, hæc epitaphia eo meliora arbitramur fore, quo ſuauiora: eo autem erunt ſuauiora, quo mœſtiora.

Meleagri in vxorem ſuam.

Δάκρυα σοὶ καὶ νέρθεν ὑπὸ χθονὸς ἡλιοδώρα
δωροῦμαι στοργᾶς λείψανον εἰς ἀίδα.
δάκρυα δυσδάκρυτα, πολυκλαύτῳ δ' ἐπὶ τύμβῳ
σπένδω μνᾶμα πόθων, μνᾶμα φιλοφροσύνης.
οἰκτρὰ γὰρ, οἰκτρὰ φίλαν σε καὶ ἐν φθιμένοις μελέαγρος
αἰάζω, κενεὰν εἰς ἀχέροντα χάριν.
αἶ αἶ, ποῦ τὸ ποθεινὸν ἐμοὶ θάλος; ἅρπασεν ἅδας,
ἅρπασεν, ἀκμαῖον δ' ἄνθος ἔφυρε κόνις.
ἀλλά σε γουνοῦμαι γᾶ παντρόφε, τὰν πανόδυρτον
ἠρέμα σοῖσ κόλποις μᾶτερ ἀναγκάλισαι.

Laudetur virgo honeſtè, eaq́; proferantur, quæ & puella legere, & adoleſcens audire, & vir grauis nõ impro-

improbare, & egregius poeta approbare poſsit. Virginum tumulos aſpergimus narciſſo, hyacintho, liliis, roſis, violis, atq; iſtum honorem integritati corporis fœminei etiam poſt obitũ habemus. Non ſtultè; eſt enim nitidiſsimus & fragrantiſsimus quidam flos virginitas, & ad eius elegantiam exprimendam flore nihil aptius.

In tumulis matrumfamiliâs, nullæ deteſtationes, exclamationes, gemitus, &c. argutæ autem ſententiæ non excluduntur. Ergo nihil ferè aliud præter ſobriam quandam laudationem poſtulabunt hæc epitaphia. Laudes earum hæ. Concorditer, & amanter egiſſe annos plurimos cum marito, ſine iurgio, ſine querela, ſine rixa. Conſeruaſſe fidem, & iura thalami caſtiſsimè. Semper fuiſſe viro morigeram. In aduerſis caſibus nunquam eum deſeruiſſe: præſtitiſſe Penelopen, Alceſtidem. Dediſſe formoſos multoſq́ue liberos, qui eſt coniugij finis & fructus. Vidiſſe nepotes ſuos, & natos natorum & qui naſcuntur ab illis. Bene & chriſtiane educaſſe filios. Maribus diligentia & ſollicitudine ſeruaſſe, & auxiſſe patrimonium. Filiarum vigilanter cuſtodiuiſſe pudicitiam. Prudenter gubernaſſe familiam. Cum ancillulis nõ fuiſſe deditam otio, ſed lanificio, vt Lucretiam. Coluiſſe etiam ſummopere pietatem & ſilentium. Non luxurioſam in veſtibus, nõ curioſam rerum foris contingentium, non ſuperbam extitiſſe. Virtutes mulieris, ſeu matrisfamiliâs pertractauit Ariſtoteles OEcon. lib. 1. cap. 7.

Epitaphium nobilis matronæ. Martial, lib. 10,

Marmora parua quidem, ſed non ceſſura, Viator,
Mauſoli ſaxis Pyramidumq; leges.

Bis mea Romano ſpectata eſt vita Tarento,
Et nihil extremos perdidit ante rogos.
Quinq; dedit pueros, totidem mihi Iuno puellas,
Clauſerunt omnes lumina noſtra manus.
Contigit & thalami mihi gloria rara, fuitq;
Vna pudicitiæ copula nota mea.

Toſ. tom. 1. ad finem ex vetuſtis lapidibus.

Apolonia quæ vocitabar,
Lapide hoc incluſa quieſco,
Ipſo mihi flore iuuenta
Ruperunt fila ſorores:
Annos poſt decem, & octo,
Vetuerunt viſere lumen.
Vnum ſortita maritum,
Seruaui caſta pudorem.
Mater miſera hoc monumentum,
Extruxit Olympias amens.
Hæc ſunt: bene viue viator.

Aliud.

Hoſpes, quod deico paullum eſt, aſta, ac pellege.
Heic eſt ſepulchrum, haud pulchrum pulchrai fœminæ.
Nomen parentes nominarunt Claudiam.
Suom maritum corde dilexit ſouo,
Gnatos duos creauit: horunc alterum
In terra liquit, alium ſub terra locat.
Sermone lepido, tum autem inceſſu commodo,
Domum ſeruauit, lanam fecit, vixit: abei.

Auſonius ex Græco.

Viginti atque nouem genetrici Callicratea
Nullius ſexus mors mihi viſa fuit.
Sed centum & quinque expleui bene meſsibus annos,
In tremulam baculo non ſubeunte manum.

DE EPITAPHIO PATRIS, fratris, filiorum.

CAPVT XX.

NON ab his modò qui in amœnioribus literarum ſtudiis verſantur, & multa ſolent reconditè ac feſtiuè diſputare, verumetiam à Theologorum coryphæo D. Thoma in quæſtione poſitum eſt, plus ne patri an matri deberent filij. Prolatæ in vtramque partem rationes. Decretum tandem, plus nobis patrem contuliſſe. Hoc quanquam verum eſt, nihilominus non ita tenere patrum, quam matrum obitus lugemus. Quocirca quamuis epitaphium patris oporteat eſſe mœſtum, ac lugubre, admiſcenda eſt tamen grauitas, eiusq́ laudes ac merita non tacenda: quo non ſolùm nos optimum parentẽ, ſed etiam Reſpub. bonum egregiumq́ ciuem amiſiſſe videatur: ac proinde ſuum illa mœrorem cum noſtro mœrore cõiungat, & communibus lachrymis integerrimi viri memoriam proſequatur.

Fraterni amoris flammas norunt, qui fratres aut habent, aut habuerunt. Oratio igitur querelarum & dulcium affectuum plena huic generi epitaphiorum idonea exiſtimatur. Catullus quidem adeo fratrem ſuum ardenter dilexit, vt ex illius obitu dolorem vix cõſolabilem ſuſceperit, quem non vno in loco multis, iiſdemq́ vt triſtiſsimis, ita ſuauiſsimis carminibus teſtificatur. Quæ ego ob eam cauſſam inſerere his præceptionibus maximè

volo,

volo, vt ea materiam argumentumq́ fraternis epitaphiis, ſeu næniis, ſeu epicediis miniſtrent, illorumq́ lectione, quilibet ad germani ſui è vita diſceſſum pio luctu proſequendum excitetur. Cum igitur promiſiſſet Ortalo Catullus, ſe Callimachi elegiã de coma Beronices latinis verſibus à ſe interpretatam illi miſſurum, id ſe quamuis ingenti mœrore ex interitu fratris præpeditum præſtitiſſe confirmat.

Etſi me aſſiduo confectum cura dolore
Seuocat à doctis, Ortale, virginibus,
Nec potis eſt dulces Muſarum expromere fœtus
Mens animi, tantis fluctuat ipſa malis.
Namque mei nuper lethæo gurgite fratris
Pallidulum manans alluit vnda pedem.
Troia Rhetæo quem ſubter littore tellus
Ereptum noſtris obterit ex oculis.
Alloquar? audieróne vnquam tua verba loquentem?
Nunquam ego te, vita frater amabilior
Aſpiciam poſthac? at certe ſemper amabo,
Semper mæſta tua carmine morte canam.
Qualia ſub denſis ramorum concinit vmbris
Daulias abſumpti fata gemens Ityli, &c.

Elegia verò ad Mallium oſtendit earum rerum ſtudia, quas ille ab ſe petiuerat, penitus ob cõtractam de fraterna morte ægritudinem ex animo excidiſſe. Verſus aliquot noſtro inſtituto accommodatos decerpſi.

Sed tibi ne mea ſint ignota incommoda Malli,
Neu me odiſſe putes hoſpitis officium,
Accipe queis merſer fortunæ fluctibus ipſe,
Ne amplius à miſero dona beata petas.
Tempore quo primùm veſtis mihi tradita pura eſt,
Iucundum cum ætas florida ver ageret,

Multa

Multa ſatis luſi: non eſt Dea neſcia noſtri,
Quæ dulcem curis miſcet amaritiem.
Sed totum hoc ſtudium luctu fraterna mihi mors
Abſtulit, ô miſero frater adempte mihi.
Tu mea tu moriens fregiſti commoda fratér,
Tecum vnà tota eſt noſtra ſepulta domus.
Omnia tecum vnà perierunt gaudia noſtra,
Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
Cuius ego interitu tota de mente fugaui
Hæc ſtudia, atque omnes delicias animi.

Et poſt multa iterum abripitur, mœſtúmque canit.

Troia, nefas, commune ſepulchrum Europæ Aſiæq;,
Troia virûm & virtutum omnia acerba cinis.
Quæ nempe & noſtro lethum miſerabile fratri
Attulit: heu miſero frater adempte mihi.
Heu miſero fratri iucundum lumen ademptum,
Tecum vnà noſtra eſt tota ſepulta domus.
Omnia tecum vnà perierunt gaudia noſtra,
Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
Quem nunc tam longè non inter nota ſepulchra,
Nec prope cognatum compoſitum cineres,
Sed Troia obſcœna, Troia infelice ſepultum
Detinet à noſtro terra aliena ſolo.

Sub finem porrò totius libri, eius manibus ſoluit inferias hoc molliſsimo epigrammate.

Multas per gentes, & multa per æquora vectus,
Aduenio has miſeras frater ad inferias,
Vt te poſtremo donarem munere amoris,
Et mutum nequidquam alloquerer cinerem.
Quandoquidem fortuna mihi tete abſtulit ipſum.
Heu miſero indignè frater adempte mihi.
Nunc tamen interea priſco quæ more parentum
Tradita ſunt triſtes munera ad exequias,

Accipe fraterno multum manantia fletu,
Atque in perpetuum frater aue atque vale.

D. Ambroſius librum conſcripſit de exceſſu Satyri fratris. In quo quanquam ſibi lugendum non eſſe demonſtrat, ſeq́ ipſum conſolatur, & virtutes fratris præclare commemorat, tamen naturæ potentia, & amoris magnitudine ſuperatus, tam piè luget, & tam flebilem orationem contexit, vt quamuis duro lectori lachrymas poſsit excutere. Sanè in eo libro permulta ſunt ad verſus in fratrũ funerà conficiendos aptiſsima. Quã miſerabiliter, & amanter illa dicit? quamuis non eodẽ loco omnia.

Nunquam totus in me fui, ſed in altero noſtri pars maior amborum. Atq; vtinam vt memoria, vt gratia, ita etiã vita tua hoc quidquid eſt quod ſpiramus, ſpirare poſſemus: dimidiumq; meorum decideret temporum, quod ad tuorum proficeret vſum. Ego te frater hæredem feceram, tu me hæredẽ reliquiſti. Ego te ſuperſtitem optabam, tu me ſuperſtitem dimiſiſti: Quid mei ſucceſſor hæredis? quid agam mea vitæ ſuperſtes? quid agam exors huius quod cupio luminis? ego te frater non requiram, aut poſſim vnquam obliuiſci tui? quas grates, quæ munera referam tibi? nihil à me præter lachrymas habes. Aut fortaſſe ſecurus meriti tui, quas ſolus ſuperſtites habeo, lacrymas non requiris. Nam etiam cum adhuc viueres, fleri prohibebas, mœroremq; magis noſtrum, quam tuam mortem tibi eſſe teſtabaris dolori.

Et cap. 2.

Habeo planè pignus meum, quod nulla mihi peregrinatio iam poſſit auellere: habeo quas complectar reliquias: habeo tumulum, quem corpore tegam. Vtinam potuiſſem aduerſus mortem tuam meum corpus obiicere. Si gladius pectus eſſes, me potius pro te obtuliſſem. Nihil mihi profuit vltimos hauſiſſe anhelitus, nihil flatus meos inſpiraſſe morienti. Puta-

Putabam enim, quod aut tuam mortem ipſe ſuſciperem, aut meam vitam in te ipſe transfunderem.

Cap. 3.

An ego poſſum aut non cogitare de te, aut vnquam ſine lachrymis cogitare? Quid mihi ſine te, aut tibi vnquam ſine me voluptati fuit?

Cap. 14.

Ades, inquam, & ſemper oſtenderis, & toto te animo, ac mente complector, aſpicio, alloquor, oſculor, comprehendo. Ipſa iam noctes, quæ quaſi moleſtiores viuente te videbantur, quod mutui conſpectus copiam denegarēt, ipſe iam ſomnus colloquiorum noſtrorum dudum interruptor inamabilis, dulcis eſſe iam cæpit, quia te mihi reddidit.

Et cap. ſequenti.

Teneo igitur te frater, nec mihi te mors aut tempus auellet. Ipſæ dulcès lachrymæ ſunt, ipſi fletus iucundi, quibus reſtinguitur ardor animi, & quaſi relaxatus euaporat affectus. Neq; enim ſine te eſſe poſſum, aut tui non meminiſſe vnquam, aut meminiſſe ſine lachrymis. O amari dies, qui interruptam copulam perditis: ô flebiles noctes, quæ tam bonum conſortem quietis, & indiuiduum mihi comitem perdidiſtis.

In extremo autem cap. libri, ſe ait cupere fratrē quamprimū ſequi, & è vita emigrare, vt eum conueniat. Ibi inter cætera, Deus bone, quam ſuauiter? *Para hòſpiti cōſortium, & quemadmodum hìc nobis omnia fuère communia, ita illic quoq; diuiduum neſciamus. Ne quæſo cupientem tui deſeras, properantem exſpecta, feſtinantem adiuua: & ſi diutius tibi morari videor, accerſe. Neq; enim vnquam prolixius abſuimus à nobis, tu ſolebas reuiſere. Nunc quoniam tu redire iam non potes, nos ad te ibimus, æquum eſt vt officium rependamus.*

In filij epitaphio conuenit lugere patrem, vt qui magnum ſolatium perdiderit, quia ſpem ſuæ

poſteritatis amiſerit, plorare minus. Narrare item hæc poterit: liberalem & indulgentem educationem, curas pro eo noctes atq; dies agitatas, delectã nuptiis præſtanti corpore puellam, ſperatos nepotes, honores, opes, auctoritatem, gratiam ciuium, quæ omnia cum ad nihilum ceciderint, ſibi dolorem & luctum immenſum parere. Locus communis in vanitatem ſpei. Pollicebitur, ſe quia diu ſupereſſe nõ poſsit eius funeri, breui ad eum in beata loca venturum. Si filius obierit paruus, blandum & ludicrum magis ſit epitaphium, habeat illecebras, luſus, & oſcula, quibus ſe cum paruulo viuente pater materue ſæpenumero oblectauerit. Sanazarius nomine parentum.

Nate patris matriſq; amor, & ſuprema voluptas,
Accipe quæ nobis te dare par fuerat.
Buſta eheu triſteſq; notas damus: inuida quando
Mors immaturo funere te rapuit.

Bembus in Lucilium ſuum.

O multum dilecte puer, quæ dura parenti
Fortuna inuidit te ſupereſſe tuo?
Quam producebam lætus te ſoſpite vitam:
Erepto peior morte relicta mihi eſt.

Filij grandioris L. Q. tom. 2.

Non lachrymis indigne meis, nec honore ſepulchri
Rapte mihi ante diem dulcis alumne iaces.
Intra bis denos te oſtendit & abſtulit annos
Parca ferox, votis inſidiata meis.
Nec potuit probitas, nec amœns gratia vultus
Flectere: non ætas, nec pia turba Deam.
Spes hominum ſtolidas, tumulaui mæſtus ephœbum,
Qui me debuerat lætus humaſſe ſenem.

DE

DE EPITAPHIO INFANTVM, puerorum, adoleſcentum.

CAPVT XXI.

NVLLORVM abitus è vita triſtior accidit, quam puerorum, & adoleſcentum: eam ob rem nimirum, quod parentes per eos ſeſe etiam poſt mortem victuros exiſtimauerant.

στῦλοι γὰρ οἴκου παῖδές εἰσιν ἄρρενες.

Et nihil dulcius hominum generi à natura datum eſt, quam ſui cuique liberi, præſertim dum adhuc parui ſunt. Eſt deinde ætas illa ſeminarium mundi, orbis ornamentum, ſenectutis voluptas, ludus & ſolatium. Huc accedit, quód acerbius à tenera ætate natura exigit quod dedit, quam à ſenibus, qui vitam diuturniorem optare non poſſunt: nec iam illis perfrui commodis, quæ venientes anni ſecum ferunt. Tot autem malis premuntur, vt illis mors vltro inuocanda ſit, ad quam quotidie tendunt. Hinc eleganter apud Ciceronem Cato. *Itaq; adoleſcentes mors ſic mihi videtur, vt cum aqua multitudine vis flamma opprimitur: ſenes autem, ſicut cum ſua ſponte, nulla adhibita vi conſumptus ignis extinguitur. Et quaſi poma ex arboribus, ſi cruda ſunt, vi auelluntur: ſi matura & cocta, decidunt: ſic vitam adoleſcentibus vis aufert, ſenibus maturitas.* Quo autem breuioris vitæ ſpatium contigerit, eo vehementius nos miſeret illorum, vt ſi 20. 10. 5. 3. tantum anni. Si acceſſerit vis externa, ſi ſubmerſi, gladio iugulati, ſi ruina domus eliſi, ſi fame ſitiue enecti, tum vix à fletu

temperamus: Erit igitur in hoc epitaphio primus & frequentiſsimus locus querimoniæ de incerta vitæ longitudine, de inclementia atque inuidia diræ mortis: quæ ab vtero materno videtur homines inſequi, & alium citius, alium tardius inſertis vnguibus apprehendere. Sunt item loci laudationis à genere, ab indole animi, à pudore, à ſuauitate morum, à forma liberali, ab artibus, ad quas illa ætas incumbit, à charitate dominorum, patronorum, fratrum, parentum, conſanguineorum erga eos. Ad commiſerationem iuuabunt dolores, & lacrymæ matrum, ac ſororum: nec non iucundæ collationes à floſculis nobilioribus æſtu, vento, imbre, grandine marcidis, proſtratis, euulſis. Pythagoras quatuor ætatis gradus conſtituebat, pueritiam, adoleſcentiam, corroboratam ſeu virilem ætatem, ſenectutem. Primam veri, ſecundam æſtati, tertiam autumno, poſtremam hyemi ſimilem autumabat. Vere germina fruges fructusq; naſcuntur, ęſtate creſcunt, autumno ad maturitatem perueniunt, hyeme cocti & vieti, cum arbores nudantur foliis, decidunt & moriuntur. Quamobrem haud ineptè pueros & adoleſcentes cum floſculis, roſiſq́ue languentibus, ac marceſcentibus componimus: ſiquidem illorum anni florentes, & ætas florida dicitur. Vnde factum, vt in eorundem epitaphiis poëtæ inuitarent hortarenturq́ue viatores ad tumulum aſpergendum violis, roſis, & floribus. Sic Virgil. 9. Æneid. qui loco cædem adoleſcentis Euryali, & ceruicem in humeros collapſam deſcribit.

Purpureus veluti cum flos ſuccisus aratro

Lan-

Langueſcit moriens, laſſóue papauera collo
Demisêre caput, pluuia cum fortè grauantur.

Interdum tamen gratulamur potius obitum infirmiori ætati, quod nō à nobis, verum à multis malis, quibus hominum vita referta eſt, diſceſſerint. Quod ſi tempus vllum fuit, quo illud Ciceronis verum comperiretur, nunc profectò comperitur. *Quid eſt enim, inquit, iam non modò pudori, probitati, virtuti, rectis ſtudiis, bonis artibus, ſed omnino libertati ac ſaluti loci? non me hercule quenquam audiui, hoc grauiſſimo & peſtilentiſſimo anno adoleſcentem aut puerum mortuum, qui mihi non à diis immortalibus ereptus ex his miſeriis atq; iniquiſſima conditione vitæ videretur.*

Luciani in Callimachum quinquennē puerum, παῖδά με πενταέτηρον, &c. ſic latinè ſonat.

Nil me ſollicitum, poſt quintam barbara meſſem
Mors puerum è viuis Callimachum rapuit.
Tu caue me plores: pauco qui tempore vixi,
Pauca etiam vidi ſuſtinuiq; mala.

Martialis in Glauciam libertum Melioris lib. 6.

Libertus Melioris ille notus
Tota qui cecidit dolente Roma,
Chari deliciæ breues patroni,
Sub hoc marmore Glaucias humatus
Iuncto Flaminiæ iacet ſepulchro.
Caſtus moribus, integer pudore,
Velox ingenio, decore felix,
Bis ſenis modo meſſibus peractis
Vix vnum puer applicabat annum.
Ni fles talia, nil fleas Viator.

Eodem libro in Eutychium puerum. Aliud in Vrbicum puerum lib. 7. in extremo. Sed venuſtiſsimum Cottæ in Quinterium.

Me longè effigie venuſtiorem
Narciſſi, vel Apollinis comati,
Parcarum Lacheſis nimis ſeuera
Iſti Quintertium dedit ſepulchro.
Cur non floſculus exeam requiris,
Cum tantum fuerim puer decorus?
Tellus eſt nimis arida, ô viator
Noſtri facta peruſtione amoris:
Sed ſi lacrymulis tuis madeſcet,
Forſan flos nouus ibit è ſepulchro.

Toſcanus.

Blandidulus, nitidus, pulcher, dulciſſimus infans,
Deliciæ matris, deliciæq; patris,
Hic ſitus eſt teneris raptus Lucillius annis,
Vt roſa quæ ſubitis imbribus icta cadit.

Lege tumulum Aurelij infantuli apud Iouianum, vbi mater queritur ad ſepulchrum. Suauiſsimum hoc Macedonij, in quo infans à partu ſtatim extinctus, Lucinam, & terram alloquitur, ſe vtrique ſatisfeciſſe. Illi quod natus, huic quod mox ſepultus. Et neſcio tamen, inquit, quo vadam, neq; noui vos, neque ſcio cuius, aut quis ſim, aut vnde venerim.

Γαῖα, καὶ εἰλείθυια (σὺ μὲν τέκες, ἡ δὲ καλύπτεις)
χαίρετον, ἀμφοτέραις ἤνυσα τὸ στάδιον.
εἰμὶ δὲ μὴ νοέων πόθι νείσομαι. οὐδὲ γὰρ ὔμμας
ἢ τίνος, ἢ τίς ἐὼν οἶδα πόθεν μετέβην.

Adoleſcentis L. Q. tom. 1.

Iulius hic taceo, primæ quem flore iuuentæ
Decerpſit rapida mors inimica manu.
Si ſpectes annos, iuuenem me fata tulerunt;
Si ingenium, dices me periiſſe ſenem.

DE

DE EPITAPHIO AMICI.

CAPVT XXII.

SCRIPTVM eſt in monoſtichis græcis, amicũ velut Deum nobis colendum: ingentem eſſe theſaurum, & poſſeſsionem longè omnium pulcherrimam. Nullum tantum in vita ſolatium, quam habere qui cum agere, & communicare vt tecum ipſo poſsis: qui ſit alter tu: qui rebus tuis aduerſis æquè contriſtetur, ſecundis & ad voluntatem fluentibus æquè gaudeat: cui nihil ſit abs te ſeiunctum: qui libenter ſua morte vitam tuam redimeret. Talis omnino eſt, quem amicum nominamus: eum qui perdit, detrimentum accipit nimis magnum. Sed officij eſt, vt quem viuentem dilexeris, & à quo tanto amore dilectus fueris, eius mortui memoriam ne ſinas mori: verum eidem, quomodo poteſt, vitam reſtituas: carmine autem etiam mortui tempus in omne viuunt. Continebit tumulus amici piam & lacrymabilem querelam huius acerbiſsimi diſcidij. Amiſiſſe nos fati atrocitate partem corporis noſtri, dimidium animæ, decus & prȩſidium, nos ipſos. Nullos vnquam fratres amaſſe inter ſe ardentius: ſummam fuiſſe conſenſionem ſtudiorum, ſententiarum, voluntatum. Contemnemus præ amicitia noſtra Pyladem & Oreſtem, Theſeum & Pirithoum. Deniq; doloré ex illius diſceſſu, & præſentiæ deſiderium, quanta maxima poterimus energia, & efficacitate declarabimus. Exemplum nullum melius inue-

nio hoc ipſo:apparet enim eſſe epitaphium planè. Cap. 14. idem alia de cauſſa poſuimus.

Ablatus mihi Criſpus eſt, amici:
Pro quo ſi pretium dari liceret,
Noſtros diuiderem libenter annos.
Nunc pars optima me mei reliquit
Criſpus præſidium meum, voluptas,
Pectus, deliciæ: nihil ſine illo
Lætum mens mea iam putauit eſſe.
Conſumptus male, debiliſq; viuam,
Pluſquam dimidium mei receßit.

Incerti.

τοῦτό τι ἡμετέρης μνημήϊον ἐσθλὲ Σαβῖνε,
ἁ λίθος, ἁ μικρὰ τῆς μεγάλης φιλίης.
αἰεὶ ζητήσω σε. σὺ δ' εἰ θέμις, ἐν φθιμένοισι
τοῦ λήθης ἐπ' ἐμοὶ μή τι πίῃς πόματος.

DE IOCOSIS ET SALSIS Epitaphiis.

CAPVT XXIII.

ACVLEI, riſus, & facetiæ non videntur incidere in epitaphia: at reliquæ virtutes epigrammatum omnes. Sunt tamen nonnulla tempora, quibus poëtæ in ſepultos iocantur, liberiúſque ludunt. Si fuerint agreſti & inhumano ingenio, monſtroſi, ſcurræ: ſi aliquo malo, & omnibus noto facinore aſtricti: ſi ſcortatores, auari, ebrioſi, maledici, ſuperbi, decoctores, vſurarij, tyranni, hæreſiarchæ, proditores. In quo genere viden-

dendum eſt, quam Chriſtianiſmus noſter facultatem nobis largiatur: imitandumque interdũ exemplum Martialis, vt parcamus perſonis, dicamus de vitiis. Nonnũquam ex nomine mortuorum, paupertate, puſilla ſtatura, ingenio, moribus, euentu aliquo ridendi anſam arripiunt. Complura ſcripta legas in Timonem, hominem perpetuo quodam in omnes imbutũ odio, vnde *μισάνθρωπος* dictus eſt: è quibus iſta tria breuiſsima ad eius naturam exprimendam præclarè excogitata accipito.

Ptolemæi.

μὴ πόθεν εἰμὶ μάθῃς, μηδ' οὔνομα, πλὴν ὅτι θνήσκειν
τοὺς παρ' ἐμὴν στήλην ἐρχομένους ἐθέλω.

Incerti.

μὴ χαίρειν εἴπῃς με κακὸν κέαρ, ἀλλὰ πάρελθε·
ἶσον ἐμοὶ χαίρειν ἐστὶ, τὸ μή σε γελᾶν.

Incerti.

καὶ νέκυς ὢν Τίμων ἄγριος, σὺ δὲ δεινὲ πυλωρὲ
Πλούτωνος ταρβεῖ Κέρβερε μή σε δάκῃ.

Antipatri in anum ebrioſam· *τῆς πολιῆς τόδε σῆμα.* ex huius ſepulchro eminebat poculum ſculptum: ait poëta, bibulam iſtam Maronidem & garrulam non dolere ob filiorum & mariti egeſtatem: ſed hoc vnum dolere, quod crater ille non ſit vini plenus.

In Veſbiam iracundam mulierem.

L. Q. tom. 1.

Tres habuit furias quondam, ſed Veſbia manes
Vt petiit, furias quatuor orcus habet.

Iuliani Expræfecti Ægypti in Archilochum, cuius nota

nota maledicentia, hoc eſt (quemadmodum alia quoque ab aliis in eundem poëtam, Archilochica planè epitaphia, eiuſdem pæne argumenti ſcripta ſunt lib.3. Anthol.) Monet Cerberum, vt qui aliorum vmbras latratu terret, ipſe hanc formidabilem vmbram timeat. Caue tibi, inquit, à iambis eius, noſti vim vocis ipſius, quando vna Lycambæ nauis duas tibi eiuſdem filias (quas cum fratre ad ſuſpendium adegerat) attulit. κέρβερε δειμαλέην, &c.

DOCTRINAE EPITAPHICAE Appendix.

CAPVT XXIV.

QVI dicti ſunt modi tres poëmatum, cadũt omnes in epitaphia: nam & ſolus poëta loquitur, & ſimul ſermonem aliis affingit, & ipſe tacens, δραματικῶς loquentes alios facit. Loquitur autem poëta cum Muſa, cum mortuo, cum viatore, cum genio defuncti, cum virtute ſimpliciter, aut cum ea virtute, qua mortuus fuit conſpicuus, iuſtitia, pietate, conſtantia, &c. qui quidem tertius eſt modus, non ſecundus: poëta enim hic eſt inſtar perſonæ cuiuſpiam, nec poëtæ rationem habet. Muſa ſeu Virtus, & ipſe etiam extinctus, & in græcis ſæpe tumuli loquuntur cum viatore. Iucundus eſt ille modus, cum ipſum mortuum ſuos conſolantem inducimus, vt filius matrem plorantem ad tumulum in hoc.

Incerti

Incerti.

α. πώλιτλα, τλῆθι πένθος, σύνασον δάκρυ.
πολλαὶ θανόντας εἶδον υἱεῖς ματέρες.
β. ἀλλ' οὐ τοιούτους τὸν τρόπον, καὶ τὸν βίον,
οὐ ματέρων σέβοντας ἡδίστην θέαν.
α. τί περισσὰ θρηνεῖς; τὶ δὲ μάτην ὀδύρεαι;
εἰς κοινὸν ᾅδην πάντες ἥξουσι βροτοί.

Interdum viator ſolus, tumulus ſolus, mortuus ſolus, ſacerdos ſolus, Muſa ſola, Virtus ſola, vt in tumulo Aiacis, quem tranſtulit Alciatus in emblem. 98. Ad maternum tumulum loquuntur filij, ad filiorum ſepulcra mater, ad vxorum mariti, & viciſsim ad maritorum vxores: atque harum quas enumerauimus formarum, multarum ſaltem, ſi non omnium, exempla oſtendimus. Si quæ varietas prætetea legendo occurrerit, notetur, & ſcribendo reddatur. Inueniuntur apud Ouidium in epiſtolis heroidum breuia & elegantia epitaphia, quibus heroinas illas ſuos caſus exponentes facit poëta. Tale eſt Didonis, quod etiam 3. Faſtor. reperitur.

Præbuit Æneas & cauſſam mortis, & enſem,
Ipſa ſua Dido concidit vſa manu.

Hypermneſtræ.

Exul Hypermneſtra pretium pietatis iniquum,
Quam fratri mortem depulit, ipſa tulit.

Caietæ in 14. Metamorph.

Hic me Caietam notæ pietatis alumnus
Ereptam Argolico, quo debuit, igne cremauit.

In Græcis epitaphiis obſeruaui iuuenum vtriuſque ſexus annos, menſes, & di°° vitæ poni ad commouen-

mouendam miſerationem: qnod ipſum non negligitur à Latinis, & cũ ſoluta oratione epitaphia ſcribũtur, id ſolemne eſt. Et quia antiqui mortuorum tumulis eius artis inſtrumenta inſculpebant, quam illi exercuiſſent, vt piſcatorum retia, & remum, nautarum naues, lignatorum ſecurim, potatorum dolium, agricolarum aratrum, ducum autem & virorum fortium aquilas, leones, ob virtutis & præſtantiæ ſimilitudinem, poſſumus eo alludere. Venuſtè autem eiuſmodi animalia loquũtur, vt leo ſuper tumulo Leonidæ.

Simonidæ.

Θηρῶν μὲν κάρτιστος ἐγὼ, θνατῶν δ' ὃν ἐγὼ νῦν
φρουρῶ, τῷδε τάφῳ λαΐνῳ ἐμβεβαώς.

Incerti.

Ἀλλ' εἰ μὴ θυμόν γε λέων ὡς οὔνομα εἶχεν,
Οὐκ ἂν ἐγὼ τύμβῳ τῷ δ' ἐπέθηκα πόδας.

Solent adhuc poëtæ illi antiqui, leuem terram optare mortuis, & quietem oſsibus, quaſi in iis reſideret ſenſus aliquis.

Tibullus.

Et bene diſcedens dicet placideq; quieſcas,
Terraq; ſecura ſit ſuper oſſa leuis.

Propertius.

Sit tibi terra leuis, mulier digniſsima vita.

Ouid.

Et patris Anchiſæ molliter oſſa cubent.

Idem in mortem Tibulli.

Oſſa quieta precor tuta requieſcere in vrna,
Et ſit humus cineri non oneroſa pio.

Martial.

Martial.

Mollia nec rigidus ceſpes tegat oſſa, nec illi
Terra grauis fueris, non fuit ille tibi.

Quomodò id Græci faciant, legendis epitaphiis 3. lib. tu ipſe notabis. Nos animæ requiem ſempiternam precabimur. Illud item magnæ voluptati eſt poëtis manſuetioribus, animantes quaſdam epitaphiis proſequi, in quibus illi ſua ingenia experiuntur, ſuosq́ mirificos illos lepores oſtentant: Luctus paſſeris apud Catullum, pſittáci apud Ouidium, columbæ apud Papinium, ſturni apud Iouianum, & auiculæ Liguris, quid ſunt niſi illarum volucrum epitaphia? Eſt etiã in 3. Anthol. titulus, *εἰς ὄρνις*, & ibi in picam, in cicadam, in gallũ, in hirundinem, in perdicem, &c. Veruntamen canibus & catellis potiſsimum hic defertur honos, propter inſignem fidelitatem, & amorem erga dominos. Cætera præteribo, mentionem videlicet libaminum, crinium, coronarum in epitaphiis. Vide dialogos funebres meos.

AVCTARIVM.

COLLATIO POETICES CVM Pictura, & Muſica.

SCRIPTORES antiqui Poëticen cum pictura, & Muſica componere ſoliti, plurimam vtique illius cum hiſce duabus artibus affinitatem, cognationemq́ magnam, & omnino ingenium

nium eius, ac proprietatem declarare voluerunt. Age igitur, quibusnam in rebus harum concordia, diſparitasq; poſita ſit, non perreconditis, & abſtruſis, verùm popularibus, & è medio ſumptis quodammodo argumentis demonſtremus. Poëticam quidem, ſimiliter Muſicam ſcientias eſſe liberales, id eſt, ingenuo ac libero homini minimè abhorrendas, pro indubitato habetur: de Pictura auctores in diuerſum trahunt. Seneca inter artifices liberales pictori nullum locum reliquit: haud ſanè magis, quàm ſtatuario, marmorario, cæteriſque, vt ipſe vocat, miniſtris luxuriæ. Galenus partitionem quandam artium faciens, alias nominat viles, χειρουργικάς, quæ videlicet citra manuum operam, nixumq; corporis non tractantur: alias honeſtas, nec liberis indecoras: nempe Rhetoricam, Muſicam, Poëticam. Si quis fingendi, pingendiq; peritiam velit adiicere, cum eo ſe pugnaturũ negat: quoniam hæ, quanquam manus deſiderent illæ quidem, viribus tamen corporum, ac lacertorum robore nequaquàm indigeant. Præterea, ſi dedecorant hominem liberalem colores terere, tractare oleum, ducere penicillum, & ſimilia, quomodo, quæſo, alumnos litterarum non perinde putabimus dedecorare, atramentum ſcriptorium coquere, concinnare calamos, filo & acu chartas inſuere, & alia deniq; huiuſmodi? Vetuſtis temporibus Picturam in choro artium ingenuarum fuiſſe certum eſt. In L. Æmilio Paulo teſtatur Plutarchus à nobilibus Romæ perdiſci ſolitam. Adrianus Auguſtus excellenter pingebat, auctor Dio. Et M. Antoninus cognomento Philoſophus à Dio-

geneto pingere docebatur: ſcriptum apud Iulium Capitolinum. Iam illud longè minus in diſceptationem cadit, vtrum omnes imitentur. De Muſica Ariſtoteles affirmat: ſtatuit enim tibicinum, & citharœdorum artificia, proinde vt genera quoq; poëſeos, imitatione contineri, & in eo cum illis conſpirare. Adhibent ſiquidem hæ duæ gemina illorum trium quaſi inſtrumẽtorum, quibus quælibet poëſis ad vim ſuam exercendam vtitur, cantum, inquam, & rythmum, non autem metrum: tametſi non rarò hymnos, & odas tibicines, ac citharœdi cantitent. Quocirca poëſes aliquo modo nominentur. Nec in quæſtione ponẽdum, vtrum illi vocum humanarum artificioſi concentus, ſiue duûm tantùm, ſiue trinûm, ſiue quaternûm, quinûm, denûm, quindenûm, vicenûm illi vocum fuerint, imitentur, & varias affectiones exprimãt, quibus affectionibus cernas à Muſurgis (quos vulgus componiſtas appellat) modulos, & internalla accommodari: vt pluribus, minoribus, ſeu breuioribus, ac dimidiatis notulis in cantu hilariore, paucioribus, maioribus ſeu productiorib' in graui, ſeuero, ac mœſto vtantur: ibiq; celeritates, hîc tarditates aucupentur: ibi voces intendant, hîc remittant: ibi aſcendant, hîc deſcendãt, & tanquam humi repant. Pictura æquè motiones animorum, varios ſenſus & cogitationes effingere, oculiſq; ſubiicere poteſt. Peruulgatum eſt, indicem & nũtium mentis eſſe vultum. Atqui omnem inconſtantiam, ac mutabilitatem vultus, ſiue hoc totum, quod dicitur vultuoſum, pictores egregij belliſsimè, dexterrimeq; lineis, & coloribus conſequuntur.

tur. Ergo audacem, timidum, ſollicitum, diſſolutum, lætum, triſtem, iratum, mitem, amantem, inuidum, deſperantem pingere poterunt, ſi lubet. Et quis tam rudis, ac pinguis inuenietur, qui neſciat, aut non intelligat, omne opus pictoris non aliud quam animatæ, aut inanimæ rei ſimilitudinem, & exemplar eſſe? Poetica verò qua ratione in imitando verſetur, pleniſsimè diximus in Inſtitutionibus poeticis. Eius naturam ſi breui ac legitima definitione amplectare, ita definies, quemadmodum nos ibidem cum eruditiſsimo viro Ioan. Antonio Viperano definiuimus. *Eſt ars, hominum actiones effingens, eaſq; ad vitam inſtituendam carminibus explanans.* Nec ferè quidquam aliud tam eximiè, quàm affectus imitatur: præſertim molliores illos, quibus homines crebrius perturbari conſueuerunt. Oratio & calamus eſt illi tanquam penicillus: Picturæ colores, lineæ, penicillus tanquam calamus: Muſicæ horum loco ſonus. Omnium inſuper commune eſt delectationem gignere: ſiquidem ad honeſtam animi voluptatem potius, quam ad ſingularem aliquam vtilitatem repertæ, & apud barbaras etiam nationes vſurpatæ videntur. Porrò Poetica, & Muſica (vt de externa ſenſuum delectatione loquar) auditum permulcent. Ouid. in Triſtib.

Detinuit noſtras numeroſus Horatius aures,
Dum ferit Auſonia carmina culta lyra.

Pictura oculis blanditur. Quanta cum iucunditate Æneas Carthagini bella illa totum iam per orbem vulgata, & in pariete pulcherrimis depicta coloribus intuebatur? Certè obtutu hærebat defixus

fixus in vno, paſcensq; vnà mentem atque oculos, nec hos, nec illam ſatiare poterat. Penetrant in animum ſingulæ, & ad intimos vſq; ſenſus pertingunt: etſi minor eſt in hoc Picturæ, quam reliquarum duarum efficacitas. Cæterùm ſicut pictura quædam eſt adumbrata, quæ tãtummodo primis, ac rudibus lineamentis conficitur, Græcis σκιαγραφία: quædam electis, & opportunis coloribus illuſtratur; & illa aſpicientem procul, hæc è vicino recreat: ſic poema licet inuenire, quod vmbras modò, & nudos, ac ſimplices linearũ ductus veluti continet: aliud quod ſplendidis coloribus diſtinctum, & accuratione magna comparatum iudices: quod idcirco tanquam abſoluta pictura commendetur. Hanc ſimilitudinem Horatiani verſus ad Piſonem continent.

Vt pictura poeſis. Erit, quæ ſi propius ſtes,
Te capiat magis, & quædam ſi longius abſtes.
Hæc amat obſcurum, volet hæc ſub luce videri,
Iudicis argutum quæ non formidat acumen,
Hæc placuit ſemel, hæc decies repetita placebit.

Sciunt adhæc vel leuiter imbuti græcis, latiniſq; litteris, ἀοιδὸς poetis, & cantoribus paſſim à Græcis vatibus tribui, & poetas ipſos ſemet cantores, & carmina ſua cantus, ſeſeq; non ſcribere, dicere, loqui, ſed canere ſolere profiteri. Huc pertinet, quod Terentius diuerſis prologis artem poetarum vocauit Muſicam, & ſtudium muſicum. Et ſanè quondam erant iidem poetæ, qui muſici. Plato in 3. de repub. cum muſicis poetas coniungit. Fuit quoque pictoribus, vt poetis, quidlibet audendi ſemper æqua poteſtas: cui tamen poteſtati modum figit Horatius. Quod in quoque pulcherri-

cherrimum, præſtantiſsimumque obſeruarunt pictores, id in vnum aliquod opus ſuum transferunt, vt Crotonæ in Italia Helenam picturus Zeuxis fecit, quemadmodum eſt in procemio 2. de Inuent. apud M. Tullium. Id autem adeo præclarè, feliciterq́ue, vt non ipſi à natura didiciſſe, ſed naturæ leges potius dare potuiſſe exiſtimentur. Ad eundem modum agunt poëtæ, vt Virgilius, qui in ſuum Æneam (vt Homerus in ſuum Vlyſſem) omnes probati Principis virtutes, omniaq́ue ornamenta congeſsit. Atque vt non quibuſcunque poëtis quæuis materia: ſic neque pictoribus quibuſuis quæcunque argumenta ſunt idonea. Nouerat optimè cupreſſum ſimulare ille neſcio quis apud Horatium. Et faber imus circa ludum Æmilium (fas ſit ſculptores, cælatores, fictores propter ſimilitudinem quandam pictoribus ſociare) & vngues ſcitè exprimebat, & capillos non malè æmulabatur: veruntamen in ſumma operis infelix erat: nō enim ipſum totum eleganter ponebat, etſi id in partibus quibuſdam præſtaret. Sic Horatius confitetur ode 6. lib. 1. ſe heroum facinora, clariſsimorumq́ue Principum laudes ob ingenij tenuitatem pro dignitate celebrare haud poſſe: res ludicras, amatorias nugas eas verò poſſe. Audiamus Propertium lib. 3. eleg. 8.

Quid me ſcribendi tam vaſtum mittis in æquor?
Non ſunt apta mea grandia vela rati.
Turpe eſt quod nequeas capiti committere pondus,
Et preſſum inflexo mox dare terga genu.
Omnia non pariter rerum ſunt omnibus apta,
Fama nec ex æquo ducitur vlla iugo.

Reli-

Reliqua multa,immò elegiam pænè totam hac de re loquentem breuitatis ergô nolo adſcribere. Idem Ouidius de ſe principio elegiarum.

Arma graui numero, violentaq́ bella parabam
Edere,materia conueniente modis.

Et quæ ſequuntur, quibus ſe à Cupidine incepto prohibitum memorat. Anacreon verò Ode 1.

Θέλω λέγειν ἀτρείδας,
Θέλω δὲ κάδμον ᾄδειν.
Ἁ βάρβιτος δὲ χορδαῖς
Ἔρωτα μοῦνον ἠχεῖ.
Cantem libens Atridas,
Cantem libensq́ Cadmum.
Sed barbiti mihi vnum
Nerui ſonant amorem.

Item poëtæ (inquit Ariſtoteles) vt pictorum mos eſt,quidam meliores, quidam deteriores, quidam pares,ſeu ſimiles ætatis ſuæ hominibus imitantur, vt Dionyſius: nam Polygnotus meliores, ac præſtantiores, Pauſon peiores, & improbos imitabatur. Meliores autem illos accipe Deorum filios, vt Herculem, Principesq́ maximos, vt Achillem, Priamum, Agamemnonem, Neſtorem, Vlyſſem. Ita Homerus, ait idem, præſtantes effingit, Cleophon ſimiles, Hegemon verò ille Thaſius,qui primus parodias ſcripſit, nec non Nicocharis, qui Deliadem,deteriores.De Chriſtianis pictoribus,& poëtis idem ſentiamus licet: & quod de perſonis affirmatur,etiam de rebus bonis, & ſanctis, turpibus & vitioſis affirmatum putemus. Sunt qui pingunt perbene,quæ caſti oculi non audent intueri:

& bene etiam temulentos, deformes, ruſticos, fatuos, mendicos. Alij cætera, quorum vſus eſt in vita humana, non peſsimè penicillo referunt. Inuenimus poetas alios grauibus, ſacris, cæleſtibus, aut iis demum canendis eminere, quæ vt laude carent, ſic vituperationem nō merentur: qui pauci ſemper & ſunt, & fuerunt: alios ridiculis, leuibus, parum pudicis. Hæc differentia in muſicos quoq; cadit, poetarum fratres. Adde quod in vno eodemq; genere poeſeos magna cernitur poetarū, vti pictorum diſsimilitudo. Et in Muſicis fidicen fidicinem, citharœdus citharœdum, cantor cantorem ſuperat. Apelles cum ſuperiorū pictorum tabulas, atque opera miraretur, collaudatis omnibus, vnam illis deeſſe Venerem autumabat, quam Græci χάριτα vocant. Ipſe verò de diſpoſitione Amphioni, & Aſclepiodoro de menſuris priores concedebat. In exprimendis articulis, & capitibus aliquanto grandior fuit Zeuxis: in pingendo autem corpore muliebri, qui ſecum elegantia certaret, habebat prorſus neminem. Superciliorum interualla, malarumq; ruborem, ſubtilitatem veſtium, quarum pars membris venuſtiſsimè adhæreſceret pars vento ſinuaretur, feliciſsimè æmulabatur. Quæ pingebat Timanthes, in iis ſemper plus intelligeres, quam videres: quod item in poetis, non quidem perpetuò, aliquando tamen contingit. Non ſunt æquales poetæ, quantumuis eiuſdem ordinis, ſiue Tragici, ſiue Heroici, ſiue Elegiographi, ſiue Lyrici. Deeſt vni, quod adeſt alteri. Aptiſsimum eſt ad hunc locum, quod 3. de Orat. ſcripſit M. Tullius. *Vna fingendi eſt ars, in qua*

pra-

præſtantes fuerunt Myro, Polycletus, Lyſippus, qui omnes inter ſe diſsimiles fuerunt: ſed ita tamen, vt neminem ſui velis eſſe diſsimilem. Vna eſt res, ratioq́; pictura, diſsimillimi tamen inter ſe Zeuxis, Aglaophon, Apelles: neque eorum quiſquam eſt, cui quidquam in arte ſua deeſſe videatur. Et ſi hoc in his quaſi mutis artibus eſt mirandum, & tamen verum, quantò admirabilius in oratione, & lingua, quæ cum in iiſdem verbis, & ſententiis verſetur, ſummas habet diſsimilitudines, non ſic, vt alij vituperandi ſint: ſed vt ij, quos conſtet eſſe laudandos, in diſpari tamen genere laudentur. Atque id primùm in poetis cerni licet. Quam inter ſe Aeſchylus, Sophocles, Euripides diſsimiles ſunt? quamq́; omnibus par pæne laus in diſsimili ſcribendi genere tribuitur? Ambæ nihilominus, canendi ſcilicet, & pingendi artes Poeticæ obſequuntur, & ancillarum inſtar dominæ famulantur, ab eáque præcipuum decus ſuum mutuantur. Quî dum? Quamuis enim gratus, & iucundus ad aures allabatur citharæ ſonus, multò tamen gratior veniet, atque iucundior, ſi neruorum pulſui carmina ſociata fuerint. Et ſi pictura illa, in qua artifex ſuas duntaxat leges cuſtodierit, tantoperè oculos moratur, quid illam credemus facturam, in qua poeticum penicillum, cum pictoris penicillo conuenientiſſimè copulatum viderimus? Pingunt quippe etiam Poetæ, vt de Homero confirmauit Tuſcul. 5. M. Tullius: ſed picturas loquentes, & diſertas, non tacitas, & mutas. Eorum hiſtoriæ, atq; figmenta pictoribus materiam percommodam ſuppeditant: nec illi vllũ fermè paulò inſignius, ac feſtiuius habent argumẽtum, quod è libris Poetarum non depromſerint. Quæ picturarum copia apud Naſonem in Metamorphoſi? Duo verſus Home-

 rici

rici Euphranorem docuerunt, quomodo Iouem excellenter pingeret: vti etiam tres, qui ſunt in extremo primo Iliad. vbi Thetidi pro Achille filio ſupplicãti Iupiter annuit, Phydiæ ſtatuario exemplum præbuerunt fingendi Iouis Olympij: quam ſtatuam propter nulli imitabile artificium inter 7. orbis miracula numeratam legimus. Feruore illo primo iam reſtincto poëtæ ſcripta ſua in manus denuo ſumunt, ea incudi reddunt, limant, poliunt, perficiunt. Idem bonis diligentibusq́ pictoribus, qui æternitati pingunt, factitare ſolenne eſt. Quod & muſicos facere mos bonus eſt. Apelles opera ſua iam abſoluta in pergula tranſeuntibus iudicanda proponebat: multitudinis enim iudicium aſpernandum non ducebat. Poſt tabulam autem latitans, quid reprehenderetur, arrectis auribus auſcultabat. Acceſsit ſutor, notauitq́, eum in crepida vna pauciores anſulas pinxiſſe. Id vitium continuò Apelles emendauit. Cic. Officior. lib. 1. poëtas idem ſolere aſſerit quod pictores, & ſtatuarij. Vt enim pictores, inquit, & ij qui ſigna fabricantur, & verò etiam poëtæ ſuum quiſque opus â vulgo conſiderari vult, vt ſi quid reprehenſum ſit à pluribus, id corrigatur. Atqui cum Plinius iunior ſcribat lib. 10. cap. 10. vt de pictore, ſculptore, fictore, niſi artifex iudicare non poteſt: ita niſi ſapiens non poteſt perſpicere ſapientem: cur tandem Poëtam perſpiciat, & iudicet, qui Poëta non eſt? Parum itaque valet, paruiq́ue faciendum videtur in talibus vulgi iudicium: quam ſententiam ipſemet Cicero approbat, cuius verba ex

ba ex 3. Offic. recitabimus. *Cùm autem aliquid actum eſt, in quo media officia compareant, id cumulatè videtur eſſe perfectum. Propterea quod vulgus quid abſit à perfecto, non ferè intelligit: quatenus autem intelligit, nihil putat prætermiſſum. Quod item in poëmatis, & picturis vſu venit, in aliisq́ quam plurimis, vt delectetur imperiti, laudentq́ ea quæ laudanda non ſunt.* Paucis eſt ergo contenta iudicibus poëtica. Ac prudenter Horatius ſat. vlt. lib. 1.

Sæpe ſtylum vertas, iterum quæ digna legi ſunt
Scripturus; neq́ te vt miretur turba labores,
Contentus paucis lectoribus.

Adducit in Bruto Antimachum poëtam Cicero, qui conuocatis auditoribus, cum legeret magnum illud ſuum volumen, & eum legentem omnes, extra Platonem, reliquiſſent: legam, inquit, nihilominus, Plato enim mihi vnus eſt inſtar omnium. Sic Antigenidas tibicen diſcipulo ſanè frigenti ad populum: mihi, ait, cane, & Muſis: inſinuans Muſicos & poëtas bonos iudicium multitudinis parui pendere. Habent poſtremò hoc pictores & poëtæ, quod ſunt φίλαυτοι, ſuaq́ multum admirantur: vt illud, *ſua cuiq́ ſatis placebant*, in nullo hominum genere verius reperiatur. Cicero agens de Dionyſio tyranno, *Tuſcul.* 5. Muſicorum verò perſtudioſum accepimus: poëtam etiam tragicum. Quam bonũ, nihil ad rem. In hoc enim genere neſcio quo pacto ſuum cuique pulchrum. Ibid. *Adhuc neminem cognoui poëtam, & mihi fuit cum Aquino amicitia, qui ſibi optimus non videretur.* Et ad Q. F. lib. 2. ep. 9. Non me hercule quiſpiam μυσοπάτακλ@ libentius ſua poëmata legit, quam ego te audio. Zeuxis athle-

tam pinxit, in quo tantoperè ſibi plauſit, vt verſiculũ ſubſcriberet, *μωμήσεταί τις ῥᾴδιον, ἢ μιμήσεται*, facilius inuentum iri, qui cauillaretur, quam qui imitaretur. Donare opera ſua inſtituit, quod ea nullo ſatis digno pretio permutari poſſe diceret. Ferunt, dum anum ab ſe pictam inſatiabiliter ridet, animam præ riſu expiraſſe, quod de Parrhaſio alij tradiderunt. Eſt & ſtatuarius in Metamorphoſi, qui amore operis ſui vſq; ad inſaniam feruet.

TYRO-

TYROCINIVM POETICVM.

ELEGIARVM LIB. II.
FVNEBRIVM LIB. I.
MISCELLAN. LIB. II.
ELEAZARVS Machab. tragœdia.
IMMOLATIO ISAAC } *dramata.*
STRATOCLES ſiue bellum }

Lectori S.

DE exercitationibus meis poëticis, in quas olim adoleſcẽtior incubui, cùm me Muſa non furtim, vt illum, ſed apertè in ſuum trahebat opus, aliquas ſelegi, quas antea tyronibus guſtandas obtuli, ſi fortè inuenirent, vnde hoc illis tam dulce ſtudium magis commendaretur. Eaſdem recenſitas, & leui brachio alicubi emendatas denuo nunc offero, non ſanè veteranis & ϛεφανοφόροις, ſed mei ſimilibus, tenerioribus, inquã, huius

huius diſciplinæ alumnis. Proinde oratum te volo, mi Lector, vt conſilium iſtuc meum æqui boniq́ue facias; & ſi nihil te hîc reperturum putaueris, vnde famen tuam conſolere, eam integram epulis melioribus conſerues.

Vale.

ARGV-

ARGVMENTA POEMATVM.

ELEGIARVM LIBRI PRIMI.

I. In natalitia IESV Chriſti, DEI Opt. Max. Saluatoris. pag. 261
II. In eadem. 263
III. In eadem. 265
IV. In eadem. 268
V. In Bethleem, & antrum IESV Chriſti natale ſolum. 270
VI. In diem Theophaniorum, ſeu Regalium. 273
VII. De infantibus, Herodis immani crudelitati trucidatis. 278
IIX. In ſepulturam Chriſti, & cuſtodes appoſitos. 285
IX. Triumphus Chriſti in vitã reuerſi. 287
X. De eodem. 290
XI. De eodem. 293
XII. De eodem. 295
XIII. De cauſis inſtitutæ Euchariſtiæ. 301
XIV. Cauſæ, panis, & vini ſpecies, nobilitas, adumbrationes, &c. 305

XV. Præparatio ad Euchariſtiam ineundam. 309
XVI. Effectus Synaxeos. 313
XVII. Admiratio, & inuitatio ad Euchariſtiam. 316

ELEGIARVM LIBRI SECVNDI.

I. In D. Catharinam. 319
II. Dolorem, & amorem à Chriſto flagitat. 323
III. Ad Deum, ſuper nauali victoria Chriſtianorum de Turcis apud Echinadas. 324
IV. Inexplebilis erga Chriſtum amor. 327
V. Ad Chriſtum pro malis depellēdis. 329
VI. Templum Societatis IESV Auguſtanum Saluatori, Deiparæ, Diuiſque commendatur. 331
VII. Cæli ac templi comparatio. 333
VIII. Quid in templo cogitandum. 335
IX. Sodalitas B. M. ad eandem pro Sereniſs. Principe Maximiliano, Gulielmi filio. 336
X. Partes, & difficultas Pontificij muneris, ad Marquardum Epiſcopum Auguſtanum. 337

XI. Com-

XI. Comparatio Regis, & Epiſcopi. 339
XII. Super eodem argumento. 341
XIII. Super eodem. 342
XIV. In mortem. 345
XV. Præſtantia, & vis animi. 347
XVI. Philoſophię pictura. 348
XVII. Studioſorum voluptates. 349
XVIII. Amico longam, & beatam vitam precatur. 351
XIX. In ſeptem artes liberales, præſertim Muſicam. 352
XX. Ἀδύνατα poëtica. 354
XXI. Ad Philoſophiam. 357
XXII. Dialectica ad candidatos. 358

FVNEBRIVM.

In obitum Illuſtriſs. Othonis Truchſes Cardinalis, & Epiſcopi Auguſtani, Nænia prima. 360
Nænia ſecunda. 365
Nænia tertia. 367
Eiuſdem tumuli. 371
In mortem Illuſtriſs. Egolphi, Epiſcopi Auguſtani, Monodia. 376
Eiuſdem tumuli. 378
In obitum Sereniſs. Principis Alberti Bauariæ

Ducis, patris patriæ, ad GVLIELMVM filium. 382.
Epicedium primum. 383
Epicedium ſecundum. 385
Epicedium tertium. 386
Epicedium quartum. 388
Eiuſdem tumuli. 390
In eundem aliquot epigrammata. 396
Tumulus Helenæ Sereniſs. Imper. Ferdinandi filiæ. 400
Tumulus Chriſtophori Dœſneri Poetæ & Muſici. 400
Tumulus Petri Rami, doctorum hominum furiæ, Pariſiis trucidati. 401
Tumulus Georgij Comitis ab Helfenſtain. 402.

MISCELLANEORVM POEMATVM.

LIBRI PRIMI.

De inſignibus Gregorij XIII. Pontif. Max. 403.
De ſene, & morte. 403
In Laurentium Surium, Diuorum vitas colligentem, digerentem, & illuſtrantem. 403.

De lin-

De lingua. 404
In gemmas. 404
In baptiſterium. 405
De alauda. 405
In quendam Rhodingum Heſſum qui contra Societatis IESV nomen, & ſcholas maledicentiſsimam orationem ediderat. 405
In IOANNEM Auſtrium, inuictiſsimum Chriſtiani exercitus Imperatorem contra Turcas. 407
In Iordanem flumen. 407
De inuido & auaro. 408
In auarum. 408
De aſino, & vulpe. 408
In dialogos Luciani. 409
In effigiem D. Bernardi, argumēta necis Chriſti complexantis. 409
Ad PHILIPPVM Sereniſsimum Bauariæ Principem, Epiſcopum RATISBONENSEM. 410.
In N. cum Theologiæ DOCTOR crearetur. 410.
In librum Petri Caniſij de IOANNE Baptiſta. 413.
In Sereniſsimum FERDINANDVM Archiducem. 414
Similitudo. 415
Omnia mea mecum porto. 415

Viator, & Echo. 416
In ſeptem artes liberales. 416
In Sapientiam. 417
Sereniſs. Maximiliano, Maximiliani II. filio. 417
Sereniſs. Gulielmo Principi. 418
Collatio voluptatis, & ſapientiæ. 418
Ad Gloriam dialogus. 418
Contra auaritiam Doctorum. 419
In nouos Magiſtros. 419
Ad Epiſcopum Delphinum. 420
In factum Diogenis. 421
In Epiſcopum Herbipolenſem. 421
In Illuſtriſs. Marquardi à Berg Pontif. Auguſtani inaugurationem. 423
Helueticæ iuuentuti. 427
In tres doctrinarum Principes, Ariſtotelem, Ciceronem, Virgilium. 428
Ad Sereniſs. Gulielmum. 429
Ad Angelum cuſtodem. 430
Ad Virginem Dei matrem. 432
In Dulciſs. & Chariſs. fratres germanos, & Martyres. 432
Ad Ioannem Egolphum Epiſcopum. 433
In Chriſtum ab inferis cum triumpho exiſtentem. 434
Ad Cælites pro Marquardo Epiſcopo. 436

Ad

Ad Saluatorem. 437
In nomen IESV. 437
In Chriſtum & Mariam Genetricem. 438
In SS. Vdalricum, & Afram. 439
In quatuor Euangeliſtas. 440
M. Antonij Mureti carmen votiuum ad beatam Virginem Lauretanam heroicum, in iambos conuerſum. 441
In Moſtellariam Plauti prologus. 444
Gulielmo Principi, eiusque familiæ fauſtum precatur annum, ſimulque munus offert. 446.
Ad Templum nouum Auguſtanum ſalutatio. 447
De diuinis actionibus in hac æde ſuſcipiendis ac frequentandis. 448
Ex precatione Salomonis in dedicatione templi. 452
Epithalamium in nuptias Chriſti, & Eccleſiæ. 454
In Virginem matrem. 458
Genethliacum Franciſco, filio D. Octauiani Fuggeri. 459
In imaginem D. Marci Fuggeri. 460

LIBRI SECVNDI.

Ad perquam Reuerēdum D. Iacobum Fuggerum, Ioannis F. ſacerdotium ineuntem. 462.
In natalem Domini noſtri, Bucolicon. 466
Labor donaturus præmia. 471
Honor donaturus præmia. 476
Epigrammata conuerſa de græcis. 481
Eleazarus Machabæus tragœdia. 507
Immolatio Iſaac, drama. 557
Stratocles, ſiue bellum, drama. 523

ELEGIARVM
LIBER PRIMVS.
In natalitia IESV Chriſti Dei Opt. Max. Saluatoris.
ELEGIA I.

ÆThereum mea mens iam nunc furit icta furorem:
Et mea blanditim concutit oſſa Deus.
Quod iuuat, in venas atq; intima pectora numen
Inſinuans, numeris pandere magna iubet.
Per non iratas eo fœliciſſimus vndas,
Incidit antennis aura ſecunda meis.
Dicamus bona verba. O lux fauſtiſſima ſalue,
Qua Deus è caſta virgine natus homo eſt.
Iurgia ſæua cadant, venit lux inclyta cælo;
Optati veniunt ad ſua feſta dies.
Sumimus noua plectra, redit lux proſpera mundo,
Innumerabilibus lux venit aucta bonis.
Thuris odoratas voluant altaria nubes;
Ponite bis genito liba merumq; Deo.
Quiſq; nouo cultu, puroq; incedat amictu,
Concolor & feſto ſit pia turba ſuo.

Nunc agite, & nitidos auro componite crines:
Nunc variet teneros fulgida gemma ſinus.
Lætificos iterate ſonos, cantusq; mouete:
Tangat & argutas dextera docta lyras.
Nectite virginea iam nectite fronde coronas,
Impediant madidum myrtea ſerta caput.
Saltantes pedibus ô pellite, pellite terram:
Tempus adeſt, lætos læti agitate choros.
Sacra canant pueri, dent ſeſe in vota puellæ,
Congeminentq; pias vir mulierq; preces.
Gaudia nunc adhibete, venit Natalis, & omnes
Lætitias ſecum, deliciasq; trahit.
Quas non ærumnas, quos non lux iſta dolores
Abſtulit? iſta eadem quæ bona non retulit?
Non claros peperit mundo lux iſta triumphos?
Nonne dedit terris gaudia, nonne polo?
Illi tu mala multa Deus, qui gaudia differt:
Quiſquis adhuc luget, lugeat ille diu.
Felices miſero parcant effulgere ſoles.
Sic decet. ô illi triſtia quæque cadant.
At tu feſta dies totum exſpectata per annum,
Candida ſemper abi, candidiorq; redi.
Lux bona, te noſtri memorabunt ſemper honores,
Extolletq; tuum pagina noſtra decus.

In

In eadem.

ELEGIA II.

ET iam nox gelidis terras veſtiuerat vmbris,
Mollibatq́ſuus corpora feſſa ſopor.
Et vaga iam tacito radiabant ſidera motu,
Omnia viuentûm ceperat alta quies.
Cum ſubitò cælum diſcedere, & aurea ſe lux
Viſa eſt per tractus fundere ſtelliferos.
Pauperis & tuguri mox colluſtrare penates,
Cum ſene quos habuit dia puella ſuo.
Alituum legio, mundi melioris alumni,
Audita eſt digitis increpuiſſe fides.
Ecce aduentabant ter ſancti tempora partus,
Gignendo (ô nouitas) venerat hora Deo.
Hîc genitrix cælo palmas, & lumina tendit,
Ore verecundo talibus orſa loqui.
Omnipotens genitor, & rerum ſancte repertor,
Inter ſe vnanimi fœdere cuncta ligans:
Ecquid tempus adeſt, quo ſeſe in luminis oras
Exerat ex vtero vis tua magna meo?
Ergo ego te prædulce caput ſtudioſa fouebo?
Ergo premes gremium puſio ſancte meum?
Ergóne mî amplexusq́ dabis, míq́ oſcula iunges?
Oreq́ purpureo lactea dona trahes?
Sic ait, atque animo transfertur mœnia mundi,
Atque expers oneris cælitus edit onus.

Edit onus ſacrum clauſam inuiolata per aluum.
Quod natura parens vidit, & obſtupuit.
Quale vbi ros matutino deſcendit Eoo,
Terra madet paßim, graminis herba madet.
Miratur pluuiæ vim non ſenſiſſe cadentis
Aſperſa peragens veſte viator iter.
Aut vbi flammigerum admittunt ſpecularia Phœbum,
Vitra tamen nuſquam peruia, vt ante, manent.
O charam ſuperis noctem, & mortalibus ægris:
Noctibus in cunctis nulla tibi ſimilis.
Te meminiſſe mihi ſemper iucunda voluptas,
Tu pridem facta es nobilis hiſtoria.
Tu diſcußiſti ſtygiæ caliginis vmbram,
Nam quid erat niſi nox te ſine noſtra dies?
Reſpicite hem, iuuenum fuluis exercitus alis
Axe volans toto nubila celſa ſecat.
Ecce polum denſo latantes agmine cingunt,
Et melos humana doctius arte canunt.
Naſcere magne puer, magnum ætheris incrementum:
Omnia complaudunt: naſcere magne puer.
In fragili calamo puerilia membra reclinas,
Dant tibi fortuitum iuncus & herba thorum.
Tartareo ipſe tamen venies prædator Auerno,
Tradidit imperium cui ſine fine pater.
Hanc quoque diuerſo ſedem peregrinus ab orbe,
Hoc antrum Reges, hoc populiq; petent.
Siue illos Aquilo, ſiue illos miſerit Auſter,
Siue illos Eurus miſerit, aut Zephyrus.

Nate Deo, patuli Deus ante exordia mundi,
Paſtor aberrantes tu reuocabis oues.
Tu quoque proiicies pro charis corpus amicis,
Quorum morte tua eſt expedienda ſalus.
Naſcere magne puer, ſummi patris incrementum.
Plaudit humus, plaudunt æquora, & aſtra tibi.
Dein operit breuibus mater ſua gaudia pannis,
Atq; auidis vlnis pignora chara premit.
Vberaq́; indulget roſeis formoſa labellis,
Oſcula nec ceſſat millia multa ferens.
Hæret & hinc oculis, & inhæret pectore toto,
Ceu quis Apellæis hæreat in tabulis.
Et modo turgidulos flendo tergebat ocellos,
Diuinum mulcens blandula ſæpe caput.
Vtq́; nihil placidam poſſet turbare quietem,
Continuitq́; viam, continuitq́; gradum.
Flumine mellito mellitum propter alumnum
Credite maternas intepuiſſe genas.
Ite pij rores oculis, lacrymæ ite decoræ,
Quas creat, atq; foras rumpere cogit amor.

In eadem.

ELEGIA III.

PLaudamus, natalis adeſt, vramus odores,
Demus & æterno myſtica liba Deo.
Vltima Cumæi procedit carminis ætas,
Sæclorum, ô noua res, naſcitur ordo nouus.

Gaudia proueniunt, luctusq́; timorq́; valete,
Quid tibi nobiſcum eſt ſordida triſtitia?
Et vobis malè ſit, res ô inimica, dolores.
Ite & inhumanos vellite Maſſagetas.
Inueni medicum, letalia vulnera mitis
Pœonia citius, qui mea ſanet ope.
Plaudamus, natalis adeſt, vramus odores,
Demus & æterno myſtica liba Deo.
En reperi portum: mare magnum à ſedibus imis
Prælia ventorum ſeditioſa ruant.
Depulſum ceruice iugum, fractaq́; catena,
Reddita libertas, reddita nobilitas.
Hauſerat immenſis miſerum me faucibus orcus:
Nunc regerit domino me malus ille meo.
Pauper eram, nudusq́;, & deſpectiſſimus vnus:
Decretus modo ſum ciuis olympiacus.
Plaudamus, natalis adeſt, vramus odores,
Demus & æterno myſtica liba Deo.
Nimirum hæc virgo eſt, hæc ſunt fælicia regna,
Hæc noua de cæli vertice progenies.
Proſpera cum miſera pulchrè mutabitur ætas,
Aurea gens poſthac, aureus orbis erit.
Tute puer ſceleris tolles contagia noſtri,
Tu pandes vetiti limina clauſa poli.
Occidit hîc ſerpens, quæ primos vana parentes
Læſit, & heu duris caſibus implicuit.
Plaudamus, natalis adeſt, vramus odores,
Demus & æterno myſtica liba Deo.

Non iam tellurem curuo renouabit aratro
Ruſticus, haud teneram ſollicitabit humum.
Vitibus haud lentis proceras veſtiet vlmos,
Sollertíue manu grándia poma feret.
Mella dabunt quercus, paßim ſe fundet amomum,
Nuſquam non felix nunc erit Arabia.
Omnia ſponte ſua exiſtent, dabit omnia tellus,
Sic faciet nobis otia lata Deus.
Plaudamus, natalis adeſt, vramus odores,
Demus & æterno myſtica liba Deo.
Incipe parue puer riſu cognoſcere matrem,
Huic dare delicias incipe parue puer.
Incipe materno circundare brachia collo,
Incipe & ambroſiis oſcula ferre genis.
Duc age de cælo turgentem puſio mammam,
Blandulus in niueo lude puellæ ſinu.
Tu quoque ne tardes, fortunatißima virgo,
Dulce tuum obſequiis accumulare genus.
Aude oculos paruis coniungere mater ocellis,
Illius & labiis adde labella tuis.
Tum capiti compone caput, ſimul oribus ora:
Ille tuum corpus, ſanguis & ille tuus.
Hunc vos luciferum cœtu celebrate frequenti,
Chriſtiada hunc hilares tranſigitote diem.
Carpite Pierio vocales pollice neruos,
Perq́; ſtrepant lepido garrula fila ſono.
Plaudamus, natalis adeſt, vramus odores,
Demus & æterno myſtica liba Deo.

At tu ſidereis qui quondam pulſus ab oris,
Quiq́; colis triſtes,& ſine luce ſpecus,
Manibus imperitans,rerum iam conſule ſummæ:
Mox aderit regnis vaſta ruina tuis.
Naſcitur,ah miſer,ille tuarum euerſor opum Rex,
Naſcitur imperij perditor ille tui.
Qui te raptabit vinctis poſt terga lacertis,
Omnibus & iocus,& fabula turpis eris.

In eadem.

Elegia IV.

TErrigenæ heus agedum celeres aduertite greſſus,
Oſcula ſacratis figite liminibus.
Et genibus ſtabulum perrepite,& admirantes,
Clariſona genitum tollite voce Deum.
Illum carminibus læti mactemus, & hymnis,
Laudibus ornemus numina ſancta ſuis.
Panniculi dulces, veſtri vt me corripit ardor?
Vt ſum, faſciolæ, veſtri ego ſæpe memor?
Præ vobis,quid enim? regalis purpura ſordet,
Nulla placere mihi ſerica texta queant.
Quodq́; thorum puero fælix præſepe dediſti,
Portaſti & domini membra puſilla tui,
Quàm cupio contemplari, & te cernere coram?
O me quantus amor,quanta cupido tenet?
Oblectent alios gemmæ,oblectentq́; lapilli,
Quos legit Eois nauita littoribus:

Seu quas fulgidulas Hermus deſpumat arenas,
Seu quod de Lybico dente paratur opus.
Ille, nec inuideo, fuluum ſibi congerat aurum:
Hic non poßit opes enumerare ſuas.
Quæ tibi cauſſa Deus patrio deſcendere mundo?
Dic, vt homo fieres quæ tibi cauſſa Deus?
Quæritis aſtrifera ſim cur à ſede profectus?
Cur iterum naſcens os hominiśq; geram?
Diſcite. Iam pridem veſtri correptus amore,
Vos inter medios dignor homo fieri.
Quare autem in tenebris, & opaca ad frigora noctis,
Inq; ſpecu vili, ſtramineaq; caſa?
Huc mea me bonitas, huc perduxiſtis amores,
Hoc etiam vt facerem feruidus egit amor.
Cur neq; Sidonias veſtes, pictumq; cubile,
Cur nuſquam gazas cernimus Attalicas?
Fecit amor rigido vt refouerem membra cubili,
Eſſem vt rebus inops hoc quoque fecit amor.
Quid tamen in ſtabulo, turpem cur inter aſellum,
Atq; bouem natus? quæ tibi cauſſa precor?
Me quoniam veſtri iaculum penetrauit amoris,
Sic mihi ſuaſit amor. Quid niſi amare queo?
Aſpicite vt recubo maternis fotus in vlnis:
Noſcite vagitus, noſcite lachrymulas.
Aſpicite vt dilecta parens me inuoluit amictu,
Scilicet hoc quo non vilior eſſe poteſt.
Aſpicite vt mea me fert in præſepia mater,
Et canit in ſomnos alma puella meos.

Haud

Haud aliter viſum, ſtetit hæc mihi ſumma voluntas,
An tibi noſter amor fortè oneroſus erit?
Te mea paupertas opibus clarabit opimis,
Ipſa tibi riſum noſtra querela feret.
Mutus ego iaceo, nullis cum viribus infans:
Attamen vt ſit ago lingua diſerta tua.
Plurima cum patiar, facio, mihi crede, neceſſe
Ne ſit mortales fanda nefanda pati.
Ipſe colo terras, tibi do ſtellantia regna:
Factus homo efficio te, fugitiue, Deum.

In Bethleem, & antrum IESV CHRISTI natale ſolum.

ELEGIA V.

BEthlemiæ ſaluete domus, ſaluete penates,
Salue vrbs perpetuo nomine digna coli.
Te lætabundus veneror: tu tangis olympum,
Cum facta es domini patria parua mei.
Tantum alias omnes inter caput erigis vrbes,
Quantum humiles colles Taurus, & Oſſa præit.
Diuitias alij iactent, auriq; talenta,
Aureaq; artifici condita templa manu:
Tectaq; nobilibus celebrent operoſa columnis,
Æratasq; trabes, marmoreumq; ſolum:
Eductas cælo moles, turresq; ſuperbas,
Quæq; vident propius ſydera pyramides:
Et cum præruptis ſua propugnacula foſſis,
Munitas arces, oppida magnifica:

Cuncta

Cuncta hæc vna ſuis Bethlemia laudibus anteit,
Vrbibus hæc aufert omnibus omne decus.
Troia vetus ſileat, nec iam ſua Pergama diuûm
Ædificata opera prædicet eſſe duûm.
Non inuentrices Sophiæ laudentur Athenæ,
Cognomenq́ ſuum depoſuiſſe velint.
Roma, precor, faſces ne præferat illa ſuperbos,
Submittatq́ caput, quæ caput orbis erat.
Non iam Marcellos, non iam duo fulmina belli,
Non alios deinceps ornet honore duces.
Ecce Palæſtinis ſurgit Roma altera campis,
Cuius maior honos, quam dare ſceptra decet.
Néue etiam aſſidui iactent Babylona labores:
Credite, Bethlemia eſt & Babylone prior.
Vrbs nulla oppidulo poſſit certare beato,
Namque vrbes ſimiles nec vagus orbis habet.
Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Ios, Argos, Athenæ
Eſſe ſuum mittant dicere Mæonidem.
Naſcitur inſigni multò quid maius Homero,
Qui pater eſt hominum naſcitur ipſus homo.
O tibi quæ laudes vrbs non inuiderit iſtas,
Atque tuo quæ non appetat eſſe loco?
Salue vrbs cælicolûm longè gratiſſima Regi,
Tu certè ÆTERNÆ nomine digna magis.
Non ego, ſi liceat, dubitem procumbere ſupplex,
Atque tuo noſtrum tundere poſte caput.

Præcipueq́; ſacrum repetens complexibus antrum,
Antrum in quo noſtra eſt progenerata ſalus.
Hærerem fixusq́;, & carmina læta ſonarem;
Sat facunda reor tum mea Muſa foret.
Tunc ego perferrem gelidæ mala frigora brumæ,
Quæq́; æſtiua canis tempora ſicca facit.
Quàm facilè immites poſſem contemnere ventos?
Quàm me non aliquà lædere damna queant?
Cæruleas nimboſus aquas ſeu funderet Auſter,
Seu Boreas alio cogeret axe niues.
Tunc ferrem & glaciem, ferrem patienter & imbres,
Deſpicerémq́; famem, deſpicerémq́; ſitim.
Siue mihi albentes variarent tempora cani,
Sulcaretq́; meam pallida ruga cutem,
Non hinc me raperet quamuis longæua ſenectus,
Vidiſſem quanquam ſæcula Neleidæ.
Non me exoptato vis vlla reuelleret antro,
Vt caderent rerum qualiacunque mihi.
Hîc ego ad extremam durarem ſedulus horam,
Hæc etiam tellus conderet oſſa mea.
Nam mihi quid magnus nummorum proſit aceruus?
Quò mihi ſint culti iugera mille ſoli?
Et domus inceſti moles imitata Neronis?
Chryſolithi, & rutilo lumine valua micans?
Aut quid Erythræis quot opes naſcuntur in oris?
Murice quid tandem vellera tincta iuuent?
Aut quidquid ſtolidum vulgus miratur, & errat,
Et quæcunque ſibi commoda falſa cupit.

Neu

Neu me felicem reddant Pactolides vndæ,
Neu quas ſollicitas congregat orbis opes.
Iſta petant alij, ne ſint mihi talia cordi,
Mî ſatis in trita conſenuiſſe toga.
O antrum, mihi ſit tecum communis egeſtas,
Regna ſibi Reges ditia poſſideant.
Texta Phrygum, plumæq́, & ſtragula picta ſoporem
Ducant molliculis, & ſine mente viris.
Si bene me noui, ſtratis non lætor eburnis,
Sit modo tam ſacra ſternere corpus humo.
Hinc procul abſiſtat quiſquis prolutus Iaccho eſt,
Cui nocturna tulit gaudia ſpurca Venus.
Quiſquis & Aſſyrio perfuſus odore capillos
In picturata veſte nitere ſolet.
O quantum eſt hominum diſcedite, quæſo, malorum,
Iſte locus ſacer eſt, hunc fugitote locum.

In diem Theophaniorum, ſiue Regalium.

ELEGIA VI.

TErtius ac decimus ſtellarum exegerat agmen
Lucifer, & toties Cynthius ortus erat,
Ex quo virgo Deum ſtabulis enixa, parentis
Ipſa ſui (ô magnum) cœperat eſſe parens.
Interea quà puniceo ruit Eurus ab ortu,
Quà ſolet alipedes iungere Phœbus equos,

Chaldæi Reges cæli portenta ſecuti,
Dona beata ferunt, tres tria quiſque ſuum.
Tres iter intendunt Solymæa ad mœnia Reges,
Quos recinit claros fama vetuſta ſophos:
Munera portantes aurum, & bene olentia thura,
Quæq; ab Orontæo cortice myrrha fluit.
Quippe ſacri partus ſtudio venere colendi,
Duxerat hos tremula ſtella coruſca face.
Lumine ſtella vias ſignabat prauia largo,
Ceu quondam Iſacidûm nota columna patrum.
Iamq; propinquabant, leuibus cum garrula plumis
Anteuolans, vrbi ſingula fama canit.
Fama ſagax rerum, cui centum gutture linguæ,
Per ſola, per rapidum commeat illa fretum.
Nuntiat extremo Reges oriente profectos,
Et comitum denſas ad latus ire manus.
Tum ſe proripiunt ſtudio noua monſtra tuendi
Sollicitæ matres, ſollicitæq; nurus,
Inualidiq; ſenes, pueri, innuptæq; puellæ;
Concurſat medium vulgus inerme forum.
Quid veniant quærunt: qui ſint: quæ climata linquant,
Rumor & ambiguus compita peruolitat.
Herodi quem tum ſceptri fortuna ſuperbum
Fecerat, exangues incubuêre metus.
Incertusq; animi partem ſe verſat in omnem,
Anxiferis curis turbida mens coquitur.
Ecce autem Eoi introgreßi mœnia Reges,
Aduentus cauſſam conſiliumq; docent.

Scili-

Scilicet hunc Regem venerari venimus aiunt,
Nuper in hac conſtat quem regione ſatum.
Huc veſtras rutilum duxit nos ſydus ad oras;
En etiam preſtò munera cuique ſua.
Talia promebant. Herodis nuntius aures
Vulnerat, & gelidus percipit oſſa tremor.
Cor micat, & toto refugit de corpore ſanguis,
Horreſcunt artus, arrigiturq́ coma.
Incaſſum trepidas, ô importune tyranne.
Pernicies regnis nulla parata tuis.
Diuitiis, ſceptroq́ times, opibusq́ caducis?
Excute tam pauidos ſaeue tyranne metus.
Qui modo progenitus, non is mortalia curat;
Quando illi potius cælica ſceptra patent.
Præcipit indigenas cogi intra mœnia vates,
Scitari, & multis quærere multa iubet:
Naſcentis pueri tempus, patriamq́ locumq́.
Heu quantum demens æſtuat ambitio?
Illi autem edocti patrum reſponſa piorum,
Vicina memorant nomina Bethlemiæ.
Vnde ortus ſe olim magnus ſuper æthera vindex
Tollat, Idumæum qui regat imperium.
Tum mage Rex animum crudeli exſuſcitat ira,
Et dirum in diro pectore vulnus alit.
Seu vigilat, placidus claudit ſeu lumina ſomnus,
Seu fruitur dapibus, ſeu bibit ille merum,
Principis ante oculos geniti circumerrat imago,
Hunc ſe præſentem conſpicere vſque putat,

Hortantem claſſes equitum, peditumq́; maniplos,
Iactantem piceas in ſua tecta faces:
Alterum & alterius iugulantem in ſanguine ciues,
Coniugis, & nati funera mœſta ſui.
Tandem Arabum Reges dictus aggreſſus amicis,
Callidus, in ſpeciem relligioſa rogat.
Regis vbi inuenient primùm cunabula nati,
Hæc inuenta ſibi ſignificare velint.
Et nos huic Regi grauia, inquit, dona feremus:
Clarior hic noſtro fiet honore puer.
Iamq́; iter inceptum properant, & amabile ſydus
Amiſſum illuſtri lampade vt ante præit.
Inde ſupra tectum, ſupraq́; mapalia ſiſtens,
Lucidulis radiis ſaxa, laremq́; ferit.
Aſpectant humilemq́; caſam, anguſtoſq́; penates,
In diuerſa animos cura repente trahit.
Ergóne quæſiti ſunt hæc cunabula Regis?
Hîc Reges habitant? hîc ſtabulantur oues.
Ne dubitate Magi, ſed fixùm credite, paruo
Sub lare Rex magnus, ne dubitate, latet.
Deſcendunt ab equis, mentem capit ardor eundi:
Acclinati omnes limina ſancta petunt.
Prô quantum ſe hominum diuûmq́; æterna poteſtas
Deiicit, vt tandem ſurgere curet homo?
Qui cælum & terras, qui condidit æquora ponti,
Omnibus ignotus, & ſine honore manet.
Si Rex eſt puer hic, vbi celſis aula columnis?
Sunt vbi regali ſceptra gerenda manu?

Et

Et ſolium Scythicis fabrefactum rite ſmaragdis,
Barbarica veſtes, ſidereuſq; nitor?
Nulla hic ſplendidulis parent diademata gemmis,
Sed neq; berylli, ſed neq; ſardonyches.
Non Pariuſq; lapis, non Aſſyriiq; tapetes,
Oh, nec Achemenio ſpirat odore domus.
Solum aderat ſenior tenera cum virgine Ioſeph,
Hoc erat inq; ſpecu tertius ipſe Deus.
Tres aderant homines, & cum boue tardus aſellus.
Siccine iam populi tu ſatis eſſe putas?
Nil refert famulóſue illic, dominóſue requiras:
Qui iuſſus peragunt, hi quoq; iuſſa ferunt.
Forte ſenex minuit praacuta ligna ſecuri,
Inſtaurat tepidos ſtraminibuſq; focos.
Atq; ſenili anima ſiccato in cortice flammas
Irritat, modicos & domat igne cibos.
Quas etiam patulis herbas collegerat agris,
Sedulus in partes diuidit exiguas.
Verùm vbi iam Reges ingreſſos ordine vidit,
Contremuit, ſenſus vix potis ille ſui.
Aſpicit admirans auroq; oſtroq; decoros,
Nec non inſolita relligione pios.
Attonitus rerum penſat miracula, multà
Secum agitans, voci parcere vixq; poteſt.
Inde genu nixi, ac demiſſo lumine paruum
Supplicibus votis, muneribuſq; colunt.
Recludunt arcas, promuntq; inſignia dona,
Aurum, thus, myrrham, Regi, homini, atq; Deo.

Interea ante fores famulorum turba moratur,
Ad reditum ſolers quæque paranda parans.
Stat ſonipes, ſimul ora lupis ſpumantibus alben s,
Hinc atq; inde ferox colla comata iacit.
Hi puero referunt puro de pectore laudes,
Præſentemq; trium vox canit vna Deum.

De infantibus, Herodis immani crudelitate trucidatis.

Elegia VII.

HErodis furor indomitus, cædisq; nefandæ,
Fœminei planctus, hæc mihi carmen erunt.
Ite leues elegi, date iuſto fræna dolori,
Materia in veſtros conuenit iſta pedes.
O nimium lux fœta malis, ô flebile tempus,
Infantum quo tot corpora miſſa neci.
Plurimus incendit matrum pia viſcera luctus,
Horruit infandum Phœbus vterque nefas.
Triſtis hyems aderat, glacialibus aſpera nimbis,
Et pigra hybernum ſtrinxerat arua gelu.
Iam ſenis Æmonij ſol aureus aſtra tenebat,
Adueniens ſtellas ad capricorne tuas.
Iam ſtupefacta ſuos requierant flumina curſus,
Frigore piſciferas vinxerat Auſter aquas.
Tranquillam terris agitabant ſæcula pacem,
Clauſaq; ferratis improba bella ſeris.

Cùm

Cùm virgo Iudaa genus, Dauidica virgo
Protulit integra virginitate Deum.
Ecce tibi quà ſol ſe matutinus ad auras
Exerit, & radios per iuga celſa iacit,
Tres aſtro ductante Magi Solymaa propinquant
Mœnia, & hi ſecum munera magna vehunt.
Exquirunt nitidis conſtructa palatia muris,
Regalis media quaritur vrbe domus.
Iſacidûm gentis ſceptrum tum fortè regebat
Herodes, ſcelerum nobilitate potens.
Irriſor diuûm, & magni contemptor Olympi,
Et graue ſepoſitis, finitimisq́ malum.
Trux illi facies, alieni immenſa cupido,
Ille amens animi, peſtis & exitium:
Non generis noſtri, ſed erat de tigride natus,
Aut de Sarmaticis, Caucaſeisq́ iugis:
Aut Scylla, vt potius reor, infeſtáue Charybdi,
Quem puerum vberibus nutriit vrſa ſuis.
Quin & robur erat circum pracordia triplex:
Durior hic ferro, durior & chalybe.
Chaldaeos poſtquam acceperunt mœnia Reges,
Rex longa cauſſam perdidicitq́ via,
Protinus in furias, rabidamq́ erumpit in iram,
Obtinet horribilis frigida membra tremor.
Flauentes veluti cum ventilat Eurus ariſtas,
Aut cum fraxineas impulit aura comas.
Immenſum pallet vultus, ſtant lumina flamma,
Haud illo facies dirior vlla fuit.

Ardentes intus conſumit cura medullas,
  Ab nimis impatiens eſt fera corda dolor.
Vulnus alit tacitumq́, & pectora diſrumpuntur,
  Prognati quoties mente recurſat honos.
Se cruciat, nullum dat ſollicitudo ſoporem,
  Nec requieſſe poteſt, cor edit ipſe ſuum.
Cogitat vt puerum crudeli funere mergat,
  Vtq́ ſit occultis liber ab inſidiis.
Verùm neſcit adhuc Chriſtum, neq́ proficit vſquam:
  Bethlemiis tamen hunc finibus eſſe ferunt.
Quid facit? armigeras edicit adeſſe cohortes,
  Conuocat inſtructos à feritate viros.
Tum dirùm infrendens hac voce ſilentia rumpit,
  Barbaricoq́ truces funditat ore ſonos.
Haud opus eſt, ſocij, multis hortamina verbis
  Promere, pauca tamen res monet ipſa loqui.
Non ego cum regni ſum primùm in ſceptra locatus,
  Tam pendens animi, tam metuensq́ fui.
Per varios caſus, per tanta pericula rerum
  Sepius, vt recolo, ſorte mea valui.
At modo me penes eſt qui me perditq́, meosq́,
  Prô prô pernicies nunc mihi nata domi.
Per caput hoc iuro, ſceptriq́ inſignia clari,
  Per qua ſub ſtygium labitur vnda nemus,
Hoſtem hunc inueniam, ferro meus occidet hoſtis,
  Iuráque de ſolio non dabit ille meo.
Hac ait, irarumq́ omnes effundit habenas,
  Nec ſeſe (mens eſt tam rabioſa) capit.

Turba

Turba ſceleſta fremit, pœnas meditatur acerbas,
Quos iterum Herodes efferus alloquitur.
Ille cadat gladiis, ſic ſtat ſententia, veſtris:
Conſpergat celebro ſaxa cruenta ſuo.
Sed quoniam in dubio eſt, quinam de millibus vnus
Hic fuat, infantes quoſque datote neci.
Si pereant omnes, certum eſt, ſimul ipſe peribit:
Cadite, cadentes præmia iuſta manent.
Ne vos diſtineant cœptis vlulantia matrum
Agmina, ne moueant munera, néue preces.
Stulte quid inſanis? pueros quid ab vbere raptos
Enſe necas? nil hi nil meruêre pati.
An te conſilium æterni mutare Tonantis
Poſſe putas? nondum vult puer iſte mori.
Namq́ prius totum ſubmittet legibus orbem,
Iuſſa prius ſummi perficienda patris.
Nondum homines inter rerum admiranda patrauit;
Nec pedibus ſolidam præbuit vnda viam.
Nondum deſtituunt letales corpora morbi:
Nec dum animas caſſi lumine rurſus habent.
Millia & ante hominum ſolis paſcentur in agris;
Agnoſcetq́ Deum mundus hic ante ſuum.
Olim tempus erit triginta meſſibus actu,
Crimine pro noſtro cum feret iſta lubens.
Et trabe pro nocuis vitam deponet in alta,
Quando membra lacer, nil niſi vulnus erit.
At grex carnificum rigidos conſurgit in enſes,
In Bethleemæos impete currit agros.

Qualis

Qualis vbi oppoſitas ſuperauit gurgite moles
Eridanus, pelago ſpumeus arua premit.
Ille ruit ſegetes, ruit agreſtumq́ labores,
Quà fluit vnda ſonans obuia quaque rapit.
Haud ſecus hîc campis cuneus volitabat apertis,
Parturiens mortes cædibus innumeras.
Heu nunc nunc matres ſcelerata excedite terra,
Condite dumq́ licet pignora chara ſinu.
Hoſtis adeſt, partusq́ cupit laniare recentes,
O fugite ô matres, quà licet, ô fugite.
Tuq́ adeo Regum ſanguis digna æthere virgo
Diffuge, nam cæli te monet arce Deus.
Perge tuo cum nato hinc in Memphitida terram,
Hîc tibi diuino numine tuta domus.
Aſt ſimul infeſtas matres videre cohortes,
Et patuit rabies impia carnificum,
Ægreſcunt animis, pallent velut arbore frondes,
Quas noua mordenti frigore carpſit hyems.
Penſa remiſſa cadunt, ceſſant fuſusq́, colusq́,
Stamina perculſas deſeruere manus.
Exanimesq́ ruunt, oculos nox plurima circum,
Vix ſupereſt flatus, vox etiam ipſa fugit.
Qualis dama lupum, Getulum cerua leonem,
Qualis & accipitrem blanda columba fugit:
Sic fugiunt, nimiumq́ timent oneriq́ ſibiq́.
Ah, ita funeſtam non meminère diem.
Exorare viros ſtudium genetricibus omne,
Et truculentorum flectere corda virûm.

Pro-

Procumbunt iterum, dextras iterumq́ prehenſant,
Atq; aliqua ex illis talia dicta dedit.
Parcite maternos natorum funere vultus
Fœdare, atroces ô cohibete manus.
Sin aliter cælo viſum, nos perdite primùm,
Prolibus extinctis viuere nulla volet.
Ne ſubigat vos cædis amor, ne ſæua cupido;
Parcite victrices conſcelerare manus.
Nos potius, ſi qua eſt pietas, crudelibus armis
Conficite: bis ô nos obruitote malis.
In nos horribiles expromite quæſumus iras:
Tollite nos potius, perdite nos potius.
Quid facitis matres? vanis abſiſtite votis,
Nam rapiunt celeres irrita verba Noti.
Mens iſtis immota manet, violentia gliſcit,
Et magis atque magis membra tenella ſecant.
Siue ſinu prolem geſtaret ſiue papilla
Nutriret: ſiue hanc poneret in gremio:
Seu cunis reclinaret: traheretq́ ſequentem
Paßibus haud æquis ter miſeranda parens:
Siue etiam dulcis paruißima colla nepotis
Amplexu tenero continuiſſet auus,
Abripiunt omnes, mactant diſcrimine nullo:
Natura extremis indolet ipſa malis.
At non Marſus aper cæca tam percitus ira eſt,
Vulnifico inſtantes dum premit ore canes.
Nec dum fixa gerunt collo venabula tauri,
Nec dum prima furens prælia tentat equus.

Nec dum prapinguem tigris violenta iuuencum
  Diripit, aut catulis orba leæna ſuis.
Non ita crudelis prædam leo Pœnus opimam
  Dum rapit, atque auidus fruſta cruenta vorat.
Extimulant furiæ, & ſtygiis imbuta venenis
  Subiicit Alecto ſub fera corda faces.
Tum demum latè reſonant plangoribus ædes,
  Aurea plorantûm clamor & aſtra ferit.
Quæq; ſuas conuulſa genas, conuulſa capillos
  Luctiſona nimium compita voce replet.
Quis mihi te caſus rapuit dulciſſime nate?
  Quis te nate meus, quis mihi te rapuit?
Heu ſanguis, corpusq; meum, mea viſcera nate,
  Heu heu tempeſtas tam valida vnde mihi?
Veniſſes nunquam dias in luminis oras,
  Chare puer: ſcelus eſt iam peperiſſe meum.
Ah male fauſta dies, tæda ſociata iugali
  Qua primùm infælix, ô mihi durus hymen.
Hos repetit gemitus, has fundit mœſta querelas,
  Cum quibus & lacrymæ fluminis inſtar eunt.
Tempora deficient, ſi perſequar omnia dictis,
  Carmen erit noſtrum longius Iliade.
Viſæ etiam rigidæ tum fletum ducere cautes:
  Sol alio lugens tramite vexit equos.
Planxit item frugum genetrix mitiſſima Tellus,
  Creuerunt lacrymis ipſa fluenta ſuis.
Tunc etiam Libani flerunt palmeta propinqui,
  Inq; pios gemitus eſt reſoluta cedrus.

O ſa-

O ſacrum caput Herodes, demittere morti
Inſontes pueros, & ſine labe potes?
Hoc facinus quamuis ſeptena per oſtia Nilus
In mare diues eat, diluere ipſe nequit.
O qui cunctipotens annis voluentibus orbem
Conſeruas, ô qui cuncta benignus alis,
Aſpicis hæc? pateríſne ferum inſanire tyrannum?
Non tibi tela pater, fulmina nulla tibi?
Cur adeo immanes cæleſtis flamma miniſtros
Non tulit? aut cur non hos ſimul hauſit humus?
Fortunatæ animæ, dum vos furiata tyrannis,
Trux & Idumæi dum necat ira ducis,
Viuificat magis, & ſuperis vos ſedibus infert,
Æternum vobis conciliátq; decus.
Lætitia exceſſum ſequitur, ſequiturq; triumphus,
Profuit & talem ſuſtinuiſſe necem.
Namq; triumphalem tribuerunt funera palmam,
Viuetis fama ſæcla per innumera.
Saluete ô pueri cæleſtia templa colentes,
Primitiæ ſuperûm, gloria Chriſtiadûm.
Ille autem pœnis moriens iactetur acerbis,
Et capiat merito præmia digna ſuo.

In ſepulturam Chriſti, & cuſtodes appoſitos.

ELEGIA VIII.

HOrribili Iudæa furens vbi morte Magiſtrum,
Strauit, & eſt domini ſparſa cruore ſui:

En Arimatheus ſcelere indignatus Ioſeph,
Tamq́; boni capitis triſtia fata dolens,
Infert ſe medium, Prætorem accedit ad ipſum,
Impauidus ſacras impetrat exuuias.
Accingensq́; operi largis rigat imbribus ora,
Luctificum & geminans de trabe ponit onus:
Sindoneq́; inuoluit, ſanctisq́; dat oſcula membris,
Quæ parat in tumulo compoſuiſſe nouo.
Conuenere quibus feruebat pectus amore
Chriſte tui, contrà quorum & amator eras.
Prima ſed ante omnes longè mæſtiſſima mater,
Cuius adeſt lateri Magdalis arcta comes.
Illa ſuper gelidos nati ſe proiicit artus,
Perluit & corpus fletibus irriguis.
Traiectasq́; manus, & hiantia vulnera, & illam
Cuſpide factam oculis plagam obit, ægra ruit.
Præſtat & amplexus, & dum licet oſcula figit,
Et fouet in gremio pondera muta ſuo.
Nec potis eſt mentem expleri, iuuat oribus ora
Apprimere, & charis pectora pectoribus.
Atque infit. Qui nam qui te dulciſſime fili
Tam aduerſi caſus eripuêre mihi?
Te mea vita, mea vna, & nulli experta voluptas:
Heu cur omnigenis ſum ſpoliata bonis?
Inſonti lethum quare miſerabile nato
O Iudæa fremens es meditata meo?
Heu miſeræ matri iucundum lumen ademit
Et populi furor, & Pontificum inuidia.

Com-

Commoditas periit, mea gaudia ceſſauerunt,
Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
Hæc plorans, & dira gemens, & queſtibus auras
Aſtantumq́ aures inclyta virgo replens.
Magdalis aſt nardum, ſpicaq́ vnguenta Ciliſſa, &
Purpureas veris ſedula ſpargit opes.
Suſpirat, lacrymis oculos imbuta nitentes,
Et celebrat gemitu funera ſancta pio.
Corpora iam triſtes affati extrema ſepulcris
Condiderant, redeunt in ſua tecta domum.
At nec dum Solymos infælix cura reliquit,
Denuo diſcruciat corda ſceleſta timor.
Nam quòd diſcipulis rediturum ad lumina vitæ
Pollicitus, nimium territat hocce viros.
Armato trepidi circundant milite tumbam,
Quem cautè vigilet, terq́ quaterq́ monent.
Tollere ne quis eum, ſecumq́ auferre ſepulcro
Poſſit, & hinc falſi nuntia fama volet:
Nempe illum ſuperas rediiſſe in luminis oras:
Hoc execrandi Pontifices metuunt.
Sed ſtolidi vetuere, quod haud potuere vetare,
Ad nihilum recidit machina ſacrilega.

Triumphus CHRISTI in vitam reuerſi.

ELEGIA IX.

ÆTernas clades, & deſolata profundi
Regna Iouis, fractas & Phlegetontis opes.

Vmbrarum prædas, deportatosq́ triumphos
Mens inſtincta Deo nos celebrare monet.
Eſte procul ſenſus humiles, & inania rerum,
Iam cælo fruimur, iam mihi corda calent.
Auditur mihi iam vox lamentabilis Orco,
Ire triumphatos ſub iuga cerno duces.
Exutos videóque ſuperbos dæmonas armis,
Omnibus euerſos intueorq́ bonis.
Nunc etiam victor diademate pulcher & auro,
Nunc feriunt oculos lucida turba meos.
It præ cælicolûm gens perniciſſima fratrum,
Et faciunt dulces ore ſonante modos.
Poſt triſtes adeo ærumnas, poſt mille labores,
Poſt accepta feris vulnera mille modis,
Suſpenſus trunco Rex omnipotentis olympi,
Mortales inter viuere deſierat.
Sic ille oppetiit, cuius ſtant omnia nutu,
Vita mori potuit? mortua vita fuit.
Continuò manes, & regna ſilentia Ditis.
Nigranteſq́ locos præuia fama petit.
Ecce tibi cinctus numeroſo milite victor
Chriſtus adeſt, Erebo triſtia damna ferens.
Per cæcos penetrans aditus, perq́ inuia tendens,
Mox Acherontæas conſtitit ante fores.
Sunt loca ſentæ ſitu, tenebris horrentia latè,
Ater vbi Stygiæ murmurat amnis aqua.
Noctiuagi fratres, quos ob commiſſa, parentis
Ætherij celſo depulit axe furor,

Impe-

Imperium hîc tractant, animáſque in carcere claudunt,
Suppliciumq́ ſuum tempus in omne luunt.
Eſt pars interior longo ſemota receſſu,
Hîc ſontes vmbras feruida flamma coquit.
Nullam fas illic nullam ſperare ſalutem,
Æternùm noxas, & ſine fine piant.
Veſtibulo aſt ipſo requies, neque Mulciber vllus,
Hîc namq́ inſontes æuum agitant animæ.
Hîc tum aderant patres humanæ gentis origo,
Veridici vates, hebraiciq́ duces,
Qui vitam ſceleris puram, maculæq́ carentem
Egiſſent, ſacræ iuſtitiæ memores.
Sæpe malis finem ſeſeq́ optare ſolutos,
Fruſtrà, nam nec dum victima Chriſtus erat.
Porta ſeris centum validè obfirmata manebat,
Ferreus hanc aries vincere non poterat.
Vt deus impulerat ſtridentes robore poſtes,
Edidit ingentem vaſta ruina ſonum.
Exciti ſonitu proceres de vallibus altis
Tartarei, primùm multa mouent animis.
Vt videre Deum radiorum luce coruſcum,
Exululant triſtes, abſiliuntq́ procul.
In latebras abdunt ſeſe, áduentúque tremiſcunt,
Lucifer increpitans talia voce refert.
Quæ vos ſegnities ſocij, quæ cauſſa moratur?
Pro regno antiquo cur capere arma piget?
Arma viri capitote, citiq́ ruamus in arma,
Tela date, eia moras rumpite, tela date.

Sic effatus agit Chriſto ſeſe obuius, vt hunc
Finibus excludat, reiiciátque ſuis.
At cruce ceu iaculo perfixus ſibila colla,
Vaſtifico latè corpore ſternit humum.
Moxq́ fuga trepidans ſeſe committit, & vltra
Cum domino metuit conſeruiſſe manus.
Inſolitus ſtygium terror concuſſerat orbem,
Attulerántque nouos tam noua monſtra metus.
At caſti manes præſentem cernere Chriſtum
Dignati, vnanimes lætitia exiliunt.
Ad quos ſic infit dominus. Quem quæritis adſum,
O regni, ô populi pars veneranda mei.
Pro vobis ego ſum mortem perpeſſus acerbam,
Debita cuncta meo ſanguine perſolui.
Parcite iam luctu, atq́ animis modò adeſte volentes,
Ad ſuperos mecum plebs mea ferte gradum.
Carcere mox ſeſe obſcuro ſancta agmina promunt,
Pectoráque inſolitis motibus exiliunt.
Tum circum volucres pueri, alatiq́ miniſtri
Lætantes, Chriſto carmina ſacra canunt.
Ad Paradiſiacos hortos, & amœna roſarum
Deductis paucas imperat hicce moras.

De eodem.

ELEGIA X.

ET iam funeſto ſublatum à ſtipite corpus
Sindone veſtierant, & dederant tumulis.

Vna

Vna ſed ancipites Phariſæos cura remordet,
Ne veniant raptum funera diſcipuli,
Inficiantq́; dehinc vanis rumoribus vrbem,
In lucem hanc Chriſtum nempe rediſſe ſuum.
Hoc veriti, accinctas telis miſêre cohortes,
Cuſtodes buſti vt nocte diéque forent.
Iamqúe dies cælo proceſſerat vnus & alter,
Tertia reddebat lux Phaëtontis equos.
Threiciis res digna notis, albóque lapillo,
Res nullis vnquam cognita temporibus.
O terra, ô maria, ô auræ, ô domus inclyta diuûm
Audite, & quæ nunc accipitote feram.
Dum miles vinóque iacet, ſomnóque ſepultus,
Securus furum, deſerit excubias.
Cærula perrumpit rediuiuum marmora corpus,
Quod matutina lampade ſplendidius.
Diuinum ambroſios diffundit corpus odores,
Et niueus roſeo fulget in ore decor.
Lux circum rutilans, dant ſigna tonitrua cælo,
Applauſit tellus, & ſiluêre Noti.
Cuſtodes ſensêre metu riguiſſe capillos,
Pectora ſenſerunt frigidiora niue.
Quiqúe color foliis Autumni frigore lapſis
Eſſe ſolet, duro talis in ore fuit.
Scriba aurum numerans taciturna ſilentia poſcit.
Heu, quid non auri vis maleſuada poteſt?
Salue victor ouans, ô victor maxime ſalue,
Humanum ſolus commiſerate genus.

Nuper vbi moriens Acheruſia templa petebas,
Strauiſti horrendos, innumeroſq́ue greges.
In vitam rediens truculentos conteris hoſtes.
Sit laus, ſit meritis gloria Chriſte tuis.
Aduolitant iuuenes en de cæleſtibus oris,
Et geminant paribus cantica læta choris.
Pſallite, iam vicit fortis leo, pſallite carmen,
Tendite doctiloquæ barbita iuncta chely.
Nunc gryphes iungentur equis, nunc tigribus agni,
Præbebit canibus nunc quoque cerua latus.
Sponte ſua tellus meſſes generabit opimas,
Et quæ non habuit ſemina reddet ager.
Libera ſecuris ducentur & otia terris,
Ilice de viridi roſcida mella fluent.
Pſallite, iam vicit fortis leo, pſallite carmen,
Et digitis querulas ſollicitate lyras.
Vomere fulmineus iam nunc mutabitur enſis,
Non iterum mauors ſæuiet orbe minax.
Ferrea migrabunt ſæclis redeuntibus aureis,
Proſpera cum domino ſunt reditura ſuo.
Nulla ligabuntur ceratis verba tabellis,
Aſpera molleſcent, pſallite terrigenæ.
Pſallite, iam vicit fortis leo, pſallite carmen,
Æoliis hilares ludite iam fidibus.
Fleuerunt diro mactatum funere cautes,
Occuluit nitidas Cynthius ipſe comas.
Quin etiam horrifero tellus quaſſata tumultu,
Vt potuit Chriſti fleuit & ipſa necem.

Chriſte

Chriſte tuum Libyci interitum gemuêre leones,
Non quadrupes vllos attigit vlla cibos.
At poſtquam ſuperas rediiſti viuus ad oras,
Ceſſarunt gemitus, deſiit atque dolor.
Pſallite, iam vicit fortis leo, pſallite carmen,
Tangite melliflua fila ſonora lyra.
Tityrus agreſtem meditatur arundine Muſam,
Nunc errare boues cernit & vſque ſuas.
Terra ſinus aperit, pinguntur floribus horti,
Gramina nunc redeunt, frigora nunc abeunt,
Rident prata, tepent Zephyris modo flantibus auræ,
Vere nouo raſtris & renouatur ager.
Nunc viret omne nemus, patulæ dant tegmina quercus,
Atque ſonos tenui gutture fingit auis.
Aſpice, cuncta tuis lætantur Chriſte triumphis,
Aſpice, dant operam plaudere cuncta tibi.
Pſallite, iam vicit fortis leo, pſallite carmen,
Iungite iam citharis nablia, ſiſtra tubis.

De eodem.

ELEGIA XI.

INterea genetrix arcano ſola cubili
Dat gemitum, & lacrymis paſcitur ipſa ſuis.
Luctibus & nimium, nimium confecta dolore,
Hæc ſecum tacito pectore conqueritur.
Me miſeram, quid ago? quo me nunc anxia vertam?
Heu quinam pars eſt corpore rupta meo?

Nate meum deſiderium, mea gaudia nate,
Quando reſtitues te mea vita mihi?
O cur non vnà mortem, fatumque ſubiui?
Curq́ ſimul tumulo non tegor ipſa tuo?
Viuere iam nequeo, mihi nam lux alma receſſit,
Iam ſupereſſe piget, lux mihi natus erat.
Nate redi, caſusq́ leua, leniq́ue dolores;
Te ſolum reddas, omnia reddideris.
Finierat, tepido manabant lumina fletu,
Obruerátque grauis pectora caſta dolor.
Ecce ſuperueniens ſancta in penetralia Chriſtus,
Compellat matrem vocibus hiſce ſuam.
Salue mater, ait, faxis lamenta recedant,
Hoſtibus à domitis iam mihi nomen erit.
Illa vbi præſentem viſa eſt agnoſcere natum,
O quibus inceſſit libera lætitiis?
Inſaturata iterumq́ iterúmque iterumq́ tuetur,
Quóque magis ſpectat, feruet amore magis.
Fertur in amplexus, delibat & oſcula membris,
Lætáque dulciloquos fundit ab ore ſonos.
Vt te nate libens poſt tot diſcrimina cerno?
Poſt plagas, poſt tot vulnera, ſputa, crucem.
Iam prope funus eram, per te mihi reddita vita eſt,
Vt modo te viuum, lux mea, cerno libens?
Hócne caput denſa ſpinarum inſigne corona?
Pulſatum duris fuſtibus hocce caput?
Hocce terebratum ferrata cuſpide pectus?
Háſne manus clauis fodit apella ferox?

Hóſne

Hóſne pedes telum tumidos traiecit ahenum?
Hoc corpus lacerum ſanguineumq́ fuit?
Pallor abit membris, & claro lumine fulges,
Cœleſte afflatum eſt, ô tibi nate decus.
Qualis vbi induitur roſeos aurora colores,
Qualis vbi radiis ſol iuga ſumma ferit.
Quale lapis Parius fuluo circundatus auro,
Artificumq́ manu cum decoratur ebur.

De eodem.

ELEGIA XII.

SAlue ſancta dies totum memoranda per orbem,
Qua ſunt de ſtygio rapta trophæa duce.
Qua deus aſtripotens nigrantia clauſtra ſubegit,
Qua condemnatis eſt reparata ſalus.
Salue feſta dies ſæclis celebranda futuris,
Qua fers Chriſticolis gaudia tanta piis.
Qua rabies, validiq́ furor compreſſus auerni,
Qua ſunt ſiderei regna recluſa poli.
Salue auguſta dies: ô fortunata dierum,
Qua placata fuit gens inimica deo.
Qua mens alta patris noſtros miſerata labores,
Et qua cœlitibus contigit eſſe pares.
Viſceribus terræ in mediis horrentia latè
Antra Hyperioniis ſolibus orba patent;
Occupat & ſemper rigidæ caliginis vmbra
Pallidulum, mœſtum, terribilémque locum,

Mille habitant fratres, quos celſi Rector Olympi
Ob noxam æterno perdidit exilio,
Tartareoq́; lacu, tenebrisq́; incluſit opacis,
Vt ſcelerum pœnas tempus in omne luant.
Interior pars eſt barathrum irremeabile cunctis,
Vmbrarum ſontes continet illa greges.
Supplicia expendunt piceo inſtaurata camino,
Flamma vorax crepitat, ſpes ibi nulla bona eſt.
Horribiles larue, atq; immania monſtra ferarum,
Igne vigent ignes, ſulphura ſulphuribus.
Parte alia ſedes, atq; atria longa pateſcunt,
Ignis vbi nullus, nec dolor vllus adeſt.
Alta per obſcuras agitata ſilentia valles,
Ipſa quoq; inferno ſubdita regna duci.
Hîc tum antiquorum ſeries numeroſa parentum,
Pectore ſincero qui coluêre deum.
Hîc quondam afflati diuino numine vates,
Quique orbi leges explicuêre ſacras.
Quique olim ſine lege & iuſta, & recta ſecuti,
Et pueri, & matres, virgineiq́; chori.
Omnibus vnus amor, cæliq́; immenſa cupido,
Exſpectat dominum turba ſacrata ſuum.
Iam cum præteritis numerabant ſecula luſtris,
Sperabant fauſtum non procul eſſe diem,
Quo linquant victis Acherontia templa tenebris,
Quo libertatis dona cupita ferant.
Ecce autem vinctus canos diademate crines,
Ieſſæus vates plectra ſonora mouet.

Fatidi-

Fatidicaq́ pios ſentiſcens mente furores,
Ore, chelyq́ ſimul fata futura canit.
Venit læta dies, & noſtri carminis hora.
O ſocij imbellem deſeritote metum.
Soluite iam luctus, veniet ſperata voluptas,
Diſrumpet coram vincula longa deus.
In cruce pro nobis fudit cum ſanguine vitam,
Gratis & amiſſas iam reparauit opes.
Tempus adeſt, ſuperas quo fas euadere ad auras,
Quo licitum vita nos meliore frui.
Mox aderit ſpes noſtra, dei indubitata propage.
Gaudete, & lætum concinitote melos.
Iam nos aſtra vocant, reſerataq́ ianua cæli,
Nos vocat omnipotens in ſua regna deus.
Hic ſecum ad ſedes ducet ſtellantis Olympi,
Illic perpetuæ proſperitatis honos.
Illic gemmatis rutilantia mœnia portis,
Aurataſq́ domos, ſtelligeraſq́ vias,
Illic & vitreos læti mirabimur amnes,
Sidereas dabitur pernumerare faces.
Sub pedibus dabitur fulgentem cernere ſolem,
Nos infra celeres luna agitabit equos.
Talia dicta refert: attollunt agmina plauſum,
Iamq́ exire magis ſquallida clauſtra lubet.
Haud ſecus ac intra timidi ſua mœnia ciues,
Quos diuturna hoſtes obſidione premunt,
Et quatiunt muros, denſo ſtat puluere cælum,
Aduolitant crebri tecta ſuprema globi:

Si ſe-

Si ſocias forſan prope conſpexêre cohortes,
Spe firmant animos, intrepidumq́; micant.
Ergo triumphales edunt per guttura cantus,
Vocibus hymniſonis conſonat omne ſpecus.
Intremuit Phlegeton, tremuerunt limina Ditis,
Suſpirans imo corde Megæra gemit.
Tandem ſuccedit foribus ter maximus victor,
Cui millena acies ſtipat vtrunq; latus.
Porta feras centum totidemq́; habet ordine vectes,
Vincere quos nec vis, nec valet ignis edax.
Impulit, horriferam dedit illa impulſa ruinam,
Quo caſu inferni mugiit aula Iouis.
Ad ſtrepitum exciti properant deformibus antris,
Atq; deum contra dæmones arma ferunt.
Inſuetumq́; rudunt, Vulcanum & naribus efflant,
Tum ſocios quidam talibus aggreditur.
Feſtinate viri, date tela, reponite poſtes,
Sedibus heu noſtris, currite, raptor adeſt.
Ipſe autem ductor, totóque ex agmine primus,
Serpentis faciem, fœdáque membra capit.
Sibilat horrendùm, magnoq́; volumine terga
Verſat, nunc ſe iterum trabs velut altus agit.
Terra ſonat ſquammis, vitiat niger halitus auras,
Sanguineiq́; oculi, dentium & ordo triplex.
Nunc velut aßiduis qui creuit ab imbribus amnis,
Nunc veluti fulmen impete cuncta ruit.
Verbera docta pati pellis durißima monſtri,
Ore venenato lingua triſulca micat.

At

At non diuina crucis altum reppulit ictum,
Hac victor medium tranſadigit colubrum.
Palpitat ille ferox, lignum & vitale remordens
Sæuior ad pugnam, quam fuit ante, redit.
Aſt Deus omnipotens vanam ſine viribus iram
Eſſe docens, robur tendit in ora ſacrum.
Nititur hic contra, figensq; in ſtipite dentes,
Vulnera dat ligno, ſed magis ipſe capit.
Tum verò inflatis tumuerunt guttura venis,
Et circum rictus albida ſpuma fluit.
Iam domus interior tenebris rareſcit opacis,
Cunctáque ſiderea luce rigata nitent.
Qualis vbi obſcura radiat carbunculus vmbra,
Horriferam noctem luminibusq; fugat:
Talis erat vindex, talem te Chriſte ferebas,
Veſtiuit radiis lux tua cuncta ſuis.
At poſtquam hunc medium in penetralibus aſpexerunt
Lucifugi cœtus, mox iniêre fugam.
Stant caſti circum manes, vocemq;, manuſq́ue
Vltori tendunt, lætitiáque fremunt.
Exultant animis, lacrymæ teſtantur amorem,
Aſpiciendo oculos haud ſatiare queunt.
Hinc hilares hilari dominum clamore ſalutant,
Déque pio pius hic profluit ore ſonus.
Vt te nate deo tot iam labentibus annis
Præſentem coram conſpicere vſq; iuuat?
Cælicolûm decus, haud ſanè nos longa feſellit
Spes, nec vana fides. Vt modo gratus ades?

Quas non ærumnas, quæ non tormenta ſubiſti?
Tantáne te pietas, tantus adegit amor?
Nóſne igitur tua per ſeruamur vulnera Chriſte?
Nóſne igitur mundat ſanguinis vnda tui?
Haud tanti fuit vlla ſalus: tua feruida virtus
Hæc fuit, hæc fecit, te bone Chriſte mori.
O lux, ô cæli, terraq́ optata voluptas,
O noſtrum clemens commiſerate genus.
Nos patris æterni iuſtas incendimus iras,
Tu commiſſa tamen noſtra cruore pias.
Poſt illà tetro procedunt carcere manes,
Vindicis vnigenæ pone gradusq́ legunt.
Fælices iam mortali ſine corpore vitæ,
Iam puri macula, iam ſine labe nitent.
Primus it ante omnes genus à quo principe noſtrum,
Cui primæua parens ad latus ibat ouans.
Hinc atq́ hinc vates glomeratim ritè ſequuntur,
Succedit ſtudio cætera turba pari.
Indoluere cauis quos ſub fornacibus ignes
Perpetuo miſeros, & ſine fine coquunt.
Præcipuè ingemuit Rex illætabilis Orci:
Quem ſolito arripuit triſtior inuidia.
Illi autem ad ſuperas ibant fæliciter oras,
Cantantes Regi carmina læta ſuo.
Tertia lux aderat, poſtquam data membra ſepulchro,
Lux erat, ante omnès commemoranda dies.
Vita redit, redeunt lethata in corpora ſenſus,
(Mirandum) clauſis exit & è tumulis.

Quod

Quod modo corpus erat ſubiectum mille periclis,
Caſibus, & mortis conditione vacat.
Vt ſol auricomus cum primùm mane recentes
Iungit equos, mundo lumina grata vehens:
Sic rutilant artus, tali ſtant luce coruſci,
Candida cynnameus membraq́ue ditat odor.
Et tepidas volucres mulcent concentibus auras,
Spirat odoratis terra benigna comis.
Gramine florigero ver campos ornat apertos,
Lactea purpureis lilia mixta roſis.
Exiliunt valles, monteſq́ue & culmina gaudent,
Per nemus vmbriferum nunc philomela canit.
Populeis veniunt turgentia germina ſyluis,
Calloſi certant cantibus agricolæ.
Omnia tutä, ſilent iam nunc Eurusq́ue, Notusq́ue,
Mitibus & Zephyris florida rura tepent.
Ridet & ipſe polus, non ſæuit aquaticus Auſter,
Oceanus tumidas iamq́ue coërcet aquas.

De cauſſis inſtitutæ Euchariſtiæ.

ELEGIA XIII.

Nomine quæ Graio priſcis Eccleſia dicta eſt,
Hanc ſibi deſpondit filius ipſe Dei:
Quam deinde vt maculis purgauit ſanguine fuſo,
Hocce ſui duxit linquere mnemoſynon.
Et ſic reſtituit ſe in cæli ampliſſima templa,
Vt tamen à ſponſa nollet abire ſua.

Totus

Totus diſceſſit, totus (mirabile) manſit:
Illic viuus adeſt, hic quoq; viuus adeſt.
Abſentem haud igitur deſiderat illa maritum,
Quem potis eſt intra corpus habere ſuum.
Nos artus itidem, nos omnes myſtica membra,
Nos vnum corpus, Chriſtus at ipſe caput.
Hinc, alia licet effigie, & ſub ſchemate vili,
Cum membris ſanctum vult habitare caput.
Vult etiam Chriſtus nos hac ratione monere,
Quæ noſtri cauſſa ſecerit, ac tulerit:
Vt quoties ſacram puris cum mentibus eſcam
Mandimus, hæc pio corde loquamur ei.
Tune Deo genitus, diuûmq; hominumq; repertor,
Me ſtipulæ ſimilem ſpernere poſſe negas?
Vſque adeóne tuum potuit manſueſcere pectus,
Vt tibi luctantem diligere haud fugeres?
Tu me finxiſti delicti crimine purum,
Aſt ego peccatis me male perdideram.
Motus ſorte mea fælices ætheris oras
Linquis, & amiſſas tu mihi reddis opes.
Cur age, cur tantos toleraſti ſponte labores,
Ac ſine me miſero viuere ſi nequeas?
Lumina cur video miſero ſtillantia fletu;
Compungit rigidum cur diadema caput?
Liuidus eſt vultus crudeli carptus ab vngue,
Sanguinei rores leuia colla rigant.
Cerno pedes, cernoq; manus in ſtipite fixas,
Perfoſſum à diro milite cerno latus.

Quin ego nil aliud tueor niſi vulnus biulcum.
Pro me tot poteras quî ſubiiſſe neces?
Nil deſignâras, fraus omnis me penes vnum,
Me me fas mortem, ſuppliciumq́ pati.
Haud patior quidquam: immo etiam me paſcere pergis,
Te mihi das potum, te mihi das epulum.
Mancipium ingratum meritis me pluribus orna,
Si poſtquam dederis te, dare plura potes.
Non habeo id dubium, monitis ſi aduerteret aures,
Quæ ſolet ad tantas turba venire dapes,
Gaudia quin imis ſentiret læta medullis,
Nec rarò ſalſus tingeret ora liquor.
Ignibus arderent hominum frigentia corda,
Nec poſſet quiſquam non redamare Deum,
Illius aßiduò ſecum tormenta volutans,
Quæ noſtri quondam victus amore tulit.
Quid memorem morbos, animarum & mille pericla,
Terrigenûm quibus, heu, ſubiacet omne genus?
Vna ſalus, nullam niſi ab hoc ſperare ſalutem,
Conciliat ſtabilem pharmacon iſtud opem.
Ocyus & vitium tota de mente fugabit,
Virtutem, & vires inſeret ingenuas.
Sic ergo ægrotis medicus proſpexit, vt ipſe,
Ipſe ægris, inquam, ſit medicina ſuis.
Pro noxis ſuper hac fas eſt placare Tonantem.
(Heu pridem noxis libera facta via eſt.)
Atqui nec vitulus, nec opimior hoſtia taurus
Ter magno eſt vnquam ſic placitura Deo,

Vnicus vt, peregrino etiam velamine cinctus,
Leniet hac illum victima nulla magis.
Tunc ſummus veteres pater obliuiſcitur iras,
Tela cadunt valida proiicienda manu.
Inq́ reos animum ſumit per cuncta benignum,
Delet & ex animo noſtra piacla ſuo.
Innocuum hîc myſtes altaribus immolat agnum,
Agnum qui mundi facta nefanda luit.
In quo concurrunt anima, & caro, & omnia vincens,
Qui non terrarum clauditur orbe, Deus.
Hoſtia, crede mihi, non hac præſtantior extat,
Ipſe deo deus hîc ſacrificatur enim.
Aligeri feſtum cingunt altare manipli,
Rectoriq́ ſuo carmina ſacra canunt.
Vertice ſummiſſo pars implet herilia iuſſa,
Pars celebrant ludos, pars agitant choreas.
Et nos teſtantur nimio plus eſſe beatos,
Queis data ter ſancti copia tanta cibi.
Quocirca ruere in faciem, & contundere pectus,
Suppliciter Regi tendere deinde manus
Chriſticolas deceat, cum myſtica ſacra frequentant,
Quando ipſos ſpectant vndique cælicolæ.
Alternatim hodie narratur fabula in aurem,
Sacro, & ſacrificis nullus habetur honos.
O mores mores, ô perdita ſæcula, quonam
Cum priſca cecidit relligione pudor?
At tu plebs dilecta deo reuerenter adora,
Quem ſcis hac modica fruge ſolere tegi.

Nec latum digitum te abducat perfidus error,
Sit poſtrema fides quæ tibi prima fuit.
Sternere humi pauitans, nec inania concipe vota,
Peccatis veniam quam dabit ille, roga,
Teq́; inuitantem noli contemnere IESVM,
Quæq́; offert gratis dona beata cape.
Deliciis gaudens animum cœleſtibus auge,
Et fac his dapibus ne ſatur eſſe velis.
Ediſti crebrò? ſuperas ede crebrius eſcas,
Euades propior ſic propiorq́; Deo.
Non tu ipſam mutas in te, mutaris in illum
Tu potius. Quanti hæc ſunt facienda putas?
Hinc vbi ſupremum limen iam preſſeris æui,
Cum fuerit vitæ fabula & acta tuæ,
Hoc, ſed longè alia ſpecie, ſaturabere paſtu,
Aſpicies ipſum quando perennè DEVM.

Cauſſæ, panis & vini ſpecies, nobilitas, adumbrationes, &c.

ELEGIA XIV.

OMnipotens poſtquam ſublimi allapſus Olympo
Eſt de diuipara virgine cretus homo,
Ipſe ſibi cœtus coniunxit amore fideles,
Atque anima poſita crimina noſtra luit.
Sed rediuiuus enim patrias abiturus ad oras,
Ius dare cælicolis, ius dare terricolis,

Deſerere haud voluit caſtam ſine pignore ſponſam,
Eſſet vt amiſſo ſola marita viro.
Inſuper vt magni bene narrat epiſtola Pauli:
Nos vnum corpus,nos quoq; membra ſumus.
Huius cælipotens caput eſt venerabile Chriſtus,
Membra igitur non vult deſtituiſſe caput.
Ille idem poſtquam mortem moriendo peremit,
Diſcipulis pauidis talia dicta dedit.
Vobiſcum,inquit,ero donec conſidat in ignes
Mundus,& interitu concidat ipſe ſuo.
Tum ſua quò noſtris eſſent deſcripta medullis
Tormenta, heu nullo non memoranda die,
Hoc ceu mnemoſynon dulcis relliquit amator,
Hacce monet meriti nos ratione ſui.
Hoc quoties facitis, mea facta reuoluite dixit,
Vltima cum Solymis cœna peracta fuit.
Ergo vbi nos dapibus luſtrati accingimus iſtis,
Mors domini mentes ingrediare pias.
O ſuaues epulas,alimentáque ditia donis,
In quibus hauritur, percipiturq; Deus.
Dira reuoluuntur necis argumenta nefanda,
Spondeturq; ſacro pignore certa ſalus.
Atq; ita ſpiritibus ſors noſtra æquata ſupernis,
Cum datur idem homini, cælitibusq; cibus.
At cur ſe inſtituit peregrina operire figura?
Oro quid hîc faciat Liber, & alma Ceres?
Scilicet vt reficit latrantia viſcera panis,
Suſtentat, vegetat, corpora viuificat:

Vtq; ſolet tumidas Bacchus contendere venas,
Vtq; dat infuſum gaudia blanda merum:
Sic ſua nos firmos reddit caro: ſic ſuus ille
Immensùm exhilarat pectora noſtra cruor.
Cui non horrori carnes abſumere crudas?
Sanguinis & quiſnam pocula dira bibat?
Quin etiam vt fidei maneant ſua præmia ſanctæ.
Si teſtes oculi, quid facit, oro, fides?
Nil dubita, nam vera fero: ſacratius vno hoc
Non mare, non cælum, non etiam orbis habet.
Ecce ſub hoc cruſto tegitur, mirabile dictu,
Atque anima, atque ipſa cum deitate caro.
Corpus ab intacta genitum iuuenile puella,
Quale æſtu feruens India mittit ebur.
Porrò animus numeros in ſe complectitur omnes,
Prouidus, & ſapiens, caſtus, & innocuus.
Quà deus eſt, quæ non cedit præſtantia Chriſto?
Aut quid eo maius mens capere vlla poteſt?
Hem ſtupeo, fragileſq; labant ſub pondere ſenſus,
Præſtinguunt aciem lumina clara meam.
Guſtus, odoratus fallunt, oculiq;, manusq;:
Decipitur quiuſquis hæc putat eſſe deo.
Non quod odoraris, guſtas, tangisq;, videsq;,
Non hoc eſt Chriſtus, res mage tecta latet.
In toto eſt totus, partes ſe fundit in omnes,
Et quanquam minimo fragmine totus adeſt.
Præterea color albus, odor, ſimul ipſa figura
Nulli hærent, quod non percipit ipſe Sophus.

Grata immortali ſunt hæc holocauſta parenti,
In queîs ſe natus concremat ipſe patri.
Melchiſedech panes,& vina liquentia ſacris
Obtulit,& moriens Chriſtus vtrunq; dedit.
E ſuperis quondam pluit admirabile manna:
Aſt modo Chriſticolis nobile manna pluit.
Iſacidæ purum comedebant Paſchatis agnum,
Hic agnus,quo non purior alter erit.
Quem circum altgeri denſo ſtant agmine fratres,
Atque obeunt celeri iuſſa ſacrata pede.
Hinc latè effuſis emanant curſibus amnes,
Vtq; Tagus gemmas munera magna vehunt.
Sed cum tam mitis, cum ſit tam dulcis IESVS,
Quam nequeat verbis lingua diſerta loqui,
Cur non perpetuò cæleſti nectare mentes
Perluit,ad menſam hanc dum properamus ei?
Sæpe etenim mœſtos iterum diſcedere vidi,
Ægraq; compreſſos pectora triſtitia.
Non habet anguſtas diuina potentia metas,
Certa nec æternum lex tenet vlla Deum.
Si te blandus alit, ſi dat ſolatia, gaude;
Si te vult triſtem linquere, triſtis abi.
Sunt etiam tardo quidam molimine pigri,
Nec tales curant carpere lætitias.
Gloria Chriſte tibi,qui nos reficiſq; foueſq;,
Tamq; benignus alis,gloria Chriſte tibi.
Chriſte tuum vigeat ventura in ſæcula nomen,
Et tibi ſacra ferat credula poſteritas.

Te fama extollant ſeri ſuper aſtra nepotes,
Sit laus, cultus, honos tempus in omne tibi.

Præparatio ad Euchariſtiam ineundam.

Elegia XV.

INprimis vanum ſcrutando mitte laborem,
Oréque nil domini verius eſſe puta.
Neu titubes, licet aſpectabis adorea liba,
Forma nihil turbet, nil moueatq; color.
Quod iacet ante pedes nondum comprendere poßis,
Et fore aperta ſtatim myſtica ſacra putas?
Haud ſanè quenquam Chriſti ſapientia fallit:
Se fallit, quiſquis credere tardus erit.
Poſt ea ſecretos animi peruade receſſus,
Crimináque ante oculos acta reduce tuos.
Ac tibi tum mœſtos humectent flumina vultus,
Cumq; pio gemitu funde pias lacrymas.
Teq; hinc expediat vinclis pro more ſacerdos,
Poſtmodo ſupplicium tu dabis ipſe Deo.
Verùm aliud facimus. Quam ſegnis inertia noſtra?
Ecquem admiſſorum pœnitet ex animo?
Illotis manibus ſanctam volitamus ad aram,
Obſcœnoq; ſacrum tangimus ore cibum.
Diuinos etiam ſuaue eſt ſentire lepores,
Cum mens incenſa relligione viget.
Sed nullus quamuis teneat præcordia ſenſus,
Aridáque haud vllis corda rigentur aquis:

Non tamen hocce minus conuiuia ſancta require,
Quid velit, hoc ſpecta, quid iubeátque deus.
Scilicet illius ſemper ſit gloria cordi,
Quæratur totis viribus eius honor.
Quem propagari certum eſt, dum mente fideli
Libamus ſanctam, iuſſit vt ipſe, dapem.
Interea Chriſto corpusq́, animamq́ ſacrare
Eſt in rem, ſummo tradere ſeq́ Deo.
Hinc vbi iam te humilis ſancta proſtraueris ara,
Hoc poteris Chriſto blanditer ore loqui.
O bonitas, ô iuſtitia, ô ſapientia Chriſte,
Æquæuum genuit quem ſibi mente pater.
Tu mundi ſolus ſortem miſeratus acerbam,
Dignatus celerem es ferre benignus opem.
Virgineóque vtero latuiſti paruulus infans,
Et nobis ſimili corpore natus homo es.
Sanguineumq́ latus ferro traiectus acuto,
Suffixusq́ tribus arbore cuſpidibus,
Deleſti immeritus ſceleris contagia noſtri,
Rurſus vt antiquas conſequeremur opes.
Quod ſum, quod valeo, totum mitiſſime IESV,
Corpus & ipſam animam tu cape, ſacro tibi.
Frigida mors donec nexos mihi ſoluerit artus,
Defectusq́ annis in loca iuſſa ferar,
Omnia noſtra tuo parebunt ſemper amori,
Te ſolum ex imo pectore Chriſte colam.
Te propter duros opto exhaurire labores,
Sæpius & propter te mihi dulce mori.

Accipe

Accipe me, nec enim poſthac meus eſſe ſtudebo:
Incipiam eſſe meus, ſi potero eſſe tuus.
Nec quidquam eſt modò quod tantis feruoribus optem,
Quam cœleſti epulo pellere ſæpe famem.
Nam ſi hæc ſacra meis ſpondent medicamina morbis,
Ah tam præſentem cur fugiam æger opem?
Sic Chriſtus lux eſt, tenebras quid amemus inertes?
Si vita eſt, nobis vita ſit ipſe licet.
Heu vanas hominum mentes, heu pectora cæca,
Cur adeo pauci munera tanta petunt?
Quod datur hîc, deus eſt: pretium non flagitat vllum,
Muneris eſt huius ſola fides pretium.
Penſandum rurſus qualis ſit, quantus & ille,
Qui cupit hoſpitij tecta ſubire tui.
Tum quoq; conditio quæ ſit mortalibus, & queîs
Moribus ornatus diſcubiturus eas.
Ille immortalis ſumma cum pace quieſcit;
Mortales miſeros aſpera fata premunt.
Per cunctas rerum naturas permeat ille,
Ille replet terras, replet & ille polum:
Nos vt beſtiolæ tectorum limine ſepti
Claudimur, & mundi pars niſi parua ſumus.
Haud eget, argentum, & fuluum qui condidit aurum,
Cuius & eſt totum quidquid hic orbis habet.
Eſt bonus, & ſapiens, iuſtus, ſanctiſſimus idem,
Cunctipotens, omnis principiiq; caput.
Illius properant volucres ad iuſſa miniſtri,
Continet immenſi quos domus alta poli.

Nos heu cœnoſo vitiorum gurgite merſi,
Vix ah, vix vnquam ſidera ſuſpicimus.
Diffluimus luxu, atq; ardore perimus habendi,
Nulla flagrat noſtro pectore relligio.
Rebus in aduerſis ſpes omnis victa labaſcit,
In ſuperis veluti numina nulla forent.
Fallimus, inq; vicem iuramus, ludimus, amplas
Ducimus & pateras, & niſi verba damus.
Inuidia, atq; odiis quoties certamen inimus?
Peccamus variis prô ſine fine modis.
His poterit meritò reuerentia caſta moueri,
Atque timor, quoties hocce fruêre cibo.
Quod ſupereſt, manibus puris, & pectore puro,
Diuinis epulis accubuiſſe para.
Praterea fac ſis cultuq; & corpore mundus,
Namq; iſtas epulas ſordidum inire nefas.
Tu ne quare tamen Phrygio velamina textu,
Neu micet vt niueis annulus in digitis.
Neu rediens vt deinde bibas è diuite gemma,
Neu ſit regificis menſa onerata cibis.
Haud iſthæc optat Chriſtus, non talia curat,
Quem mage delectat candida ſimplicitas,
Et cupiens animus diuina faceſſere iuſſa,
Et ſcelerum curuas currere nolle vias.
Hoc quiſquis cultu menſas inſtructus adibit,
In tacito referet gaudia multa ſinu.

Effectus Syntaxeos.

Elegia XVI.

QVæritis hæc quoſnam progignant pabula fructus?
Diſcite, diuinum eſt quod cibus iſte facit.
Me breue deficiat conantem dicere tempus,
Sed facili rerum carmine ſumma ſequar.
Qui me, Chriſtus ait, caſto libauerit ore,
Huic ego iunctus ero, iunctus & ille mihi.
Fit velut vna caro, velut vnus deniq; ſanguis,
Ac prope cælicolis æquiparatur homo.
Hæc vitam nimirum animis alimenta reducunt,
Ferre vllam mortem tam bona vita nequit.
Excita mens vigilat letalem exoſa ſoporem,
Perditaq́; inſtaurat, officiumq́; facit.
Hic etiam paſtus leuiora piacula tollit,
Pectoris & noxas viuus vt ignis edit.
Cor quoq; pacificum, & tranquilla ſilentia præſtat,
Edomat affectus, edomitosq́; fugat.
Curarum mulcet fluctus, atq; increpat Euros,
Componens tumido murmura rauca mari.
Ah quoties totis regnat Venus improba membris?
Idalius quoties occupat oſſa calor?
Grandia quæruntur raræ ſpectacula formæ,
Pelliciunt oculi, pelliciuntq́; comæ.
Flammatas quoties mentem laxamus in iras,
Terribiliq́; truces promimus ore minas?

Atq;

Atq; aliâs triſtis vaſtat præcordia liuor,
 Alterius grauiter proſperitate dolens.
Interdum ſcelerata fames nos corripit auri,
 Plenáque quem colimus poßidet arca deum.
Sæpe ſubit noſtrum tumefacta ſuperbia pectus,
 Vt ſe iam numen quilibet eſſe putet.
Et ſunt qui dapibus ſoliti diſtendere corpus
 Exoptant fieri ſe Palamedis aues.
Hinc tam multigenæ veniunt medicamina peſti,
 Hinc medicinam, hinc hinc flagitet æger opem.
Aßiduum ancipiti gerimus certamine bellum,
 A fronte, à tergo letifer hoſtis adeſt.
Exutos caſtris dare nos vult cogere terga,
 Funditus aut ſæuo perdere Marte cupit.
Hic cibus eſt vallum, hæc ſunt propugnacula noſtra,
 His epulis alitus nulla pericla timet.
Hoſtica tela volent inſano denſius imbri,
 Si libet, in me vnum millia dena ruant,
Certa mihi pulchram ſpondet victoria laudem,
 Athletæ arma ſuo ſuppeditante deo.
Delector ſtolidas riſu mactare cateruas,
 Me contra imbellis cum furor arma mouet.
Vincimus, & reduces ſpoliis lætamur onuſti,
 Cum infandus dæmon fractus acerba gemit.
Oderunt malè vel minimas conſciſcere culpas,
 Quos toties proprio corpore Chriſtus alit.
Intrepidi prorſus ſe accingere fortibus auſis,
 Pectora tot monſtris obuia ferre ſolent.

Extre-

Extremum eſt illis torpens ignauia crimen,
Fortia magnanimi corda leonis habent.
Conuiuasq́ ſuos ſemper plus ardet amando
Chriſtus,& eſt donis largior vſque ſuis.
Hinc omnis placido floreſcit germine virtus,
Recreat illa homines,recreat illa deum.
Quam bellè in duris creſcit patientia rebus?
Creſcit & in maius candida virginitas.
Mite gerunt pectus, nihil eſt manſuetius illis,
Semper & eximius corda perurit amor.
Semper & expetitur votis ardentibus æther,
Vita hæc quam viuunt eſt odioſa nimis.
O cur nos vmbras fatui ſectamur inanes?
In mediis epulis cur morimurq́ fame?
Aduocat en Chriſtus, lautis conuiuia menſis
Inſtruit,egregias apparat ipſe dapes.
Nos tamen immemores,lapidum nos dura propago
Neſcio quas menſas,quos petimúſque cibos.
Vnica ſi forte vrbs cæleſtem hanc venderet eſcam,
Mortales omnes quo ſtudio hanc peterent?
Dent nummos tenues, dent plura talenta beati:
Fœlix mercator quilibet eſſe volet.
Ecce tibi innumeræ poſſunt numerarier vrbes,
Per quas hæc vltrò menſa parata tibi eſt.
O ſapor,ô dulcedo,bonis ô chara voluptas,
Potus hic vt ſuauis, ſuauis vt iſte cibus?
O panis toties multis à millibus eſus,
O nimium diſtans panis ab interitu.

Quem

Quem chorus angelicus, totus quem mundus adorat,
Quem eſuriunt Reges, quem eſuriunt populi.
Me refice indignum, quia te modo concupit vnum
Mens mea, tu ſolus me ſaturare potes.
Quem quoties capio, diſcedo à ſenſibus iſtis,
Quæq; ab amore venit, me rapit ebrietas.
Te totum mihi des ô mellitiſſime panis,
Te mihi da totum ter venerande cruor.
Lætitia emorior quando hæc mihi pabula carpo:
Quando his abſtineo, mœſtitia emorior.

Admiratio, & inuitatio ad Euchariſtiam.

ELEGIA XVII.

O Requies, lux, vita, ſalus, ſpes, anchora, portus,
O decus, ô pietas, vis, via, numen, amor.
Principium de principio, de fineq; finis,
Temporis ante vices, luciferumq; ſate.
Quem pater altitonans ſuum & immemorabile verbum
Progenitum, ſceptri fecit honore parem.
Ante æuum deus, ante noua primordia lucis,
Ante diem fælix, ante creata potens.
Chriſte bone, æterno ſoboles æquæua parenti,
Omnia, cui dictum eſt, me pete, nate, dabo.
Quem colit ampliuago tellus circundata ponto,
Quem polus, & pelagus, tartara & ipſa colunt.
Quis te tantus amor, quæ te tam feruida virtus
Ad nos aſtrigeris ſedibus elicuit?

Iuſſit

Iuſſit & humana ſub imagine viſere terras,
Et ſub virgineo delituiſſe ſinu?
Quem non magnorum capiunt penetralia Regum,
Non domus, aut ſpatium, non maris vnda capit.
Tete ipſum, ô bonitas, paruos conſtringis in artus,
Humanasq́ libens vis tolerare vices:
Vt nobis aperire queas cæleſtia rurſum
Templa, atq; offenſo conciliare deo.
Tantáne te pietas, & amor dulciſſime IESV
Impulit, vt cuperes hoc ſubiiſſe iugum?
Te quoq; fama canit Galilæas iſſe per oras,
Et dictis hominum pectora mota tuis.
Te reuocaſſe aiunt in fœda cadauera vitas,
Et ſermone homines erudiiſſe ſacro.
Hoc erat, hoc vnum votis tibi ſæpe cupitum,
Subiiceres facibus barbara corda nouis.
Quin & ſupplicium, & pœnas expertus acerbas,
Dum moreris, mortem conficis ipſe meam.
Ante tamen quam te ad fatum fers ipſe volentem,
Rem inſuetam, inſolitam, mirificamq́ patras.
Bis ſex cum ſociis veterum pro more parentum
Accumbens, poſitas accipis ore dapes.
Poſtquam epulis depulſa fames, atq; ardor edendi
Compreſſus, poſtquam eſt & releuata ſitis,
Ecce nouas inſers diuini corporis eſcas,
Vertitur in te ipſum (prô ſtupor) ipſa Ceres:
Nec ſatis id, patera propriị das ſanguinis hauſtus,
Hæc eadem vt faciant ſæcla futura monens.

Atq;

Atque ita das certum ſinceri pignus amoris,
Quo chara eſſe queant pignora nulla magis.
O ſpes, ô pietas, mœſtorum ô dulce leuamen,
Impius hæc quando promeruiſſet homo?
Vſqueadeò ne mea tetigit te cura ſalutis,
Vt me cælo abiens linquere nolueris?
O factum, ô nullis factum delebile ſæclis,
O ingens bonitas, ô mihi dulcis amor.
Ingrediar quo Chriſte tuas quo carmine laudes?
Anne vnquam tribui laus tibi iuſta queat?
Magnum erat æthereis delabi ſedibus vltro:
Maius at imperium nullum habuiſſe fuit.
Magnum erat ærumnis cumulatam ducere vitam:
Supplicia at maius tanta ſubire fuit.
Magnum erat & vinclis ſceleratum exſoluere ſeruum,
Et patrium exulibus ſic reſerare polum:
Verùm iſtud maius, quod te nos mandimus ipſum,
Quo nil maius habent ſidera, terra, fretum.
Nunc ô mortales cœtum celebrate frequentes,
Et cupidi ſacros appetitote cibos.
Quid dubitatis adhuc? quæ vos tam ſera moratur
Segnities animi? diſcutitote metus.
Ne trepidate viri, miſerebitur ipſe precantum:
Illum etiam ſceleris corda peroſa mouent.
En deus ipſus adeſt, feſtas inſpergite frondes,
Currite mortales, en deus ipſus adeſt.
Ite pij, veniamq; ſiniſtris poſcite factis,
Et tandem cælis erigitote caput.

ELEGIARVM LIBER SECVNDVS.

In diuam Catharinam.

Elegia I.

DE tam præclara quid narrem virgine primùm?
  Quid medium verſu? quæ mihi finis erit?
Hæret vt interdum confuſa mente viator,
  Ignarus triuio quò via quæque ferat:
Sic me nunc anceps varium ſententia reddit,
  Atque ipſis opibus (res noua) reddor inops.
Forte genus clarum, titulos, ac nomina quæris,
  Certè equidem titulis haud Catharina vacat.
Quid? vis commemorem præcelſæ ſtirpis honorem?
  Víſne canam longæ nobilitatis auos?
Rex illi pater eſt: quid maius regibus vſquam?
  Stemmate quo tandem clarior eſſe queat?
Quæ ſimulac cæli hòc hauſit ſpirabile lumen,
  Et grauidæ matris prodiit ex vtero,
Sacra facit genitor, crebras cadit hoſtia ad aras,
  Colla ſaginati dant ferienda boues.
Sparguntur flores, collucent compita lychnis,
  Vndique lætitiæ ſunt monimenta nouæ.

Forſitan & nullo vis obſita corpora naeuo,
Et faciem quæ ſit virgine digna rogas.
Et Catharina fuit præſtanti corpore virgo,
Parq́ illi fama nulla reperta fuit.
Sidereos quanto præcedit Lucifer ignes,
Luciferum quanto roſida luna præit:
Et quanto lunam radiorum lumine Phœbus,
Phœbus ſtellarum gloria, mundi oculus.
Iſiacis tanto formoſior illa puellis:
Concelebrat quales fabula priſca deas.
In niueo candore rubor, ceu lilia ſi quis
Candida purpureis miſceat vſque roſis.
Tales ore dabat virgo pudibunda colores,
Hoc illi afflârat nam Deus ipſe decus.
Quid referam ingeniumq́ ſagax, animumq́ volucrem,
Quídue artes docti pectoris enumerem?
Ad ſacra Muſarum viridi properauit ab æuo,
Prima ætas ſtudiis perq́ polita fuit.
Et ſic omnigenûm perarata volumina rerum
Legit, & argutos perſtudioſa libros,
Vt ſecura ſuis poſſet certare magiſtris,
Ac populi iam tunc eſſet in ore frequens.
Legerat hæc quicquid tactus cæleſtibus auris
Edidit Iliacæ conditor hiſtoriæ.
Quidquid & Heſiodus, & cætera turba poëtæ,
Perceptum huic mira ſedulitate fuit.
Nouerat eximiè Demoſthenis ora tonantis,
Per ſe etiam dulci mel dabat eloquio.

Te quoq; die Plato perfectum nôrat ad vnguem,
In cute ſubtilem nôrat Ariſtotelem.
Magna quidem ſunt hæc decorum argumenta tuorum,
Ter maiora tamen ſunt Catharina tibi.
Te celebrat ſanguis, celebrat regalis origo,
Forma decens, artes pectoris ingenui,
Diuitiæ, ſceptrumq; potens, & fama ſuperſtes,
Ipſa magis virtus te tua concelebrat.
Cui non, nympha, tui pars eſt audita laboris?
Bella peracta tibi quémue latere queunt?
Abs te crudelis fælici Marte tyrannus
Sternitur, & victum ſe dolet, atque gemit.
Dentatas parat ille rotas mucrone nefando,
Sed mucro nil potuit, nil potuêre rotæ.
Diſſipat æthereus pater altas fulmine moles,
Et ſubit auxiliis en Catharina tuis.
Hinc amens Cæſar crudelem cogitat enſem,
Virginis extemplo colla ſecare iubet.
Tum trepidæ matres lachrymis miſerantur obortis
Inſontem penitus, non meritamq; necem.
Flent nitidos oculos, & lætum frontis honorem,
Ambroſiasq; comas, ambroſiumq; caput.
Illa nihil mœrens ceruicem læta tetendit,
Edidit & tales occubitura ſonos.
Chriſte ſalus hominum, ſpes ô fidiſſima Chriſte,
Numina, nunc audi, ſi tua ritè colo.
Dulce mihi pro te duros haurire labores,
Dulce mihi pro te fundere nunc animam.

Hanc precor in ſuperas ne ſperne admittere ſedes,
Viuere me tecum perpetuoq́ſine:
Fortunata, Deo nimium dilecta puella,
Sic morere, hac mors eſt vita putanda magis.
Non tua mortales clauſerunt membra ſepulcro,
Cæleſtes ipſi corpora dant tumulo.
Et florum inuoluunt nimboq́, & ſindone munda.
Atque appoſita notant carmine ſaxa pio.
Quæ potuit tempſiſſe rotas, enſesq́ tyranni,
Regia progenies conditur hoc tumulo.
Fortunata nimis, cælo ſublimis ab alto
Sub pedibus nubes lucida & aſtra vides.
Dum diuûm regina ſacris comitata cateruis
Incedens mediis millibus vna micat:
Tu Catharina hæres lateri glomerata fideli,
Et tecum curas diuidit illa ſuas.
Nox erit ante dies, & lux imitabitur vmbras,
Deſtituent volucres aëra, piſcis aquas,
Aſtra prius fruges, dabit aurea ſydera tellus,
Incipietq́ prius frigidus eſſe calor,
Quam nos virgo tuî capiant obliuia, quam nos
Vnquam pæniteat commeminiſſe tui.

Dolo-

Dolorem, & amorem à Chriſto flagitat.

ELEGIA II.

CHriſte precor noſtris attende precatibus aures,
Neu tibi quæ faciam temnere vota velis.
Non ego quas rutilus voluit Pactolus arenas,
Quæúe in Erythræo littore concha iacet,
Non mî diuitias poſco, non ſector honores,
Deſpicio quidquid veſper, & ortus habent:
Spernimus Arabiæ ſegetes, Scythicosq́ſmaragdos,
Non auri immenſus pectore creſcit amor.
Illa paret ſtolidum magno conamine vulgus,
Cura meos animos detinet alta magis.
Principio indoluiſſe meo da Chriſte reatu,
Da tepido culpas rore piare meas.
Et memini, & ſemper memini mea turpia facta,
Quorum me ſubeat fac pie Chriſte dolor.
Cumq́ ſuprema mihi ſurget Tithonia coniunx,
Morsq́ aderit fuſcis cincta caput nebulis,
Et ſæua in longam claudet mea lumina noctem,
Percutiant animum tot malè geſta meum.
Tum conſpergantur lacrymis lugentibus ora,
Irriguasq́ lauent flumina ſalſa genas,
Anxia cum querulo geminem ſuſpiria cantu,
Pectora ſit crebra plangere nuda manu,
Hic olim ô vtinam miſerum me proluat imber,
Hac ô ſi maculas diluat vnda meas.

Interea penito IESV *configar amore,*
Et viuum in medio pectore vulnus alam.
Cælitus vramur, flammas & alamus amoris,
Oſſa mea, & venas implicet ille meas.
Hæreat hac imis cura indeleta medullis,
Quînam pro meritis te redamare queam.
Non me vlli valeant abs te diſiungere caſus,
Quamquam etiam rupto fœdere cuncta ruant.
Me nulli poſſint, ſaxis, mutare labores,
Preſſero ſiue ſolum, ſeu premar ipſe ſolo.
Quàm requieſcetis mea tunc feliciter oſſa,
Aurea cælorum mens vbi templa petet?
Quam tute occurſans, ſtringes complexibus arctis:
Incolet illa tuos ſæculum in omne ſinus.

Ad Deum ſuper nauali victoria Chriſtianorum de Turcis, apud Echinadas.

ELEGIA III.

QVas tibi pro tanto ſoluemus munere grates,
Quæ te lingua Deus ſit memorare potis?
Sæpe vbi te ſceleris noſtri contagia cogunt,
Deiicis irata flammea tela manu.
Aſt iterum ceu blanda parens, genitorq́ue fidelis,
Diluis offenſas, triſtitiamq́ue leuas.
Horribilesq́ue domas aduerſo Marte tyrannos,
Subiicis & rigidos ſub iuga noſtra duces.

Odiſti

Odiſti faſtuſq́ue truces, menteſq́ue ſuperbas
Conterere, & regno deſpoliare ſoles.
Iam nuper numenq́ue tuum, tua verbera ſenſit,
Qui nos, & noſtras perdere tentat opes.
Audiat hæc tellus, maria omnia, nubila cæli,
Quæ fero mortales accipitote, precor,
Seu vos prima videt roſeo Pallantias ore,
Seu videt occiduas ſol aditurus aquas.
Seu magis æquoreas curua trabe curritis vndas,
Seu vos ſub medio percoquit axe dies.
Quæ non præteriti cognouit temporis ætas,
Audite ô populi, fortia geſta canam.
Auguſtum, inſignem celebret vox læta triumphum,
Dicite nunc ter iô, diſperiêre rates.
Dicite, cælicolûm domino modulemur honorem,
Dicite, quis ſimilis ſit pater alme tibi?
Iam te prona colat cunctarum machina rerum,
Congeminent laudes terra, mare, aſtra tuas.
October grauidas demebat vitibus vuas,
Implebantq́ue ſuos feruida muſta lacus.
Cum Mahometigenas præceps audacia Turcas
Compulit in medio bella ciere ſalo.
Polluit hæc vano tua Chriſte ſacraria ritu,
Viribus, & pharetris gens malè fiſa ſuis.
Illa (nefas dictu) Solymæas poßidet arces,
Regnáque noſtra palam ſub ditione premit.
Tercentum Selymus conſcendit nauibus æquor,
Exitium minitans, exitiumq́ue ferens.

Spirabat rapidos lymphata mente furores,
Chriſtiadûm exacuens tela cruenta neci.
Interea PIVS *ille hominum cuſtosq́, paterq́,*
Tergeminum cingit cui diadema caput,
Hic Venetosq́ Patres, regnatoremq́ Philippum
Fœdera componens adſocia arma vocat.
Tres Othomanigenam collatis viribus hoſtem,
Coniunctisq́ animis per vada ſalſa petunt.
Auſtriadæ iuueni rerum commiſſa poteſtas,
Huncce penes belli gloria ſumma fuit.
Ceu quondam Danais nocuit Priameius heros,
Ceu contra Æacides Dardanidis nocuit:
Sic ſic Auſtriacus Turcis immanibus heros,
Sic nocuit, noceat bellipotente manu.
Poſtquam in conſpectu hoſtiles videre carinas,
Auſtriades ſocios mox capere arma monet.
Iam tum ſanguineum quatiens Bellona flagellum,
Ad diras cædes concita munit iter.
Inuadunt Martem, & diris ſtant agmina telis,
Hinc bellatrices conſeruêre manus.
Fit ſtrepitus, clanguntq́ tubæ, certatq́ viro vir,
Quæritur æternum parte ab vtraque decus.
Euolat ambiguis primùm victoria pennis,
Aſt ſubitò in noſtras fertur amica rates.
Inde cadunt hoſtes animasq́, aurasq́ vomentes
Ætherias, vadunt, ô bene, mortis iter.
Tum rector pelagi horriſonum ſub gurgite murmur
Percipiens, cano vertice rupit aquas.

Multi-

Multiuagosq́, videns commiſto ſanguine fluctus,
In ſua prætrepidus rettulit antra caput.
Turca ferox cecidit vita ſpoliatus & armis,
Gloria Chriſte tibi, Turca ferox cecidit.
Mactaſti merita ſceleratum clade tyrannum,
Reddatur ſoli gloria Chriſte tibi.
Plauſerunt ſuperi, plauſitq́ puerpera virgo,
Fugerunt ſudo nubila fuſca polo.
Nos tua progenies, cæli quibus annuis arces
Voluemus laudes ritè per ora tuas.

Inexplebilis erga Chriſtum amor.

ELEGIA IV.

SI quidquam indagem de rebus fortè caducis,
Quo valeam eſuriem perdomuiſſe meam,
Continuo mî reclamat: nam quæ tibi mens eſt?
Infelix, ego te num ſaturare queam?
Fortunas ſitio, quas cùm poſſedero latè,
Nondum tota meo pectore pulſa ſitis.
Eſurio trabeam, & bis ſenas opto ſecures,
At mihi quæq; parum eſt gloria, quiſquis honos.
Quæro voluptates, non ſufficit vlla voluptas,
Deq́ fame ſuperat pars bene multa mea.
Sidera contemplor, vaſtasq́ perambulo terras,
Neptuniq́ ſuper cærula prata vagor,
Veſtigo, luſtro, ſpeculor ſi viſcera quidquam
Atq; fame, atq; ſiti noſtra leuare queat.

Quod quæro ſed enim nec totus præbeat orbis,
Ille meum pectus poſſe replere negat.
Ad Ieſum venio, hinc certam promitto ſalutem,
Aio, hic ſufficiet potus, & eſca tibi.
Quid loquar? ah Ieſus iam non valet ipſe mederi,
Fit maius multò quàm fuit ante malum.
Ipſe meus cibus eſt, meus ipſe eſt denique potus,
Se totum à memet vult comedi, atque bibi.
Hoc facio, faciamq́ lubens: ſed nocte, diéque
Me ſtimulatq́ fames, me cruciatq́ ſitis.
Dumq́ bibo Ieſum, ſitio: dum mando, fameſco:
Cumq́ edi eſurio, cumq́ bibi ſitio.
Quam magis ergo ſitim deponere tento, famemq́,
Tam magis augeſcit hinc ſitis, inde fames.
Heu cur non imples rerum me ſumme Creator?
Me minimè ſaturum conſpicis, & pateris?
Suppeditas dulces nidis implumibus eſcas,
Te haud fruſtra corui pullus auere iubet:
Solus ego abs te ſic cibor, vt non replear vnquam,
Quamq́ ſatur fio, tam cupio eſſe ſatur.
Hoc reor in cauſſa eſt, quod amor ſitis ipſa, famesq́
Cum ſit, non vllum poſſit habere modum.
Qui te igitur ſatur eſt, ſancto nil addet amori,
Pectora non illi flammeus ardor edet.
Ergo ego te ſitiam quantum potes vſque ſitiri,
Tu magis atque magis eſuriare mihi.
Tu mihi cum miſces, nil me fælicius vno,
Cum præbes epulum, ſum prope numen ego.

Nerui

Nerui vnà grates, & agunt membra omnia grates,
Pectore te ſemper, ſemper & ore cano.
Et quamuis nunquam poßim ſaturarier abs te,
Tu tamen ad miſerum me bone Chriſte veni,
Sæpe veni, & tenebras radiis defende meus ſol,
Calface lampadibus frigora noſtra tuis.
Et cum mî dederis ſancta cum carne cruorem,
Paſce tuaq; ſiti, paſce tuaq; fame.
Quiſquis amat Ieſum, ſapiunt huic omnia Ieſum,
Cui præter Ieſum nil tamen vſque ſapit.

Ad Chriſtum pro malis depellendis.

ELEGIA V.

CVm patre qui pariles mundi moderaris habenas,
Aſpice nos populum, maxime Chriſte, tuum.
Anne etiam meruit credentum turba fidelis
Vt ſic letiferis caſibus intereat?
Tot tempeſtates, tot denique funera paßis
Nulla quies vnquam, non datur vlla quies.
Prô, latè nimium, nimium fera regnat Erinnys,
Omnia luctiferis ſunt adoperta malis.
Cerno giganteos hinc vſque ad ſydera montes,
Funeſtasq; acies, teláque ſanguinea.
Vidimus obſeſſos armato milite campos,
Vidimus inſontes occubuiſſe neci.
Et cælo terras, terris miſcerier vndas,
Heu ærumnarum vidimus Iliadas.

Tetra

Tetra fames ſubigit malis abſumere menſas,
Opponit letho nos maleſuada fames.
Iamq́; lacertoſi plorant ſua vota coloni,
Paneq́; iam victum denegat agra ſeges.
Denique mens horret moles voluiſſe malorum.
Tempora noſtra quibus ſunt cumulata nimis.
Omnia nec poterit quiſquam numerare canendo,
Sæuus vbique pauor, ſæuus vbique dolor.
At te per mortem, tua per tormenta precamur,
Vulnera, flagra, necem, verbera, ſputa, crucem:
Affer opem miſeris, gemitus neu deſpice noſtros,
Inq́; procelloſo dirige vela mari.
Si morimur, quiſquam ne aris imponet honorem?
Quis tum Chriſte tibi thura adolere queat?
Da precor auxilium tandem, miſerere laborum,
Miteſcant poſitis ſæcula noſtra malis.
Tetraq́; barbarici occludantur limina belli,
Sæua ſuperſedeat Martius arma furor.
Aſpice nos blandus, tua numina poſcimus omnes,
Aſpice nos propius, parce tuo generi.
Ducito iam dudum captos in vincula Reges,
Et preme ſeruitiis agmina dira tuis.
Figeq́; Teutonicis mitiſſima lumina regnis,
Rideat hoſtiles Teutona terra minas.
Auxilioq́; ſubi bonus, & miſerere clientum,
Spes noſtra auxiliis ſtat bone Chriſte tuis.
Suffice quæſo animos, vires da Chriſte ſecundas,
Sacrilegum ad pœnas, iamq́; repoſce gregem.

Et victis dominare potens, & carcere frana:
Conſilia in melius Chriſte fac vt referant.

Templum Societatis IESV Auguſtanum Saluatori, Deiparæ, Diuiſque commendatur.

ELEGIA VI.

QVanquam nulla tibi ſat magna aut digna parari
Chriſte domus poßit, cui polus ipſe parum eſt,
Non ſola terrarum, non ſufficit Amphitrite,
Infinitum vllo non capiente loco,
Noſtra tamen pietas ſedes tibi collocat almas,
Quas neſcit pietas ſpernere ſancta tua.
Delicias ſiquidem nobiſcum habitare fateris
Eſſe tuas: hominum natio chara Deo.
Quare hoc exiguum non auerſabere templum,
Chriſticolûm erectum ſumptibus, & meritis,
Deuotumq́; tua Maieſtati, optime Chriſte,
A quo ſperanda eſt, & rogitanda ſalus.
Sæpius huc ad te fugiet, quibus aſpera ſors eſt,
Sæpe tuam hîc ſupplex turba requiret opem.
Nam SALVATOREM *decet omnes ire precatum,*
Quoſcunq; inſidæ ſortis acerba premunt.
Ergo hoc SALVATOR *ter maxime & optime limen*
Sartum, & tectum vt ſit perfice, nanque tuum eſt.
Sacrilegasq́; manus, deteſtandosq́; furores
Hinc arce, hinc omnem pelle repelle metum.

Eſto domus pacata, & ſtet ſolidiſsima donec
Sub cælo virtus vlla ſuperſtes erit.
Quod tu vel minimo facies fortiſsime verbo,
Impia quem aduerſus tartara inane fremunt.
Te quoq; Chriſtiadûm dominam, dominiq; parentem,
Cui ſe vni debet dimidium ipſe Deus,
Cantibus in noſtris haud fas poſtrema tenere:
Quanto te licitum præteriiſſe minus?
Tu natum toties materno aggreſſa precatu,
Sola reis placidum reddis, & innocuum:
Fulmina ne iaciens vltricem verſus in iram,
Nos recto ad ſtygias tramite mittat aquas.
Redde libens genitum nobis facilem, atq; benignum,
Et commendatam hanc ſemper habeto domum.
Crebra tibi innuptæ ſoluent vbi vota puellæ,
Halabuntq; aris florea ſerta tuis.
Cantabuntq; pij iuuenes præconia laudum,
Atque frequens populus multiplicabit AVE.
Vos etiam celeres animæ, ſanctiq; volucres,
Ferte opportunam, ferte potenter opem.
Arma laceſſentum contundite fortibus armis,
Siue ea ſint hominum, ſiue ea ſint lemurum.
Cingite præſidiis ſacramq; valentibus ædem,
Ne quidquam horreſcat talibus excubiis.
Auxilium eſt itidem poſcendum carmine Diuos,
Hîc quorum cineres, oſſaq; ſacra cubant.
Æthera qui colitis, ſecurum & degitis æuum,
Ad nos è celſo reſpicitote polo.

Cernite relliquias membrorum, & corporis, olim
Quo tecti, modò nos deueneramur eas.
Quocirca hanc ædem ſi nunc defenditis, ipſi
Seruatis tuto lipſana veſtra loco.

Cæli, ac templi comparatio.
ELEGIA VII.

NVnc age cælum extra cælos doceamus haberi,
Templáque ſtelligeras æquiparare domos.
Illic perpetibus reſonant concentibus hymni,
Multiplici trinum voce beante Deum.
Hîc pſalmi, cantusq́ vigent, lituiq́, tubæq́,
Fundit at hîc querulos tibia docta modos.
Hîc & continuo afficiuntur numina cultu,
Hîc triadem ſanctam nocte diéque canunt.
Aſtricolæ regem regum reuerenter adorant,
Sollicita & dominum relligione colunt.
Nos quoq; diuinæ quoties verſamur in æde,
Seu ſacra conficimus, ſeu pia thura damus,
Seu caſtis libeat precibus tranſmittere tempus,
Membranasq́ pias euoluiſſe iuuet,
Omnibus hiſce Dei iuncta eſt veneratio ſumma,
Quem mens præſentem fingit adeſſe ſibi.
Corpora curuamus, caſtisq́ aſternimur aris,
Vitamus ſtrepitus, erigimusq́ manus.
Haud ibi lucem nox, noctem aut lux excipit alma:
Lumen ibi æternum eſt, & ſine nube dies.

Hîc etiam meritò vigilem ſuccendimus ignem,
Atque ſuperfuſa Pallade flamma micat.
Et quas mellipara ceras ſtruxere puellæ:
Ipſo etiam lucis lumine dant radios.
Sic nos aſsiduo ſplendore annitimur illum
Exprimere ætherium, lætificumq́ diem.
Per cælos animæ diuorum in pace quieſcunt,
Sanctorum hîc placidè corpora poſta iacent:
Ore dei donec imis excita ſepulcris
Ipſa laborum etiam præmia iuſta ferant.
Inſuper angelica vt cæleſtes agmina ciues
Percurrunt, quoduis impigra ad obſequium:
Sic quos eſſe ſuos ſperant, per templa requirunt,
Ad ſacra quos hilares incubuiſſe notant.
Quin vota, & deſideria, & ſuſpiria noſtra,
Occultos gemitus, ſollicitáſq́ preces,
Afflictóque ſimul venientes pectore fletus
Angelica ante Deum ponere turba ſolet.
Corpore Chriſte tuo paſcuntur deinde beati,
Corpore ſed paſcunt nos quoque templa tuo.
Hæc ſedes luſtrata Deo, hîc bona cuncta petuntur,
Huncce locum vt proprium protegit ipſe deus.
Huc huc te recipe, hîc mala queq́ aſpelle precando.
Si cælum eſt templum, templa ſacrata ſubi.
Hîc pax, hîc requies, hîc concors gratia fratrum,
Cordibus hîc lætis gaudia læta vigent.

Quid

Quid in templo cogitandum.

ELEGIA VIII.

Vos quicunq; gradus ad relligioſa feretis
Limina, verſiculi pauca mouere volunt.
Terrenas, humilesq; forìs ſecludite curas,
Nempe loco in ſacro voluere ſacra decet.
Argentum valeat, dandusq; ad fœnora nummus,
Ne Bacchum, lautas ne meditare dapes.
Officio an ſerui fungantur quærere differ,
Neu dubita ancillæ num data penſa trahant.
Quid faciant nati, cuiue illa negotia mandes,
Craſtina quidue noui ſit paritura dies.
Quàm longos æuum ſis extenſurus in annos,
Quomodo turba tibi dicere poſſit, hic eſt.
Parcite futilibus mentes intendere nugis,
Ac bene morigeri vocibus eſte meis.
Verſemus ſcelerum formas, & nomina mille,
Iuſſa quibus nobis ſunt violata Dei.
Debita queis merces arſura in ſecula flammæ,
Si veniam trepidis non daret ille reis.
Dein meminiſſe iuuet, quantum benefecerit idem,
Quàm nos ingratos ſenſerit vſque tamen,
Succurrant itidem tormenta, & vulnera IESV,
Proq; ſalute hominum mors tolerata crucis.
O bonitas, cui non rumpantur viſcera, cum ſic
Pro ſeruis dominus, pro grege paſtor obit?

Ergo inquiramus qualem reddamus amorem,
Huic, animam nobis qui dedit ipſe ſuam.
Tempora tractemus defectura vltima vitæ,
Cum capient tumulos funera quæque ſuos.
Deniq; venturum manifeſto in lumine quondam,
Qui cunctos æquo iudicet arbitrio.
Qui vocet ad pœnam ſontes, ad gaudia iuſtos,
Gaudia quæ nunquam finiat vlla dies.

Sodalitas B. M. ad eandem, pro Sereniſſ. Maximil. Principe, Gulielmi filio.

Elegia IX.

SI noſtrum hoc de te ſtudium Regina meretur,
Nec male nos populus prædicat eſſe tuos,
Da modò da facilem perpauca rogantibus aurem,
Néue ſine incaſſum promere vota tibi.
Concordes animis feſtæ procumbimus aræ,
Et duplices ad te tollimus ecce manus.
Scis vt te iuuenis Gulielmo Principe natus
Deuenerans nimium Maxmilianus amet.
Ille decus fratrum, matrisq; patrisq; voluptas,
Bauaricæ pulcher floſculus ille domus.
Præ cunctis vnam precibus te mollibus ambit,
Suppliciterq; tuam crebrius orat opem.
Serta tibi legere, atque nouis altaria donis
Seſe ipſum exuperans vſque onerare ſtudet.

Ille

Ille etiam, vt voluit, ſociorum adſcriptus in album eſt,
Qui tua ſortiti nomina nomen habent.
Hunc petimus validum cuſtodi maxima mater,
Defende aßiduò dulce, piumq́ caput.
Incolumem longos iuuenem tutare per annos,
Effice Cumaea ſecula vatis agat.
Imperióque regat Boios ſucceſſor, & hæres:
Verùm illo, natos quo regat ipſe parens.
Vt cælo cecidiſſe putent, & vocibus altis,
Viue diu ingeminent, Dux bone, viue diu.
Hic tibi centum aras, & templa ingentia ponet,
Quà porrecta patent climata Boiaridûm:
Vlteriuſque tuos idem amplificabit honores.
Cultorem ô redama virgo beata tuum.

Partes, & difficultas muneris Pontificij, ad Marquard. Epiſc. Auguſtanum.

Elegia X.

Nos pelagus medium vectores claſſe tenemus,
Labitur horriſonis vncta phaſelus aquis.
Viuere quid noſtrum eſt, niſi pontum carpere remis?
Quid niſi fluctiuago tendere vela ſalo?
At quam difficile eſt ſperatum tangere littus?
Heu quoties retro pulſa carina redit?
Æolus infeſtas hyemes emittit ab antris,
Et trucibus reſerat ferrea clauſtra Notis.

Mox, dicto citius, montes voluuntur aquarum,
Eripit ex oculis nox tenebroſa diem,
Caeruleiq́ cadunt Zephyris cogentibus imbres,
Pontus & indignans murmura rauca ciet.
Prô quantum feriunt ſtridentes vela procellæ.
Ventorum à flabris tanta venire mala?
Fulguribus quantum, quantum micat æthra coruſcis?
Horrifico tonitru concutiente polum.
A fundamentis euertunt æquora Cauri,
Torpida brumali frigore membra rigent.
Cogimur ah miſeri cæcas errare per vndas,
Ante oculos præſens mors ſua cuique volat.
Tu ratis es noſtræ lectus, Marquarde, magiſter,
Vectorum tibi nos credita turba ſumus.
Te decet Arcturum, & geminos ſeruare Triones.
Te pluuias Hyadas, Tyndareumq́ iubar.
Auribus arrectis ventos captare ſecundos,
Nouiſſe & tacito ſidera cuncta polo.
Qui freta conuerrant, qui iungant lintea malo
Deligere è numero, quiq́ foros obeant.
E puppi dare ſignum, & iter monſtrare per æquor,
Proſpectum capere, & littora diſpicere.
Tum tempeſtatem, & cæli vitare ruinam,
Officiiq́ omnes admonuiſſe ſui.
Ardua nec cuius mandata negotia curæ,
Totius populi, cuiq́ tuenda ſalus,
Fas ſolidam reſidi ſomno traducere noctem,
Sollicitum aut vnquam ſoluere corde metum.

Fas rapere è ſomnis corpus, conſurgere ſtrato,
Acta licet necdum tempora noctis erunt.
Aſt vbi nulla artes, prudentia nulla valebit,
Poſcendum ſuperi numinis auxilium:
Vt velit à nobis tantos auertere caſus,
Quaſſatæ vt redeat aura ſecunda rati.
Ipſe pater diuûm radios Phœbumq́; reducet,
Diſcutiens læto nubila cæca polo.
Ridebit cælum, ridebunt æquora ponti,
Compulſi fugient in ſua clauſtra Noti.
Securo dabit incolumes ſuccedere portu,
Doridos iratæ comprimet ille minas.

Comparatio Regis, & Epiſcopi.

ELEGIA XI.

Pontificem, Regemq́; volo contendere verſu,
Et iuxta amborum compoſuiſſe bona.
Principiò, vt multum turba errauêre profana
Quæ Reges veluti numina ſancta colunt?
Et regem memorat plebs veri indocta beatum,
Seruitio populos quandoquidem ille premit.
Per fora, perq́; vias curru vectatur eburno,
Puniceam mordet barbara gemma togam.
Stragula molliculum dant picturata ſoporem,
Ex altóque iuuat dicere iura throno.
Ingreditur iuuenum magna ſtipante caterua,
Illius & mos eſt ante iacere pedes.

Hæc homines nimium falsò mirantur, & optant,
Ignari, pluris quæ facienda forent.
Pontificum ſimilis nemo cupit eſſe bonorum,
Sed nummatorum quilibet eſſe cupit.
Os ob Pontificem nemo conuerterit vnquam,
Non vlli cura eſt albus an ater homo.
Sed quoties aliò tranſlata eſt gloria regni,
Hoſtica vbi rapuit turgida ſceptra manus?
Crudelem inq; modum funeſta cæde perempti,
Tergemino Reges præda fuêre cani.
Æmathius iuuenis Perſam ſubiecit, & Indos,
Fregit & impauidûm colla animoſa Ducum,
Ceruices capto præcidit fœmina Cyro,
Romuleam petiit non Ptolemæus opem?
Hic fixà fruitur gaza, cælumq; tuendo
Hoc, ait, eſt regnum, hæc patria certa mihi.
Quantumuis tunicam non cingat limbus, & aurum,
Nec clypeata cohors vallet vtrunque latus,
Non villoſa minus defendunt tegmina corpus,
Me circum è ſuperis agmina denſa locis.
Haud ego ſceptra fero pictis ornata lapillis,
Conſpicuúſue premo terga frementis equi.
Aſt nemo inſidias in me componere tentat.
Tenduntur magnis Regibus inſidiæ.
Suauiculos pauper ſomnos mihi lectulus affert,
At neque cui præſim deficit imperium.
Sum Rex inter oues: hæc florentiſſima regna:
Plebs me paſtorem nominitare ſolet.

Pagina Mæonidæ paſtorem Agamemnona dicit,
Graiorum princeps attamen ille fuit.

OEdipodionidas alterno vulnere fratres
Fama eſt (infandùm) procubuiſſe neci.
Quorum vnis iniecta forent cum corpora flammis,
Dicitur in partes iſſe fauilla duas.
Ingluuies adeo eſt multùm cantata Neronis:
Alterius nota eſt teſtibus impietas.
Non hæc Pontificum produntur facta, ſed iſthæc
Diuitiæ ſuadent, imperiumq́; potens.
Hi, qui non hoſtes oculis cernuntur ab vllis,
His faciunt bellum, hos perdomuiſſe ſtudent.
A ſtabulis arcent, & duro Marte reſiſtunt,
Seruantes placidum nocte diéque pecus.
Diuinis timidos proſternunt dæmonas armis,
Dat ſua victori præmia iuſta Deus.
Regibus en pugnant collatis agmina ſignis,
Fiat vt effuſo ſanguine pinguis humus.
Verùm Acherontæus quanto violentior hoſtis,
Pontificum tanto clara trophæa magis,

Super eodem.

ELEGIA XIII.

PErpetua quorum quis conſuetudine gaudet,
Horum hominum mores diſcere oportet eum.
Sicut vbi manibus Syrium tractauimus vnguen,
Spirat, & in digitis gratus adhæret odor.
Contra vbi tetra manu pix eſt verſata nitenti,
Fœtet, & in digitis permanet ater odor.

Sacrorum Antiſtes mentemq́ & pectora purus,
Caſta legit veterum tot monumenta patrum.
Scriptoremq́ legit oculis velocibus Afrum,
Aut cui cognomen aurea lingua dedit.
Se putat accipere, & veras tum reddere voces,
Nec non ſacratos inter adeſſe viros.
Hinc bene multa ſua diſcit præcepta ſalutis,
Quomodo mandatas paſcere oportet oues:
Ne poſt fata petant Orcum, vaſtasq́ lacunas,
Sed magis immigrent atria celſa poli.
Hinc ſe arcanarum oſtendunt myſteria rerum,
Præpanduntq́ animo lumina clara pio.
Haud ea ſors regum eſt, reges nil talia curant:
Nempe miniſtrorum linguáque, mosq́ nocent.
Pars quorum non pauca animis elata ſuperbis,
Decernens faſtu cuncta minora ſuo.
Pars quæ non ſpernat venas inflare Lyæo,
Pars ſacrum faciunt, ô Cytheræa, tibi.
Quando inſtare diem criſtatus nuntiat ales,
Pontifices tepidos déſeruere thoros.
Incumbunt precibusq́, & votis æthera complent,
Sincera & diuos relligione colunt.
Interea Baccho, dapibus quoq́ fartus opimis
Rex cubat in pluma, ſtertit & in thalamo.
Horum menſa breuis, potus communis: at iſte
Nectare potatus veſcitur ambroſia.
Crateras donant Reges, donantq́ ſmaragdos:
Cælo Pontifices ſplendida dona ferunt.

Regibus eripiunt vitam perſæpe tyranni:
Pontifices video pro pietate mori.
Eſt quiddam in nobis, cuius cæleſtis origo,
Quod ſolum æternum eſt, interituq́ vacans.
Altera pars hominis properans ad limina leti,
Quàm ſubitò fieri puluis, & oſſa ſolet?
Scilicet hæc Regum ſceptris. ſubiecta potentum,
Fatorum dubio carpitur vſque metu:
Sed partis melioris habet moderamina Præſul.
O magnum, æternis imperat hic animis.
Quemq́ lubet valida peccati compede ſoluit,
Cuiq́ lubet rurſum vincula ſæua parat.
Sceptrigeros reges vincit compagibus arctis,
Terribiles quorum non timet ille minas.
Si quando ſeu obſcœna fames, bellúmue coortum eſt,
Siue ſit inſinuans horrida peſtilitas,
Non tunc aſpicimus Reges, regumq́ coronas,
Non tunc illorum flagitat vllus opem.
Præſulis auxilium mox poſcit mobile vulgus,
Flectat vt offenſum per ſua vota Deum.
Quin ipſi abiecto veniunt diademate reges,
Hærentes genibus, ſubiiciuntq́ caput.
Ne velit, oratur, communi deeſſe ſaluti,
Sed pacem expoſcat, ſuppliciterq́ petat.
Vtq́ aris diuûm ſollennem mandet honorem,
Munera cælicolûmq́ intemerata patri.
Tunc mihi Pontificis quænam ſit cerne poteſtas,
Quando ſpes in eo cuncta repoſta iacet.

In

In Mortem.

Elegia XIV.

Qvi quondam inſano moriendi impulſus amore,
Detonuit laudes mors inimica tuas,
Suaſit & innumeris æternam accerſere noctem,
Artubus inuitam, & ſoluere ferro animam,
Ille fuit rigidus nimium, & duriſſimus oris,
Ille nec humano degenitore ſatus.
Illum enixa tulit ſola ſub rupe leæna,
Vinxit & huic validus pectora cruda ſilex.
Ah me non ſubeat, precor, hæc inamœna cupido,
Extremum vt libeat tollere laude malum.
Quin mihi ſi Muſæ faueant, ſi dexter Apollo,
Bella ego in hanc furiam tempus in omne geram.
Tu ſola humanæ turbas ſolatia vitæ,
Opprimis & tacito nos inopina gradu.
Tu cum ſæua potens latum des iura per orbem,
Humanumq́; genus pareat omne tibi,
Tardigradæ tamen vſque volens oblita ſenectæ,
Florida tot iuuenum corpora falce metis.
Hæc ſuper & cum ſit meſſis fœcunda malorum,
Qui tuus eſt liuor, parcis aliisq́; malos.
Exſerta inq́; bonos contorquens ſpicula dextra
Horum, inuiſa lues, funera conduplicas.
Impia, tu ſpolias dilecta prole parentes,
Tu ſoboli matrem, tu rapis vna patrem.

Et fratrem fratri aufers, germanamq́; ſorori,
Diſcindis caſti fœdera coniugij.
Tum vacua quoties vlulant clamoribus ædes,
Prodit & in mœſtos mœſta caterua rogos,
Tunc bene, tunc pulchrè eſt tibi, rides improba peſtis.
Eheu, lætitiæ ſunt mala noſtra tuæ.
Si quiſquam infeſtum per te finire dolorem
Orat, ab hoc centum millibus ipſa fugis.
Fœlices alius quod ſi traduxerit annos,
Illi improuisò, nec rogitata venis.
Hîc ergo inuidia te nonne fateberis vri?
Illic crudelem nam ſatis eſſe patet.
An dubitata loquor? te nil immanius vna,
Cuius mille viæ, ſunt quoque mille modi.
Hos gaudes anima morbis priuare trecentis,
Hos æſtu, aſt alios frigore ſæua rapis.
Fluctibus iſte perit, vitam hic deponit in armis,
His riſus, lacrymæ his fata ſuprema ferunt.
Hic animam exhalat torti ſerpentis ab ictu,
Cuidam illapſa domus conterit, ecce, caput.
Turribus ille ruens conſperſit ſaxa cerebro,
Miſſilis huic præſens exitium haſta tulit.
Deniq; nil opus eſt percurrere nomina mille
Pœnarum, per quas mors violenta furis.
Prô quale imperium mortis, prô quanta poteſtas,
Ingluuiem cuius non datur effugere.

Præſtantia, & vis animi.

Elegia XV.

MAgnanimo vires tribuit natura leoni,
Taurus at irata cornua fronte gerit.
Et longinqua celer per rura lepuſculus errat,
Latratu quoties inſtat odora canis.
Plumigeræ volitant cæli per inania gentes.
Nectareumq́; melos per nemus omne canunt.
Vt lepidè patriis ludunt delphines in vndis?
Squamoſum vulgus per vada ſalſa meat.
Denique diuerſis quæcunque animalia formis,
Quo valeant, & quo ſe tueantur habent.
Vnus homo exoritur nudus ſub luminis oras,
Cui ſola immenſis mens viget aucta bonis.
Hæc flammantem extra procedit viuida mundum,
Omnia quam rerum perdidiciſſe iuuat.
Quid creet in leuibus pictam Thaumantida nimbis,
Accendat trifidas Iupiter vnde faces.
Quadrupede atrato Phœbi cur lugeat orbis,
Quid velit aſtrigero Pleïas orta ſolo.
Quid ſint, quóue ruant celeres è carcere venti,
Cur tantum horribili murmure terra tremat.
Dein campos Neptune tuos, ſæuumq́; tridentem,
Arne tuos ortus, ſiue Acheloe tuos.
Adde huc & ſtirpes, ortusq́; obitusq́; animantum,
Quæq́; ſuo tellus cludit auara ſinu.

Exple-

Explorans rerumq́ vias, rerumq́ latebras
Cuncta ſibi humanum ſubdidit ingenium.
Mille modis voluens millenas repperit artes,
Fallimur? an fragili pectore numen ineſt?

Philoſophiæ pictura.

ELEGIA XVI.

AVrato in ſolio claris lucente pyropis
Auguſta mulier cum grauitate ſedet.
Non illi facies ruga ſulcata ſenili,
Vnquam aut mercatis oblita muneribus.
Inſignis tamen, & ſuaui perfuſa colore:
Scintillant geminæ lumina nigra faces.
Implicitum caput eſt gemmis fulgente corona:
Diffuſas humeris ventilat aura comas.
Diuinum ſpirat vertex ſacratus odorem:
Corpore ſtant vegeto membra decora ſuo.
Subtexta auratis veſtem dat purpura filis,
Natura artifici quam variauit acu,
Diuerſos rerum depingens callida vultus,
Seu tellus illos, ſeu maris vnda ferat.
Trina notat pulchrum matronæ littera pectus,
Quarum quæ prima eſt quarta ſit Argolicis.
Altera facundis numeratur ſeptima Graiis,
Tertia ab extremis ordine quarta manet.
Dextra gerit ſceptrum, molem ſed læua rotundam,
Impariter ſecta eſt partibus illa tribus.

Sub

Sub pedibus teritur puer improbus ille Cytheres,
Cui dederat victas Iupiter Ipſe manus.
Qui grauibus ſæuit telis in viſcera, plaga
Cuius ſi qua venit, vix medicanda venit.
Hîc alæ, hîc pharetræ, iacet illic peſtifer arcus,
Hinc faculæ demum, ſed ſine luce iacent.
Conſcelerate puer, quid nunc audacia prodeſt?
Quid rigidaúe minæ? conſcelerate puer.
Tres verò à dextris forma florente puellæ
Aſsiſtunt, totidem parsq́ue ſiniſtra tenet.
Candida luteolis vinctæ ſunt tempora ſertis,
Ad dominæ præſto eſt qualibet officium.
Quanto ſydereos auroræ nuntius ignes,
Formoſum quanto Cynthia Luciferum,
Et quanto exuperat lampas Phœbeïa lunam,
Tantum hæc virginibus anteferenda ſuis.
Poſt duplex cuneus Diuæ latus ambit vtrunque,
Illos nominitat lingua Pelaſga ſophos.
Stoica menta dehinc, & quos Academia nutrit,
Quiq́ue Lycea colunt, quosq́ue Epicure doces.

Studioſorum voluptates.
ELEGIA XVII.

SVnt quos delectant fera munera militiaï,
Martiaq́ue horrifero claſsica pulſa ſono.
Qui ſiccis tolerant oculis ſtagnare cruorem,
Dum ferro cumulant funera funeribus.

Haud

Haud ita nos genuit mater natura feroces,
Ingenium nobis mitius illa dedit.
Ah nequeunt teneræ durare ad vulnera Muſæ,
Non tuba, nec litui, ſed lyra dulcè ſtrepit.
Nec caſtis ſtudio eſt Venerem tractare puellis,
Quid tibi cum Nymphis ô maleſuada Venus?
Purpureis nemo nos inuidiſſe tyrannis,
Nemo cupiſſe tuas Attale dicat opes.
Seruitio hic populos, & magnas opprimat vrbes,
Orbis & obtineat totius imperium.
Dum ſegetem patrius lætam ſubmittat agellus,
Vrat & aßiduus dum ſua ligna focus,
Non tumidos petimus faſces, ſellamq́ curulem,
Nobis ampla ſatis gloria litterulæ.
Quam primum aureolos datur auſcultare libellos,
Protinus ex animo cura, dolorq́ fugit.
Gratáque perfuſas inceſſunt gaudia mentes,
Illecebra & tacitos complet amica ſinus.
Et modo diuinum volupe eſt legiſſe Platonem,
Et modo Ariſtotelis abdita dicta placent.
Interdum Latios, interdum voluere Graios
Inſiſto: ſapiunt vina vetuſta magis.
Si iubeo, reſerat cæleſtia Tullius ora,
Et miſtas liquido nectare fundit aquas.
Nec ſilet hiſtoria antiquarum nuntia rerum,
Quas quiſquis nondum nouerit, hic puer eſt.
Parte alia dulces modulos facit Attica Siren,
Mopſopia hîc iterum mella reponit apis.

Iam quas delicias vatum dant ſcripta piorum?
Quas ſpirant Veneres, quas redolent Charitas?
Iam pridem quoties viderunt aſtra loquentem
Cum mihi dilecto plurima Virgilio?
Flaccus at Æolia verſat dum plectra puellæ,
Quàm doctis fidibus, quàm numeroſa canit?
Addimus his natos ſub eodem tempore vates.
Ite alias alij quærite delicias.

Amico longam, & beatam vitam precatur.

Elegia XVIII.

Sic multos annos, ô mi cariſſime, viuas,
Solis vt in radiis corpora multa volant.
Quàm magnus numerus, cum gens plumata volucrum
Veſpere frondiferis inſidet arboribus.
Quàm foliis crebris autumni frigore primo
Contegitur tellus. Quot gerit aſtra polus.
Æquora quot fluctus, guttas quot continet imber,
Quam denſa ad pelagi littus arena iacet.
Quotq; nemus frondes, quot amœna roſaria Pæſtum.
Montiuagas quot habent horrida luſtra feras.
Mellilegæ quot apes dulci paſcuntur Hymetto.
Quot ſunt lethæis grana papaueribus.
Tempore quot verno tellus producit odores,
Quàmq; frequens Calabrûm collibus vua tumet.
Parthia quot felle eſt vnctis armata ſagittis,
Pinguia quot regio thura Sabæa parit.

Quàm multa anguſto conuectant limite aceruum
Formicæ, numerant Gargara quot ſegetes.
Denique quot demittit hyems ventoſa pruinas,
Quot iaculator atrox ſpicula Medus agit.
Tum quinquennales quot ſpectauêre triumphos,
Quàm multa Ægæis bellua gurgitibus.
Tot tibi dent annos, opto, pia numina Diuûm,
Quotq́; videt coruus ſæcula, tu videas.
Sexcentas hyemes viuat Gangeticus ales,
Bis ter ſexcentas, Candide, viue hyemes.
Tu quoq; grandæuum viuendo Neſtora vince,
Quàm Tithonus erat, ſis magis, opto ſenex.
Tempora prætereas Cumeæ longa Sibyllæ,
Eia meus nunquam Candidus intereat.
Nec tantum annoſam tribuant tibi numina vitam,
Quæ longa, & felix, hæc mihi vita bona eſt.
Qualis Romulidæ obtigerat fortuna Metello,
Candido vt obtingat, ô faciant ſuperi.
Tum fuero fælix, ſi tu dicere beatus.
Candide, ſors mea, ſors ſit tua, & illa mea.

In ſeptem artes liberales, præſertim Muſicam.

Elegia XIX.

En ego vos iubeo ſeptem ſaluere ſorores,
Felicem veſtrum mî precor vſque chorum.
Teq́; adeo, quæ prima doces concludere verum,
Contortis nimium cauta ſophiſmatibus.

Dehinc

Dehinc te quæ fundens dulci aurea flumina lingua,
Grandiloquo mediis cœtibus ore tonas.
Quatuor hinc ſaluete, iterum ſaluete puellæ.
Ritè colit docti quas ſchola Panthoidæ.
Vos extra ſophiæ non eſt ſacraria inire,
Directum ſola conciliatis iter.
Hæc tractat numeros, varias docet iſta figuras,
Tertia ſcrutatur ſidera, quarta canit.
Suauiter exhilarat defeſſum Muſica pectus,
Ceu dum combibimus munera Bacche tua.
Odryſius vates vmbroſa carmina ſylua
Dum ferit, & docta temperat arte melos,
Blandiſona ingentes mirata carmina pinus,
Coniferum vati ſuppoſuere caput.
Omne genus pecudes citharam ſtupuere canentem,
Auriti lepores obſtupuêre magis.
Terribiles inter conſedit cerua leones,
Et ſecura latus præbuit agna lupis.
Ille etiam rapidos requieuit cantibus amnes,
Præcipites tenuit voce ſonante Notos.
Mouit & Amphion rigidas teſtudine cautes.
Tantum, prô ſuperi, Muſica blanda poteſt.
Tu quoque ſaluebis, fecit cui littera nomen,
Omnis quam ſupra eſt ædificata domus.
Qui veſtra ignorat ſacra commercia nymphæ,
Indignus qui ſit, quiq; vocetur homo.
Vos vbi fracta ratis inimicos accipit imbres,
Fluctibus & raucis dat moritura latus,

Vna cum vectore propinquam enatis ad oram,
Huic vos relliquiæ, & cætera gurges habet.
Atria Luculli ſpernat, Craſsiq; talenta,
Qui veſtras vacuo corde receptat opes.
Vos eritis miſero ſolamen dulce laborum,
Vos mœſtis animis vnica nata quies.
Eſt etiam in ſtudiis haud iniucunda voluptas;
Nec ſolus generat gaudia turpis Amor.

Αδωάτα poëtica.

Elegia XX.

ILle dies noſtro eſt finem poſiturus amori,
Quo vitam rapient vltima fata meam.
Immo nec illa dies amborum ſoluet amorem,
Perpetuum inter nos, Candide, fœdus erit.
Ante meum patiar caput hoc abſcindere collo,
Totus & à membris diſtrahar ante meis.
Ante meum nomen deſes mî obliuio tollet,
Ante ego, ſunt cuius omnia, mortis ero.
Legibus euerſis rerum natura peribit,
Candide, quàm noſter diſſoluëtur amor.
Terra polus fiet, patientur ſydera ſulcos,
Amplius & nullas Doris habebit aquas.
Frigebunt ignes, præbebit lympha calorem,
Æſtibus in mediis nix operibit humum.
Opprimet agna lupum, terrebit dama leonem,
Ceruarum fient præda cruenta canes.

In no-

In noctem formoſa dies vertetur opacam,
Lucidiora die tempora noctis erunt.
Albentes coruos, nigros cernemus olores,
Piſcis aquam, ſyluas non habitabit aper.
Mollitie vincent flauentes marmora ceras,
Aëra tum poterunt peruolitare boues.
Latronem miluum gallina occidet alumnus,
Arcadici haud fugiet tum canis ora lupus.
Mors nihil interimet, fatum res nulla ſubibit,
Natura officio deerit & ipſa ſuo.
Æthere ſublimi carpent ſua pabula cerui,
Aſtrorum faculas alma creabit humus.
Niliacosq; bibent latices Oenotria rura,
Eridani fluctus combibet alta Pharos.
Gryphas equis, aquilas poteris iunxiſſe columbis,
Candoremq; dabis promptius Æthiopi.
Deerunt arboribus frondes, & frondibus arbor,
Montium & aqua ſolo culmina conſpicies.
Muſcoſi fontes condent ſe in viſcera matris,
Flumina retro ibunt in caput acta ſuum.
Dulcia amareſcent, ferrum non molliet ignis,
Albus erit carbo, nix erit atra prius.
Accipiet ſocias Argiuas Troia biremes.
Littorea in ſummis creuerit alga iugis.
Delphinus ſyluas, fluctus aper incolet altos,
Vitabunt acres & ſimul antra feræ.
Candide, tunc noſtra accipiet concordia finem,
Quando nihil finem quibit habere ſuum.

Cinyphias quando ſegetes numerare licebit,
Quando quot generet Sicanis Hybla thymos.
Quamq́ ingens ſeries per olympi cærula tranet,
Quotq́ natent piſces fluctibus æquoreis.
Veliuolis ratibus citius freta lata carebunt,
Gramine nec viridi vaſta tegetur humus.
Læta per æſtatem fugient arbuſta cicadæ,
Garrula odorato vere ſilebit auis.
Deſinet eſſe prius flammæ contrarius humor,
Ipſaq́ mors vitæ fiet amica prius.
Oceanus geminas citius perfuderit Arctos,
Flumina cumq́ rogis fœdera percutient.
Afferet obſcuras & fax Hyperionis vmbras,
Afferet ambroſiam pallida luna diem.
Lux tenebræ fient, cælo ſuccedet Auernus,
Succedent rapidis ſidera clara fretis.
Triticeas meſſes glacialis bruma videbit,
Puppibus & feſſis Scylla erit hoſpitium.
Quaq́ venit Zephyrus, venient ſimul Auſter, & Eurus,
Altera curretur ſemita ſolis equis.
Candide mi, pereant poſſunt quæcunque perire,
Noſter in æterna ſæcula duret amor.
Et fieri quæ poſſe negant, mi Candide, fiant;
Noſter inoffenſis legibus ibit amor.

Ad

Ad Philoſophiam,

ELEGIA XXI.

QVID narrem, aut de te quid primùm pangere nitar,
O laus ingenij, gloria, lumen, honos.
Tu dea de ſuperis veniſti candida templis,
Non te humilis tellus, ſed genuêre poli.
Tu recta & facere, & praeſcribis dicere recta:
Facta & verba nequis tu ſcelerata pati.
Tu dux humanae multò certiſſima vitae,
Suſtulit ille diem qui te abolere cupit.
Qui ſpectat te, ſancta, tuis qui paret habenis,
Aduertitq́; animo iuſſa verenda pio,
Hic appelletur vaſti licet incola mundi,
Solus erit liber, ſolus erit locuples,
Formoſus, ſanus, rex regum maximus vnus,
Et prope caelicolas inter habendus erit.
Cui tu cunque ſapis, fidos non quaeret amicos,
Illum cunctorum quaeret amicitia.
Per te mortali dum ſunt in corpore mentes,
Coetus vt aligerûm regna ſuprema petunt.
Et curſum luſtrant circumuoluentis olympi,
Stellarumq́; acies, ſolis & ignipedes.
Inde per aetherios tractus impunè vagantur,
Per ſola terrarum, nauigerumq́; mare.
Sub terra poſitosq́; ſolent inuiſere manes,
Quasq́; ibi creuerunt poſtmodo ſantur opes,

Naturæ varios gaudent cognoſcere mores,
Hos illis Sophiæ noſcere præbet amor.
Norunt eſſe vagum nutu qui temperet orbem,
Multicolor pluuias cur bibat arcus aquas.
Curq́; datas leges non ſpernant æquora ponti,
Eurus in aduerſos cur ferat arma Notos.
Quo naturarum claudatur fine poteſtas,
Quid naſci poßit, quid nequeátue ſciunt.
Tu monſtras dubias rationem ſoluere technas,
Exponis, quibus eſt vera probare, modos.
Connubio quicunq; tuo ſe aſtringere nolunt,
Hi tibi non æquis artibus inuigilant.
Sic quos Penelope ſponſos ludebat hiantes,
Dulichio fidum fœmina coniugium,
Contemptum in famulas verterunt pectoris æſtum.
Frænorum impatiens eſt malè caſtus amor.
O doctrinarum ſalue ſanctiſsima mater,
Delapſa à ſuperis ô bona mater ades.
Te cupidè ſequimur, quo nos abduxeris, imus:
Quidquid amas, ſemper docta magiſtra iube.
Abs te tranſuerſum quod ſi deflectimus vnguem,
Increpa, & inceptam coge vorare viam.

Dialectica ad Candidatos.

Elegia XXII.

Heus iuuenes, erecti animos, & pectora læti,
Quæ dicam attentis mentibus excipite.

Illa

Illa ego Cecropio quæ ſum laudata Platoni,
Sceptraq́ꝫ præ ſociis imperioſa gero.
Et meritò, ſiquidem ſecretos vna receſſus
Explorans, rerum quæ ſit origo docet.
Altera cum vitiis bellum gerit vſqꝫ nefandis,
Atqꝫ modum factis conſtituiſſe monet.
Aſt ego ſum rectrix ambarum fida ſororum,
Omnia præſidiis ſtant bene tuta meis.
Grammaticis petitur Logice, peliturq́ꝫ Poëtis,
Per me Oratores grandia verba ferunt.
Ante alias ego ſum dominatu clarior omnes,
Firma meis opibus ſunt mea regna ſatis.
Ordine diſpono confuſa, & colligo partes,
Fit clarum per me, quod fuit ante minus.
Rem demum variis firmo rationibus vnam,
Ne quis quod fugitat fortè ſequatur iter.
Quod Zenoniadûm ſe gloria terminat aſtris,
Quodq́ꝫ Stagirites peruolat ora virûm.
Hoc eſt nempe meum, ſunt hæc mea maxima dona,
Cultores ſoleo queis decorare meos.
Vos nunc, ô iuuenes, interrita pectora laudo,
Me quibus vſque vigil noſcere cura fuit.
En hodie nectam de lauro, & fronde coronam,
Auſibus & veſtris munera digna feram.
Ardua ſemper enim ſequitur molimina merces,
Et virtus nunquam laude carere ſolet.
Quare agite, en meriti vobis mandantur honores,
Docta cohors iuuenûm vos ſuper aſtra vehet.

Ite boni, aduerſiq́ aſcendite culmina montis,
Fortibus eſte animis, nec reuocate gradum.
Seu vos delectat diuini dogma Platonis,
Seu magis afficiunt dogmata Ariſtotelis,
Ipſa meis opibus vos auxilioq́ iuuabo,
Dimittamq́ hilares commodiore via.

FVNEBRIVM LIBER.

IN OBITVM ILLVSTRISSIMI OTHONIS THRVCHSES CARDInalis & Pontificis Auguſtani, qui Romæ deceſſit.

NÆNIA PRIMA.

Sueuia.

O Summe regnator poli, ac diuûm pater,
Auctor, ſatorq́ rerum, & arbiter omnium,
Qui iuſtis ſemper frænas orbem legibus,
Solóque cuncta nutu ſemper dirigis,
Qui præmia bonis tribuis, pœnas ſontibus,
Quid tantum miſera in te potui committere?
Quid commerui, aut quid offendi ſancte genitor?
Vt me horrificis iactatam tempeſtatibus,
Multis & ante cumulatam infortuniis,

Periclis

Periclis vndique circumuallatam nouis
Ferires hoc malo omnium grauiſſimo,
Mihiq́ tantum ac talem auferres Principem?
Othonem intelligo, leuamen vnicum,
Meum præſidium, propugnaculum meum,
Meæ ſalutis vindicem quam acerrimum.
Nimirum hoc triſte vulnus reſtabat etiam.
Quid nam dolens, Pater, quo læſo numine,
Tot me ærumnoſam impellis caſus voluere?
An more noſtro tantas fouet iras Deus?
Tuum ego numen ſemper colui caſtiſſimè,
Æthera fatigaui precibus quàm plurimis.
Tuas aras, templáque tua ſarta, tectáque
Seruaui, & hoſtes aditu prohibui truces.
Hiccine pietatis fructus? hócne præmium?
Hiccine honos? ſic viciſſim me remuneras?
Meíſne factis hanc rependis gratiam?
Si quam, pater alme, in te conſciui noxiam,
Certè pœnarum expendi ſatis, & affatim.
Cur non grauibus ſtatuiſti cladibus modum?
Non vlla lux ſecura adhuc fulſit mihi,
Nullusq́ propemodum lacrymis caruit dies,
Miſeriæ exitus vnius caput alterius eſt,
Non requies contigit vlla, aut tempus liberum,
Ætate iam feſſæ mihi, & gnatis meis.
Vt fluctum trudit fluctus, aqua cedit & aquæ
Sequenti, pellitq́ heſternum ſol craſtinus:
Recentibus ſic mala vetera vrgentur malis,

Curis

Curis conſenui vexata moleſtiſsimis.
Quid inceptem, aut quo reſpiciam infelix ego?
Amiſi ſpem meam, fiduciam meam
Secundum cælicolas, meum patrem alterum.
Quod vtinam mihi meus præſagiſſet animus,
Queſtu, eiulatu, fremitu, planctu, gemitibus,
Reſecrando voces fudiſſem lacrymabiles,
Tentaſſem omnia, mouiſſem quemcunq; lapidem,
Quî mecum retinerem Otthonem charum domi
Hîc in vita. Quid ni? manſiſſet forſitan,
Aut ore excepiſſem animam fugientem meo.
Lumina & illius tenera clauſiſſem manu.
Vt nauigium rectore ſpoliatum ſuo,
Procellas inter dubiis agitatur Notis,
Quando à ſedibus imis totum ruunt mare,
Montes ad curua conuoluentes littora,
Cum ex oculis vectorum nubes rapiunt diem,
Micatq; crebris vaſtus æther ignibus,
Neptuno fuſca toti nox & incubat,
Iam iamq; viris mortem minantur omnia,
Talis conditio, fors nec opinatò obtigit.
Vir Otho fuit, qualem tulerunt ſæcula
Vix vlla, nec aliquando fortaſsis ferent.
Heu me, quòd herbis mors nullis medicabilis.
Heu me, cur in bonos morti tantum licet?
Nunc ſquallidæ mihi in tenebris mœroreq;
Vita trahenda eſt, ducendi pectore gemitus
Ex imo flebiles: tempus luctum petit.

Corpus tabeſcit macie, & oculi refugiunt,
Perederunt exangues heu lacrymæ genas.
Non vllo ſum prope conſiſtere potis loco.
Quem ad finem ſe vertent tandem infortunia?
Quid inuocem præſidij, aut quam arripiam fugam?
Quod exilium? quóue accedam? quóue applicem?
Cui foris hoſtes ſæuiſſimi, orbitas domi.
O infelix, ô deſerta, ô miſerrima.
Haccine iam illa eſt Sueuia, quam olim cælo extulit
Gloria? cuius ob os ora obuertebant ſua
Teutones, eximiis prædicantes laudibus?
Immo enim verò non eſt, non eſt hæc, ſed alia,
Illi vetuſtæ diſtans longè plurimùm.
O multa fatu haud mollia, perpeſſu aſpera,
Quæ corpore exantlaui, quæq́ animo tuli.
Nec miles Romuleus vnquam tantum malum.
Tantasq́ meis clades inuexit liberis:
Nunquam hoſtilis me ſic afflixit dextera,
Vt afflixit fatum capitis chariſſimi.
Hos luctus non vllus metus, aut immanitas,
Non barbararum irruptiones gentium
Dederunt: cuncta infractè, & fortiter tuli.
O ſapiens Otho, norma ô, virtutumq́ ſpeculum,
Coruſco lucis tunc ſidere pulchrior,
Tu regum amor, magnum orbis & miraculum,
Tun' illuſtri fama notus ſuper æthera,
Tu, inquam, calcare potuiſti lethi viam?
Omnis ſpes noſtra præſidiis ſtetit tuis.

Ruinas

Ruinas fulciebat hic vnus meas.
At nunc crudele multi qui canant mihi,
Rumoribúſque pauidam crebris territent.
Veríſne an falſis, equidem non ſatis ſcio.
Vt vt ſit, ſpes ſolo locanda eſt in Deo,
Cuius præſtabit tutam me potentia,
Et cunctis ſuperiorem perduellibus.
O ſæua mors, rigida, cruenta, ferrea,
Quæ miſta iuuenum atq; ſenum denſas funera,
Quæ paruos, & magnos teris, quæ fortibus
Imbelles æquas, diuites egentibus,
Probos & improbis, ſtultos ſapientibus.
Heu, cui regendam me pater Otho tradidit?
Quis alter ab illo habenas nunc moderabitur?
Quis à gregibus immanes defendet lupos?
Quis paſtum viduas aget oues, vt addecet?
Funerea pullati nunc veſte ingredimini:
Agite, mœſtas cupreſſos ante ipſas domos
Statuite: omnibus vnus homo fatis occidit,
Qui ſingulorum commodo vixit prius.
Irrorent tumulo latices quibus iſtuc licet,
Multis floribus, & multa conſpergant roſa.
Facite largo cereus igne focus luceat.
Spargite ſuccos Aſſyrios, myrrhamq; addite,
Ter dicite, Othonus oſſa molliter cubent.
Sed finis eſto, neque enim præ lacrymis loqui
Poſſum vltra, & vſus vocis iam præcluditur.
Vale mi pater, ô noſtri lampas ſæculi,

O luci-

O lucidum bonorum ſidus præſulum,
Viue beatus cælo conſcriptus perpetim.

NÆNIA SECVNDA.

Academia Dilingana.

ET potero querulos vnquam frænare dolores?
Et poterunt lacrymis ora vacare mea?
Heu heu, non molles feriam plangore lacertos?
Vertice diſiectas non laniabo comas?
Quid fruſtra moror ab manibus diſcindere amictus,
Turpare indignum pulueribusq́; caput?
Sic ſic inſanum iuuet expleuiſſe dolorem,
Res ô triſtitiam non leuet vlla meam.
Nil niſi mœſta placent, ſola eſt lugere voluptas:
Qui doluiſſe vetat, me cupit ille mori.
Huc properent gemitus, lacrymæ properate fideles,
Singultúque comes rauca querela veni.
Ne qua vacet luctu, ne ſuſpiratibus hora,
Ploratus expers non eat vlla dies.
Ottho pater patriæ te iam tua fata tulerunt,
Crudelem iniecit prô tibi Parca manum.
Nec tua te pietas, nec morum plurima virtus,
Nec quod erat priſca nobilitate genus,
Quaúe per extremas ierant præconia gentes,
Legibus heu mortis ſoluere nil potuit.
Cúmque grauem innumeris dederint tua funera luctum,
Hic tamen exuperat qui mihi pectus edit.

Ottho

Ottho pater patriæ te iam tua fata tulerunt,
Amiſit columen Teutonis ora ſuum.
Quod ſolùm verita olim, & præſagire videbar,
Vt trux hæc noſtrum mergeret vnda caput,
Accidit hoc miſeræ. Superos voluiſſe putandum eſt:
Prouida cæleſtûm numina cuncta regunt.
Aſt tibi ego ludos, & carmina læta parabam,
Exſpectans reditus irrequieta tuos.
Horrea cœperunt quintas cerealia meſſes,
Meſſibus à grauidis quinta receſſit hyems,
Vrbem in Romuleam cum te, venerande, tuliſti,
Auſonidumq́; potens terra petita tibi eſt.
Eheu res aliter cecidit, mihi iuſta canendum,
Et plangenda chelys pectine luctiſono.
I nunc, i ſpera reditus Academia fauſtos,
Præſentemq́; patrem fingito adeſſe, licet.
Quid tandem volui infelix ego, retibus auras
Captaui, infelix littora quid colui?
Actum egi, & ſterili mandaui ſemen arenæ,
Et laterem laui. Quid volui miſera?
Fidere nil tutum eſt, ſpes heu voluuntur inanes,
Quod minimè credas, id tibi ſæpe venit.
Sæpe domum repetit ſero madefactus ab imbri,
Surgentem vidit qui ſine nube diem.
Eſt qui Neſtoreos ſibi iam promiſerit annos,
Seu vult, ſeu non vult hic tamen ante cadit.
Otho vale & ſalue æternùm, venerabilis Ottho,
O ego ſi poſthac te miſeranda fruar.

Non dabitur veras nos inter reddere voces,
Non manibus ſacris oſcula ſacra feram.
Ah ſaltem ſemel ante diem te cernere coram
Si potis, atque oculos exſaturare meos.
Si premere biſce datum morientia lumina palmis,
Funeris exequias & decorare tui.
At quoniam manet haud vlli reuocabile fatum,
Et rigido clauſa ſtant adamante via,
Teq; tuumq; vebam Pater vſque ad ſidera nomen,
Ipſa Sophoclæo carmine geſta canam.
Te quæſo charumq; caput, fidumq; parentem,
Hac cape pro meritis munera parua tuis.
Has lacrymas noſtrum tibi qui teſtentur amorem,
Accipe lugubres accipe verſiculos.

NÆNIA TERTIA.

Chorus Muſarum.

CALLIOPE. *QVam miſera eſt hominum conditio,*
Quantisq; malis iacet obnoxia?
Nunquam ſtabilis rerum permanet
Series, ac nihil immutabile.
Excelſa ruunt momento leui,
Iterum ſurgunt æquata ſolo.
Clade bonos malè fortuna ferit,
Eadem auget bonore indigniſſimos,
Ad libitum miſcens cuncta ſuum.
Partem in vtramque cadunt ſpem præter

Multa ſatis, bona mala, neutra etiam,
Nulli fas eſt proferre diem,
Numina quam ſtatuerunt vltimam.
Rigidum ius, imperium rigidum
Mortis, nimiumq́ potens ſceptrum.
Inimica, ferox, implacabilis,
Variis limitibus homines rapit,
Nec eadem ſemper venit orbita,
Nec habet ſemper ſimiles exitus.
Hîc Iro Crœſus nihil intereſt,
Stolidus nec differt ſapientibus.
Felix cecidit gladio Priamus,
Hauſit & arces Iliacas cinis,
Altum florentis caput Aſiæ,
Molemq́ ſuperbam cælicolûm.
Pius Æneas morte ſolutus
Occidit, animoſus perit Hector,
Facundus Vlyſſes vbi ſuperat?
Domitor monſtrorum occubat vmbris.
Paſtor Phrygius ſpecie tumidus
Poſtremum æui preßit cardinem.
At virtus pulchra mori neſcit,
Auidóſque rogos effugit vna.
Nunquam lethæos videt amnes,
Cælum hac ipſa petitur ſemita.
Hac ſine diues pauperrimus eſt,
Qua cùm pauper locupletißimus.
Aurum nihil eſt; argentum nihil,

Gem-

Gemmæq́; nihil, diuitiæ nihil,
Præ vt virtutis magnum eſt precium.
Hac perpetua celebris fama
Otho viuet, nullum ius Atropos
Habet hîc. Volabit per ora virûm
Seclis Otiho innumerabilibus.
Heu heu quis temperet à lacrymis?
Extinctus Otho ceſſit fatis,
Rerum extremam tetigit lineam.
Nunc nunc fletum ingeminate pium,
Date fræna dolori mea turba,
Liuida palmis tundite pectora,
Mœſtæ paſſas laniate comas,
Laniate genas vnguibus aſperis,
Facite Ottboni debita iuſta.

CHORVS. *Ottho ſuperis ceſſit ab oris,*
Ottho ſenatus pars purpurei,
Non infimus quoque inter Præſules,
Magnus magniq́; Sacerdos Dei,
Summorum dulce decus Principum,
Generatus ab antiquo ſtemmate,
Lumenq́; ſuæ, lausq́; familiæ.
Ottho ſuperis ceſſit ab oris,
Pietatis ſacræ auctor idoneus,
Cultorq́; Dei, vt qui vel maximus.
Quo diuûm nemo reuerentior,
Animi nemo magis intrepidus,
Cape fletus pater, heu cape planctus.

Tibi fœdamus puluere capita,
Tibi percutimus pectora dextris.
Tu præſidium, tu murus eras,
Teutoniæ portus, & aura tua.

CALLIO. Pergite comites lugere virum,
Facilemq́ bonumq́, & ſuperis parem.

CHORVS. Ottho ſuperis ceſsit ab oris,
Recti ſtudioſus, amans æqui,
Piger ad pœnam, ad præmia velox,
Animi prudens, ore diſertus,
Non humanus, verùm humanitas,
Promptum miſerorum perfugium.
Ottho pater accipe planctus bone.
Te raptum flemus, per niuea
Colla fluunt crines, tibi lacrymis
Madidasq́ genas en diſcerpimus.

CALLIO. Meritò, quis enim careat gemitu
Rutili poſt occaſum ſideris,
Poſt Teutonici occubitum ſolis?

CHORVS. Ottho ſuperis ceſsit ab oris,
Noſtri longè ſitientiſsimus.
Muſarum fuit Ottho cupidus.
Teſtis locuples Dilinga manet,
Hîc nobis culta Lycea dedit.
Vos ô Germani iuuenes ſoli
Reddite grates tam bene merito:
Nobis ſatis eſt fundere fletus,
Scindere veſtes, laniare ſinus.

Heu bone pater, heu, ô pater, ô pater.
Capitis corpus quale carens ſui,
Qualis & orba ſuo nupta viro,
Ouiumq́ grex abſque magiſtro,
Qualis & ater ſine ſole dies,
Talis ſine te Sueuia tellus.

EIVSDEM TVMVLI.

TVMVLVS I.

Germania loquitur.

SCilicet hæc noſtris reſtabant vltima fatis,
Totus vt, heu, noſter morte periret honos.
O pater, ô patrone, ô ſpes fidiſſima rerum,
O pater indignè prorſus adempte mihi.
Sed tua quę pietas, & ſpectatiſſima virtus
Non potuit rapidos effugere vna rogos?
Effugit, longumq́ eſt duratura per æuum,
Auſa in eum penitus mors furibunda nihil.
Quid tibi pro tantis reddam pater optime curis?
Quæue tuus capiet præmia iuſta labor?
Æqua tuis meritis ſolum cæleſtia regna:
Hæc tibi Otho tribuant numina ſancta, precor.

TVMVLVS II.

Ipſe de ſe.

QVI fuerim vt noris, paulùm huc concede viator,
Notas & iſtas perlege.
Sueuia mî patria eſt, virtute inſignis & armis,
Soliq́ flos Germanici.
Editus hinc ego ſum clarorum ſanguis auorum,
Hoc ſi quid ad rem pertinet.
Othoni eſt nomen, mea gens Truchſeſia dicta eſt,
Audita mundi finibus.
Ingenij capitur teneris mihi cultus ab annis,
Arteſq́ diſco nobiles.
Poſt vbi ſum factus plenis maturior annis,
Virilis & ſumpta eſt toga,
Sublimes variq́ mihi mandantur honores,
Ad res gerendas aduocor.
Sexta meæ cum primùm ætatis olympias acta eſt,
Vidiq́ luſtra bis tria.
Vrbs Auguſta ſuos commendat læta penates,
Epiſcopum creans ſibi.
Dehinc ornauit honore, trahit qui à cardine nomen,
Me Paulus ille tertius.
Carolus auctorem ſenſit fidum, ille hominum Rex
Et Imperator maximus.
Deniq́ quem dederat curſum Deus, ecce, peregi,
Vixi beatus gloria.

Autumnis bis ter denis iam ritè volutis,
Vitæ reliqui lumina.
Immo ego triſtificos luctus, mortemq́ reliqui,
Fruorq́ vita cælitûm.

TVMVLVS III.

ET *vos ô numeri phaleuciorum,*
Vos, inquam, numeri ſeueriores,
Meos ad gemitus, rogo, venite,
Et mecum ſatiate queſo luctus.
Othonem doleamus vſque magnum,
Quem mors atra ſuo peremit vngue,
Qui reconditus hoc iacet ſepulchro.
Iam nunc aggrediar loqui ſed vnde?
An dicam vt probitate vicit omnes,
Mentis robore nemini ſecundus?
Dicam vt iuſtitiæ patronus acer,
Vt cultor quoque liberalitatis,
Aduerſæ patiens, amansq́ fortis?
Geßit multa domi, forisq́ multa.
Ille & conſilio fidelis auctor,
Mores compoſuit, tulitq́ leges.
Ille & ingenuas amauit artes,
Acceſſu facilis, benignus ore,
Vindex relligionis & vetuſtæ,
Externis & amabilis, ſuisq́.
Quid plura? his meritis repleuit orbem.
Sed iam quid memorem datos honores

Magnos, eximios, nimiúq; multos?
Othonem lacrymis ſuis adauctus
Immenſum patriusq; luxit Iſter,
Othonem populusq; cum ſenatu,
Et qui myſtica dona fert ſacerdos,
Heu pium gemuere cuncta patrem,
Illiq; inferias dedere triſtes.
Vos vos nunc rogo cælites beati,
Cur paſſi celebrem interire Othonem?
Cur paſſi tenebris tegi malignis
Tam late radians in orbe lumen?
Veſtris anne phalangibus recepto
Vt quiretis eo frui perenne?
Sic eſt, ſic voluiſſe credo diuos.

TVMVLVS IV.

QVI flent Othonem mortuum velut alium,
Næ illi mea ſententia haud errant parum.
Vinclis enim qui corporis iam liberi
Ad aſtra volitant expedito tramite,
Hi ſunt profectò mage ferendi viuere.
Nam ceu ſepulchro incluſus animus delitet,
In craſſo, & obtuſo, ac malè olido corpore.
Cur ergo flemus Principem? non mortuum
Flemus, ſed abſentem dolemus, optime.

TVMV-

TVMVLVS V.

Viator, & Muſa.

V. Ecquis in hoc Mauſolæo, dea, clauditur heros?
M. Delicium ſuperûm, deliciumq́ hominum.
Ottho decus patriæ, fama celeberrimus Ottho,
Ottho Teutonici gloria lausq́ ſoli.
V. Cur non huic facta eſt fatalis gratia legis?
M. Summa Dei interdum munera poſſe mori:
Naturæ vixit ſatis, & ſat vixit honori,
Virtuti demum vixerat Ottho ſatis.
Carcere ceu tetro liber, vincliśq́ leuatus,
Redditus eſt patriæ maximus Ottho ſuæ.
Curarum vacuus modo, ſecurusq́ laborum
Cælitibus iunctus nil metuiſſe poteſt.
V. Cur abiit tamen? M. Hæc homines ſors dura fatigat:
Naturæ hæc omnis debita ſoluit homo.
V. Cur tumulus tantùm madidus? M. Quia mortuus Ottho eſt
Orbis ſingultu totius & lacrymis.
V. Ante alios quare hunc tanto dilexit amore?
M. Quod bonus ante alios, integer ante alios.

TVMVLVS VI.

QVI vixit aliis Ottho, nunc viuit ſibi:
Hinc eſt, quod homines eſſe dicunt mortuum.

IN MORTEM ILLVSTRISSIMI EGOLPHI PONT. Auguſtani.

MONODIA.

SAlſas fundite lacrymas,
Larga educite flumina.
Fati ah dura neceſſitas,
Et decreta adamantina
EGOLFVS pater occidit.
Iam iam triſtia pangite,
Docta carmina virgines,
In luctus animum date.
Ecce veſter honos, amor,
Splendor, præſidium, decus,
Tutor maximus omnium,
EGOLFVS pater occidit.
Cultus ſumite lugubres,
Palmis tundite pectora,
Crines puluere ſpargite,
Veſtros nunc gemitus age,
Ploratuſq; miſerrimos.
Cælum, terra, mare, audiat.
Heu heu, ô dolor, ô dolor.
Quid primùm querar ah miſer?

Quid

Quid querárue potiſſimùm?
EGOLFVS *pater occidit.*
Heros ſanguinis integer.
Nondum ſparſit anilitas
Albis tempora crinibus.
Membris robur adhuc erat,
Et vires iuuenum bonæ.
Sed mors eſt nimium ferox.
Mors crudeliter imperat.
Sic ſic ante diem pater
EGOLFVS *pius occidit.*
Mœſtas dicite nanias,
Clarum mors rapuit virum,
EGOLFE *exanimis iaces.*
Tu lumen patriæ tuæ,
Tu murus fidei ſacræ,
Tu ſolamen egentium,
Tu portus quoque naufragis,
Bonis charus & omnibus.
Te te quærimus vnicum,
Suſpiramus & vnicum.
Sed quem quærimus vnicum,
Mors crudelior abſtulit.
Flos pulcherrimus aruit.
Lumen Cynthia perdidit,
Sed effulgere deſiit,
EGOLFVS *ſimul occidit.*
Luctus iungite luctibus,

Fletus

TVMVLVS II.

Idem.

POſt varios tandem morbos, longumq; laborem,
Optatam requiem mors miſerata tulit.
Vt me Pontificem patres, populuſq; crearunt,
Membrorum virtus debilitata mihi eſt.
Apriles vidi binos, totidemq; Decembres,
Præſulis en mihi honos quàm breuis iſte fuit?
Ite alij, nitidaſq; comis optate tiaras:
Ite amplas cupidi quærite diuitias.
Tumba meo cineri modo ſufficit iſta, tegitq;
Paruula terra mei corporis exuuias.

TVMVLVS III.

Muſæ.

QVicunque Aonias fouet ſorores,
Ac ſe litterulis facit patronum,
Hic verò eſt ſapiens, & Imperator,
Princeps, Rex, & Epiſcopus vocari
Debet: quandoquidem iſta cura ſemper
Principium eſtq;, fuitq; maximorum.
Ergo EGOLFVS in hoc cubat ſepulchro,
Quem vos nomine quolibet vocare,
Immò immo ſimul omnibus poteſtis.
Namque hic nos ita fouit, atque amauit,
Quantum omnes potuere nos amare,
Quot ſunt, & quot erunt, & extiterunt.

TVMVLVS IV.

Quæſtio.

CVM ſit conditio aqua demigrandi
Ex hac colluuie omnibus ſtatuta,
Et mors verticibus perenne noſtris
Ceu ſaxum graue Tantalo minetur,
Qui fit vt citius probi recedant,
Improbi maneant trecenta luſtra?
Illi ſint miſeri ſatis, ſuperquè:
Iſti rebus at omnibus beati
Viuant vt libitum ſatis, ſuperquè?
Vita hæc digna bonis nec eſt, nec vnquam
Fuit: iam illa malos profecto non vult.
Hinc eſt quod mala multa ſuſtinenti
EGOLFO atria ſunt recluſa cæli.

TVMVLVS V.

De gentilitiis eius inſignibus.

OStentent alij clypeis horrentia ſigna,
Quales nempe feras terra Libyſſa parit,
Virtutemq; decusq; ſuum per talia monſtra
Prodant, illorum moribus aſsimiles.
EGOLFVS vir erat, cui ſolum æterna placebant,
Iſta animo ſecum voluerat aſsiduo.
Idcirco è miſera cupiebat cedere vita,
Quam certum eſt nulli ſuppeditare diu,

Tempo-

Tempora quo optatam ferrent æterna quietem,
Puluillo incumbens annulus hoc docuit.

TVMVLVS VI.

Mors, & Virtus.

M. *Sola tenes lachrymas, nec lamentabere Virtus?*
V. *Et cur lamenter?* M. *Magnus* EGOLFVS *obit.*
Scilicet hunc animam ſola expirare coëgi,
Pertulit imperij ſceptra ſuperba mei.
V. *Non ita, ſed viuit melius quam vixerat ante.*
M. *Qui tandem?* V. *Quoniam viuit apud ſuperos.*
M. *At certè patriam, fortunas, corpus, honores,*
Regum & amicitias, hæc ego cuncta tuli.
V. *Quinimmo hæc eadem multum cumulata dediſti:*
EGOLFO *eſt ſiquidem patria clara polus.*
Dein nullas modo quærit opes, neq; captat honores,
Vnus quem ſaturat cælicolûm ipſe pater.
At corpus viuo carcer fuit atque ſepulcrum,
EGOLFO *ergo meo quid nocuiſſe potes?*

TVMVLVS VII.

Ipſe ad mortales.

SVpremum nobis lacrymas dant munus amici,
Meo dolentes funere.
Ah hominum mentes quam deuius occupat error?
Qui fluxa tantum diligunt,
Ætatemq; ſtudent longos extendere in annos,
Milleſimum vſque in ſæculum.

Vos infelicem miſeri deplangite vitam,
Timore quæ nunquam caret.
Defuncti attigimus littus, portumq; tenemus,
Dum vos natatis naufragi.

IN OBITVM SERENISS. PRINCIPIS ALBERTI BAVARIAE Ducis, patris patriæ.

Ad Sereniſs. GVILELMVM filium.

SI nemo eſt adeo ſenſu deſertus ab omni,
Nemo tam fero, & immanſueto pectore, quem non
Principis ALBERTI commôrint triſtia fata,
Cui non & gemitum dederint, dederintq; dolorem,
Quid te par facere eſt ALBERTI ſanguinê cretum,
O GVLIELME Ducum Dux præſtantiſſime? quos non
Rupiſti gemitus, quæ non lamenta dediſti?
Cum aſpiceres mœſtus dilectum ante ora parentem,
Iam voce orbatum, & correptum frigore membra
Exhalantem animam, & ſub leges mortis euntem.
Quæ tum ibi verba tua, heu, fletus quantiq; fuerunt?
Nunc etiam ô quàm ingens verſat ſe in pectore luctus?
Parce tamen lacrymis, finemq; impone dolori,
Ne contemne, precor, tanti ſolatia caſus
Dux magne, atq; omnes hac conditione creatos,
Vt ſemel egreſſos vitæ nos clauſtra relinquant,
Mox vbi Rex ſuperûm fatalem induxerit horam,

Cum non ignores, tibi ſubiice, & omine fauſto
Cælicolûm plaudente choro, plaudente ſenatu,
Et populo lætas feſtum celebrante per vrbes
Imperium occipias, heros diuine, paternum.
Te GVLIELMVS *auus, pater ipſe* ALBERTVS *ad omnem*
Hortentur iunctum ſolida cum laude laborem.
Nos quoq; te propter donis cumulabimus aras,
Vnanimesq́; piis onerabimus æthera votis,
Vt ſubiecta tibi pacem gens nacta perennem
Viuat, & obſcuret reliquas te Principe gentes,
Nec ſtudiis, nec amore tui vincemur ab vllis.

EPICEDIVM I.
Maria Iacoba Alberti mater.

IAM *funus ecce ducitur gnati mei,*
Et æra celſis concrepant in turribus.
Prodibo mœſta, ſanguinem ſequar meum,
Condam ſepulchro corporis partem mei,
Tellusq́; matrem ſuſcipiet in filio.
Iam iam madeſco lacrymis fidelibus,
Prælargus imber pallidas rigat genas.
En gutta guttam tangit, & vocem frequens
Singultus interrumpit. O miſerrimam
Me fœminarum, quot tulêre liberos.
Quæ dicta quondam ALBERTE *mater ſum tua,*
Nunc perdidi dulciſſimum vocabulum,
Cum perdidi ſuauiſſimum te filium,

Mea ſenectutis leuamen vnicum.
Honori erat creaſſe tantum Principem,
Factis ferentem ſemet vſque ad ſidera.
Hunc mors honorem dempſit improbiſſima,
Mihiq́; ſolidum inuidit atrox gaudium.
Dilecta mater extiti ALBERTO *meo,*
Dilectus ALBERTVS *mihi matri ſuæ.*
Quam triſtis ipſe matrem? & ipſa filium
A me reuelli paſſa ſum quam ægerrimè.
Nunc orba ſum vere. Virum amiſi diu,
Deinde fatis nata conceſſit ſuis,
Natum loco mors interemit tertio,
De me triumphum deſtinat quartum ſibi,
Me ac ſi iuuet ſolem tueri longius,
Et blandiatur vita morte dirior.
Spirare iam timeo diu, haud mori citò,
Confecta poſtquam annis malum hoc adepta ſum,
Malum malorum quotquot extant maximum.
Vt vnico occidenti iuſta ſoluerem.
ALBERTE *magno te dolore enixa ſum,*
Aſt hunc dolorem ingens ſecutum gaudium.
Hunc alterum, immo iſtos dolores plurimos,
ALBERTE, *quodnam conſequetur gaudium?*
Vnum hoc puto, vt vitæ reſecto ſtamine
Ad te in beatam hinc euolem ætheris domum.
Mi nate ſalue, matris & memor tuæ
Eſto, vſque dum iungatur hinc abiens tibi.

EPICEDIVM II.

ALBERTI filij & filiæ.

ET noſtras audi pater ô pater alme querelas,
Cum gemitu ingenti quas damus, & lacrymis.
Aſpice natorum vt tabeſcant lumina fletu,
Aſpice natarum vt permaduere ſinus.
Lugemus quia fas charum lugere parentem,
Nec finem noſter luctus habere poteſt.
O dulcis genitor, quantum ingemuiſſe neceſſe eſt?
Quantum flere tuo ſemine progenitos?
Cum te ſic plorent vrbes,alienáque regna,
Queis ob virtutem ſuſpiciendus eras.
Luxerunt etiam gelidæ pia funera cautes,
Creuerunt lacrymis flumina & aucta ſuis.
Quam varios, quamq́; inſolitos mors vna dolores
Incuſſit ? tecum ah mortua noſtra domus.
Degimus in tenebris, & nocte vagamur opaca,
Ex quo nox radios preſſit acerba tuos.
O lux,præſidium, ô generis ter maxima noſtri
Gloria,cui nos, cui deſeris alme pater?
Præceptis tu nos docuiſti viuere ſanctis,
Formandis leges moribus ipſe dabas.
Te prudente nefas vllam committere noxam,
Magnus eras nobis atq; amor, atque timor.
Maieſtas vultusq́; tui,moratáque verba
Officij callem nos monuere ſequi.

Heu mortem indignam, heu iucundũ lumen ademptum,
Heu tecum noſtra eſt mortua tota domus.
Nos amor ille tuus in vita dulcis alebat,
Nunc vnum ex vno funere funus adeſt.
Omnia nunc ſqualent, perierunt commoda noſtra,
Et quid non tandem te pereunte perit?
Ah, mœror ſolus noſtro ſub pectore viuit,
Ille etiam lacrymis ſufficit aſsiduis.
Non poterunt luctus finem reperire, nec vllum
Lamenta, ô genitor, ſunt habitura modum.
Prorumpent oculis lacrymarum flumina noſtris,
Dum memores erimus ô pater alme tui.
Et memores erimus donec ſuperabimus, & nos
Nec mors ipſa tui fecerit immemores.

EPICEDIVM III.
Ad Mortem.

DIC, tibi quid nocuit, dic, implacabile monſtrum,
ALBERTVS meritis, & pietate grauis?
Robore quem inuictum ſternis, recinisq́ triumphum,
Immenſas prædas, & ſpolia ampla legis.
Quot nobis clades lethum crudele dediſti?
Portaſti hocce malo quam numeroſa mala?
E vita ALBERTVS fatis vrgentibus iuit.
Heu heu, cur tantum mors tibi ſæua licet?
Olli fatales ſoluit mors frigida nexus,
Compellens Phœbi lumina deſerere.

Plore-

Ploremus Mæcenatem, ploremus amicum,
Ploremus totis noctibus atque die.
Nam quis non fleret tam diro funere merſum?
Flerent & ſuperi, ſi modò flere queant.
Tibia funereos edat triſtiſsima cantus,
Veſtiat & pullus atria longa color.
Ille ſuis decori, picta ceu vitibus vua,
Ceu poma arboribus, pennigeríſue aquilæ.
Si quis dignus erat Tithonia viuere ſæcla,
Hic erat: ah mors eſt imperioſa nimis.
*A*LBERTO *horriferi calcata eſt ſemita lethi,*
En, quæ debuerat ille tributa, dedit.
Ille erat vt ſacras ſtudio flammante Camœnas
Diligeret, plenis munera dans manibus.
Et iuſti reuerens, & ſeruantiſsimus æqui,
Principe quo viguit inuiolata fides.
Longinquas illum portabat fama per vrbes,
Ibat & ALBERTI *nomen in ora virûm.*
Hic quoq; præ innumeris fulſit tot laudibus heros,
Spicula quod necdum liuida mors habuit.
Heu, talis potuit fato ſuccumbere virtus?
Heu tantum ingenium, tantáque nobilitas?
Nunc, ALBERTE, *iaces tenuem mutatus in vmbram,*
Nil tumulus præter nomen, & oſſa tenet.
Iam nudus, gelidúſque iaces, atq; arida puluis,
Sicne puellarum ferrea iura trium?
Vt te optaremus redeuntem ad limina vitæ
Spectare, & voces excipere vſque tuas?

Longinqua ALBERTO *nox ingruit: omnia carpis*
O mors, & nil non inſaturata voras.
*A*LBERTO *vna dies finiuit tempora vitæ,*
Aſt famam nunquam finiet vlla dies.
Et tu quæ ALBERTO *hanc rapis immaniſſima lucem,*
Lucem illi ætheriam non etiam rapies.

EPICEDIVM IV.

Nepotes, & Neptes ALBERTI.

Nep. *Auo carmina dicite,*
Cantus promite lugubres.
Aui fata ſororculæ
Mæſta voce canamus.

Nept. *Cantemus pueri patrem,*
Patrem præ omnibus optimum,
Pleni lacrymulis genas
Mæſta voce canamus.

Nep. *Queis nam te regionibus*
Veſtigabimus ô pater?
Flentes ecce nepotuli
Soluimus tibi iuſta.

Nept. *Quonam blanditiæ tuæ?*
Quonam riſus,& oſcula?
Quonam te mala mors rapit?
O mors imperioſa.

Nep. *Quando ad nos reditum paras?*
Quando nos genibus tuis

Aui

Qui dulce vocabulum
Aſtantes repetemus?

Nept. *Puppas en tibi proprias*
Omnes tradimus, inſuper
Et gemmata monilia,
Si nos fortè reuiſas.

Nep. *Offendes pueros bonos.*
Ludorum tua præmia,
Victores erimus tibi,
Si nos fortè reuiſas.

Nept. *Quare nil loqueris pater?*
Quare nos refugis pater?
Blandùm fare puellulis.
Iam ſatis ſiluiſti.

Nep. *Cur non reſpicis ô pater?*
Cur audis nihil ô pater?
Iam nos reſpice, & audias
Turbæ verba puſillæ.

Nept. *Heu mutus ſilet, heu abeſt,*
A nobis nimium procul.
Ploremus pueri patris
Funus, flebile funus.

Nep. *Non audit, neque reſpicit,*
Vota diripiunt Noti.
Condamus tumulo patris
Funus, flebile funus.

EIVSDEM TVMVLI.

TVMVLVS I.

Ipſe loquitur.

Fatales impleui annos, curſumq́ peregi,
Lampada trado aliis, ſopitus morte quieſcam,
Exors curarum tandem, liberq́ laborum.
Ille ſator rerum omnipotens decedere iuſſit,
Securum patriis moderantem legibus vrbes.
Diues opum variarum, & ſpectatiſſimus orbi,
Principum amicitia florens, populiq́, patrumq́
Clarus honore, & gente mea dilectus ab omni
Ante fui: aſt hodie quid ſum? quid? puluis & vmbra.
Quod bene patraui, migrantem ritè ſecutum eſt:
Ex reliquis nil me ad rigidum tetuliſſe tribunal
Credatis licet: & vos qui felicia regna,
Qui latos populos frænatis iure ſuperbo,
Ponite ſpes longas: vos ipſos noſcite quæſo,
Diligitote Deum, & virtutem pectore puro.
Sola bonum virtus, ægrorum cætera ſomni.

TVMVLVS II.

Vxor ad ſepulcrum.

Optabam, mi ALBERTE, *oculos te claudere noſtros,*
Fruſtra verùm, eheu, vota fuère mea.

Ipſa

Ipſa ego cum fletu morientis lumina preßi,
Captaui infelix vltima verba tua.
Par fuit vlterius mecum te viuere, tecum
Aut certè fati me ire ſub imperium,
Quando animæ pars magna tuæ viuebat apud me,
Quando pars animæ tu mihi maior eras.
Quò diuerſus abis? quò quò dulcißime coniux?
Tam ſine te potero viuere, quam ſine me.
Intereaſed enim dum extrema illuxerit hora,
Et mea iuncta tuis oßibus oſſa cubent,
Accipito inferias quos velli à vertice crines,
Interea has lacrymas puluis amata bibe.

TVMVLVS III.

LAnifica poſtquam ſecuerunt fila puellæ,
Venit & ALBERTO funeris atra dies,
Dira fremens, vultuq́ minax, telóque cruento,
Mors ſuper aßiſtens talibus increpuit.
Heus Princeps, age nunc ſub terras frigidus ito,
Omnia quæ rapio, te rapere aduenio.
Sic mors: quam ALBERTVS contra eſt affarier auſus:
Bellua, nil tua nil dicta timoris habent.
Vita fuit bellum, dabitur poſt fata triumphus.
Tu bona ſi ferias, tu mala ni ferias.

TVMVLVS IV.

NE tumule ALBERTVM poſſes decorare ſepultum,
Illius hoc virtus abſtulit alma tibi.

Quæ celebrem Heſperiis, celebrem quoq; reddit Eois.
ALBERTVS fama ſufficit ipſe ſua:
Quiquе egit ſuperans expertem crimine vitam,
Nunc diuûm in medio gaudia lætus agit.

TVMVLVS V.

ALBERTI dum animus vitalem abrumpere nexum
Pugnat, vt hinc properis curſibus aſtra petat,
Circumfuſa piis vxor veneranda lacertis,
Atque genas tepidis ebria lachrymulis,
Ah miſeram, incepit, cui me mi ALBERTE relinquis?
Quam cuperem tecum nunc mea vita mori?
Par tempus veniet tibi, ait, fidiſſima coniux,
Quod modo ſeiunctos iungat amabiliter.
Et quoniam hæc ſummi Rectoris certa voluntas,
Ecce libens ibo, quò Deus ipſe vocat.
Ille vnus curat viduas, depone dolorem,
Et vale, & ALBERTI ſis memor vſque tui.

TVMVLVS VI.

SI vita non eſt vita, ſed mors eſt magis,
Qui deſinit mori, hunc ne tu dicas mori?
ALBERTVS erat in morte, & erat in carcere,
Poſt emicuit arcta leuatus compede,
Vitam vitalem inchoauit degere.
Ille ergo viuit, mors at ipſa mortua eſt.

TVMV-

TVMVLVS VII.

TAM vilis tumulus ALBERTVM non decet, inquis.
Idcirco ALBERTVS nō habet hunc tumulum.
Oſsibus, & cineri ſatis hic locus, ipſa viri mens
Pro tumulo ſedes obtinet aſtriferas.
Aut nulla, aut iſthæc regio tibi conuenit. Ergo
Salue anima æternis addita cælicolis.

TVMVLVS VIII.

ALBERTVS ad vxorem, & filios.

SIT flendi finis mea pignora, tuq; modum fac,
Dilecta coniux lacrymis.
Poſſem ego ſi ſuperas reuocari in luminis oras
Veſtris tot eiulatibus,
Iuſtum forſan erat lacrymis dimittere habenas,
Auróque fletum quærere.
Nunc dolor, & fletus veſter non proficit hilum.
Cur plangitis animæ meæ?
Obſecro, quid mirum eſt fato concedere quenquam,
Qui natus eſt homo hominibus?
Non equidem inuitus naturæ debita ſolui,
Ne poſt coactus ſoluerem.
Nec miſerè mecum, mihi ſi modò creditis, actum eſt.
Redire ſi queam, haud velim.

TVMVLVS IX.

QVI primus Latio tulit ex Helicone coronam,
Ne quis poſt obitum mî lacrymetur ait.
Aſt qui Cecropiis leges deſcripſit Athenis,
Mors mea carorum ne careat lacrymis.
Nec prorſus vetuit, nec prorſus iuſsit amicos
Poſt mortem ALBERTVS *dedere ſe lacrymis.*
Iſtuc magnanimo, & generoſo principe dignum eſt.
Aſt pietas, & amor quid iubeant? lacrymas.

TVMVLVS X.

HOC ſita ſunt tumulo ter magni Principis oſſa.
Ad tumulum ſacri ſpargite roris aquam.
Addite odoratos ignes, ſimul addite vota,
Dicite, & ALBERTO *ſit ſine fine quies.*
Tu quoq; cæleſtûm numen venerare ſacerdos,
Purus vti maculæ ſpiritus aſtra colat.

TVMVLVS XI.

ALBERTVM *coluiſſe æquum ſine fraude, bonumq;,*
Vel morte in ipſa claruit.
Tunc etenim partes vbi ſe diſcreuit in ambas,
Coniunctus è quibus fuit,
Terrenum quod erat terræ, tumuloq; rependit,
Cæleſte cælo reddidit.
Puluerem habet buſtum, & proceri corporis artus,
Oram ætheris mens incolit.

TVMV-

TVMVLVS XII.

PRô quale abſcondit quæ deuorat omnia tellus?
Teutoniæ ſolem clauſimus hoc tumulo.
Dictum habeo ſatis: ah ne lector plura require,
Plura vetant lacrymæ, tu quoque da lacrymas.

TVMVLVS XIII.

SI tecum reputabis ô viator,
Quot incommoda ſuſtinenda nobis,
Quot cæca mala perferenda ſortis,
Dum in vita miſeri vagamur iſta,
Quot curæ exagitent, motúſue quales
Vſque purpureos premant tyrannos,
ALBERTVM *haud miſerum, arbitror, putabis,*
Qui nunc eſt vacuus moleſtiarum,
Curas deſeruit tumultuantes,
Haud quenquam metuit, nihilq́; luget.
Si tecum reputabis ô viator,
Quantis ille bonis fruatur, & quam
Parârit ſibi magna gaudiorum,
Iunctus cælicolis, deóque iunctus,
ALBERTVM *potius feres beatum,*
Nec deinceps lacrymaberis receſſum
Tanti Principis: immò verò eundem
Multis ipſe precaberis receſſum.

IN EVNDEM,

EPIGRAMMATA.

I.

ALBERTVM *quiſquis non plorat funere ademptum,*
Neptuno hic genitus durior eſt chalybe.

II.

Ad Muſas.

ET *Graiæ & Latiæ lugubria dicite Muſæ,*
Veſter apud ſuperos deſiit eſſe pater.
Scitis vt ille nouum vobis ſacrarit honorem,
Scitis in hoc veſtri Principe quantus amor.
Sumptibus immenſis librorum millia centum
Mercatus, vobis condidit hoſpitium.
Hoſpitium regale quidem, cultuq; ſuperbum,
Templa auguſta, aliis inuidioſa locis.
Pro tantis igitur benefactis reddite grates:
ALBERTI *ſtellis nomen & inſerite.*

III.

Ad Germaniam de interitu Alberti.

H*Eroum genetrix, Regum Germania mater,*
Quis queat, oro, tuam non doluiſſe vicem?
Vnum oculum nuper nimirum, atq; vnicum habebas,
Clauſit at ipſa tibi hunc inuida mors oculum.
Poſthac quid metuas niſi noctem orbata nocentem,
Lumine tam nitido quæ viduata taces?

IV.

VIR magnus ALBERTVS fuit. quis hoc neſcit?
Notusq́ cunctis gentibus. quis hoc neſcit?
Fidem patrum tutatus eſt. quis hoc neſcit?
Conſtans, pius, ſi quiſpiam. quis hoc neſcit?
Dilexit ille literas. quis hoc neſcit?
Amauit & concordiam. quis hoc neſcit?
Miranda in hoc auctoritas. quis hoc neſcit?
Verendus ipſis Regibus. quis hoc neſcit?
Imago Principis boni. quis hoc neſcit?
Natos reliquit optimos. quis hoc neſcit?
GVLIELMVS excipit patrem. quis hoc neſcit?
Victurus eſt quot ſecula? Deus hoc ſolus.

V.

MAgnanimo ALBERTO vt primum lux vltima fulſit,
Attulit & ſomnum flebilis hora ſuum,
Inclyta Parnaſſi luxerunt funera colles,
Virgineusq́ Helicon altius ingemuit.
Depoſuit Phœbus Daphnææ frondis honorem,
Iuſſit & auratas obticuiſſe fides.
Ceſſauere nouem choreas agitare puellæ,
E quibus hæc viſa eſt Calliopea loqui.
Mutemus cantum, lachrymis dedamus ocellos,
Spes noſtri extincta eſt, ô dolor, vna chori.
Muſarum columen, propugnatorq́, paterq́,
Heu heu crudeli funere raptus abit.

VI.

VI.

CVM iam inuaſiſſet lethum frigentia membra,
Diſtaret latum mors nec auara pedem:
Terra vale, valeant vrbes, me expectat olympi
Imperium, ALBERTVS ſic ait, & moritur.

VII.

Ad ALBERTVM.

NON triſtes inter gladios, ſtrepitumq́ tubarum,
Cum clypeus clypeum, vir premit atq́ virum,
Sed pace in media vitam producere ceſſas:
PACIFICATOREM ſic obiiſſe decet.

VIII.

INſignem pietate virum, vultuq́ verendi,
Et moribus grauiſſimum,
Sepius ALBERTVM ſtupuit Germanicus orbis,
Regnis & aptum cenſuit.
Hunc tamen ecce virum mors importuna ſubegit,
Nec vultus ipſam terruit.
Nec flexit pietas, nec rerum maxima virtus.
O ſæua mors, ô ferrea.
Quando igitur parces qui Bacchanalia viuunt,
Monteſq́ ad aſtra fabricant?

IX.

Ad BAVAROS.

GEns deuota Deo, vetuſta, fortis,
Gens clariſſima gentium, quid imis

Sic te affligis, & angeris medullis,
Ob raptum patria tibi parentem?
O ſuſpiria ſperne, parce fletu,
Si Proſerpina non fugit vel vnum
Implacata caput, ſi abimus omnes,
Si bulla quaſi diſſipamur omnes:
Nec Diuos ita quiſpiam fauentes
Senſit, vt duplicare poſſet annos.
Illud lætitiæ tibi magis ſit,
Quod hæres bonus optimum parentem
Excipit, Gulielmus ille magnus,
Virtutum ſimul omnium patronus.
Nil eſt integrius, benigniúſque,
Nil æque placidum, nihilq́ prudens.
Princeps hic numeros adeptus omnes.
Te cælum bene amet, tuamq́ ſtirpem,
Cum conſorte thori, piamq́ matrem,
Fratresq́ vnanimes, ſimul ſorores.
Fælix conſilio, actibusq́ felix;
Annis vel Pylium ſenem præito,
Auroræ vetulum præi maritum.

X.

P*Rudens erat Albertus homo. Vnde factus eſt?*
Libros amabat non ſecus atque liberos.
Erat homo pius Albertus. Vnde factus eſt?
Voluebat animo ſempiterna præmia.
Iuſti tenax Albertus. Vnde factus eſt?

Pœnas iniquûm cogitabat perpetes.
In pauca conferam: fuit vir optimus
ALBERTVS. Vnde factus? à ſolo DEO.

XI.

QVI ALBERTI decora, & virtutes noſſe laborat,
Vel nondum eſt natus, vel, puto, natus heri eſt.

Tumulus Sereniſs. Helenæ Virginis, Imp. Ferdinandi filiæ.

EXcelſo generata loco, Regumq́ propago,
Cui facilem pietas ſtrauit in aſtra viam,
Ipſa ſuum hoc tumulo mandauit ponere corpus,
Mente nec imbelli fata ſuprema tulit.
Contempſit thalamos, & ſceptri iura ſuperbi,
Contempſit ſeſe regia virgo magis.
Sic Helene vitam veluti moritura trahebat,
Sic lethum veluti viua futura ſubit.
O felix animi virgo, tibi poſthuma fama
Te penna ſolui non metuente vehet.

Tumulus Chriſtophori Dœſneri Poëtæ, & Muſici.

AH, etiam diuûm decedunt cura poëtæ,
Præterit & nullum mors truculenta caput.
Biſtonius cithara Plutonem flexerat Orpheus,
Flexit & Amphion ſcrupea ſaxa chely:
Chriſtophorus duram Lacheſin ſuperare nequiuit,
Voce licet dulci, carminibusq́ canens.

Sed qui mortales fidibus permulſerat aures,
Iam ſuperis plectro nobiliore canit.

Tumulus Petri Rami, doctorum hominum Furiæ, Pariſiis trucidati. M. D. LXX.

LVctiſonum poſtquam deſcendit Ramus ad Orcum,
Conſtitit ad ſtygias vt veheretur aquas.
Hic miſerum increpitans lethæi portitor amnis,
Vectum iuridicos compulit ante viros.
Conueniunt in quos calamum diſtrinxerat olim:
Nimirum iſtorum pars numeroſa fuit,
Clarus Ariſtoteles, facundi & Tullius oris,
Porphyrius, Fabius, quosq́ referre mora eſt.
Hos inter cauſſam pro cunctis Tullius inſit,
Ob noxam ad pœnas poſtulat huncce rapi.
Tum ſic alloquitur trepidam Gortynius vmbram:
Iámne venit ſceleri debita pœna tuo?
Túne iſtos auſa es petulanti carpere morſu?
Túne iſtos auſa es, túne docere viros?
Nunc lue ſupplicium, & meritas ſolue improba pœnas,
Euge ſceleſta, viris parcere diſce bonis.
Mox iubet æternis vlulantem tradere flammis.
Ramus enim flammas paſcere dignus erat.
Talia poſt obitum ſperabit præmia, quiſquis
Doctorum manes non requieſſe ſinit.

Tumulus Georgii Comitis ab Helfenſtain.

Magnus erat virtute, & auito ſanguine magnus,
Hic modò quem tumulus puluerē & oſſa tegit.
Ille datos quoties à Cæſare geßit honores?
Militiæ præſtans artibus, atque togæ.
Gallia quem timuit ductantem mille cohortes,
Quem fidum experta eſt Pannonis ora ducem,
Et coniurata intrepidum ſenſêre phalanges,
Agmina dum primus Cæſariana regit.
Rexit & ille tuam pro te Fernande Tyrolim,
Conſilio ſacri præfuit imperij.
Romuleas venit ſapiens orator ad arces,
Venit & ad populos miſſus Ibere tuos.
Miſſus adit toto ſemotos orbe Britannos,
Eius in his valuit non temerata fides.
Poſt titulos ſed enim, & duri certamina Martis,
Mors immortalem meſſuit atra virum.
At tibi iam male ſit mala mors, quando omnia perdis,
Quidquid & egregium eſt aſſeris omne tibi.

MISCEL-

MISCELLANEORVM POEMATVM

LIBER PRIMVS.

De inſignibus GREGORII XIII. Pont. Max.

GRegorius gerit alatum fera ſigna draconem,
Cauſſam noſſe cupis? commoda cauſſa ſubeſt.
Mente, animoq́; alios ſupra omnes cernit acutum,
Maior & humana conditione, volat.

De Sene, & Morte.

HVmeris minuta ligna portabat ſenex,
Sub faſce ſudans non parum iniuſtiſſimo.
Tandem reiiciens permoleſtam ſarcinam,
Mortem inuocat, tanquam laboris terminum,
Quæ terrifica propter virum cito aſtitit,
Interrogans, quid ille nam vellet ſibi.
Illico ſenex toto perhorrens corpore,
Onus hoc volebam imponeres, ait, mihi.

In Laurentium Surium, Diuorum vitas colligentem, digerentem, & illuſtrantem.

OMnes cælicolæ erudite Suri,
Quorum tu memoranda facta, dicta

Tot voluminibus notare pergis.
De tam frugifero te amant labore,
Atque amplas tibi gratias agentes,
Orant ſollicitè omnium parentem,
Vt cùm efflaueris halitum ſupremum,
Cæleſtem bonus euoles in aulam,
Et fælix ſuperûm augeas cateruam.

De lingua.

HAVD *lingua membrum eſt homini præſtantius vllum,*
Atque iterum nullum plus nocuum eſt homini.
Lingua gerit miſtum dulci cum melle venenum,
Percutit, & blandam, ſi lubet, addit opem.
Quod ferrum nequiit, quod non potuêre cohortes,
Sæpius effectum lingua diſerta dedit.
Quod ferrum potuit, nec non potuêre cohortes,
Sæpius infectum liuida lingua dedit.
Tam modico vnde, precor, tam magna potentia membro?
Cur rem tam nihili vincere nemo poteſt?

In gemmas.

E *Quidem potens eſt veſtra vis lapilluli,*
Mittunt abundè quos Eoa littora.
Vt ſæpe narrat doctus ille Plinius,
Cauſſasq́; rerum qui penetrant altius.
Verùm vna virtus veſtra reſtat inſuper,
Quæ cæteris longè profectò plus valet,

Niſi

Niſi omne iudicium ego prorſus perdidi.
Sapientium repente cæcatis animos.
Hoc quando narrat doctus ille Plinius,
Cauſſaſq́; rerum qui penetrant altius?

In baptiſterium.

QVæ labes primi eſt vitio contracta parentis,
Puriter hanc fontis diluit vnda ſacri.
Quin maculas omnes lauat, & ſcelus eluit omne,
Efficit albentes fons ſacer æthiopas.

De alauda.

CAſſibus implicitam cùm ſe vidiſſet alauda,
Quæ non ſperârat triſtia fata gemit.
Heu me infælicem dixit, miſeramq́; volucrem,
Seu volo, ſeu nolo, cogor adire necem.
Non aurum auerti cuiquam, minuíue crumenam,
De minimo grano mors mihi dura venit.

In quendam Rodingum Heſſum, qui cõtra Societatis IESV nomen & ſcholas maledicentiſſimam orationem ediderat.

QVID eſt Rodingus ille nobilis ſcriptor?
Fortaſſis eſt rarus Theologus. heu, non eſt.
Orator attamen diſertus eſt. non eſt.
Barbatus eſt certè philoſophus. non eſt.
At eſt poëta, credo, quiſpiam. non eſt.
Eſt medicus, aut iuris peritus? ah, non eſt.

Quis ergo tandem? Grammaticus an eſt? vix eſt.
Num maledicus conuitiator eſt? hoc eſt.

Aliud.

SEV rota, ſiue rogus tibi nominis extat origo,
Rogo, rotáque dignus es,

Aliud.

SAlſus & inſulſus, pius impius vnus & idem es,
Doctus & indoctus: cætera mitto tibi.

Aliud.

QVanam te mala mens miſelle Rhetor
In tam præcipitem impulit furorem,
Vt ceu Tiſiphone, aut atrox Megæra
Inferni Iouis euocata regnis
Iſtos exagitare non timeres
Doctos, innocuos, bonos magiſtros,
Probris turpibus, aſperis, nefandis,
Indignis nimis, & nimis proteruis,
Dein' crudelibus, atque amarulentis,
Scriptis ſanguine, bile, felle, aceto,
Multis præterea, frequentibusq́;,
Quot nunquam caperent trecenta plauſtra.
Quæſiſti, puto, gloriam perennem,
Inuentum eſt tibi dedecus perenne.
Plora iam ſatis, ô miſelle Rhetor,
Rhetor ô miſer, ô miſelle Rhetor.

In

In Ioannem Auſtrium, inuictiſſimum exercitus Chriſtiani Imperatorem contra Turcas.

DVx Lacedæmonius mox inuaſurus in hoſtem,
Impauidus ſocios talibus aggreditur.
Spartani iuuenes, age, ducite prandia læti,
Cœnam etenim Pluto forſitan ipſe dabit.
Auſtriades melius: modò bella capeſſite læti,
Si caditis, cœnam ſe Deus ipſe dabit.

In Iordanem flumen.

QVotquot vetuſtis prædicata litteris
Eſtis ſuperba flumina,
Seu vos honorat claritas originis,
Seu crebra nauigatio,
Seu lata multùm, ſeu profunda gurgite,
Seu nota de miraculis.
Ganges, & Inde, quiq; rura Ægyptia
Semel quotannis irrigas,
Vos inquam, & alia illuſtriora flumina
Palmam date vni flumini.
Iordanis ille rector, & rex amnium
Fluenta ſpernit omnia.
Qui ſæpe dictus myſticis encomiis,
Oraculis cæleſtibus,
Vaſtum ſuo compleuit orbem nomine,
Tanto incl ytus præconio.

Cur ergo? lymphis namque limpidiſſimis
(O te beatum millies)
Diuûmq́, terrigenûmq́, præſidis Dei
Corpus ſacratum proluit.

De inuido,& auaro commentum.

AB Ioue iuſſus erat libitum petere inuidus omne,
Pauper auarus idem hoc ab Ioue iuſſus erat,
Mox ſibi auarities duplicatum poſtulat illud,
Ab Ioue quod liuens poſceret inuidia.
Inuidus ergo adimi lumen ſibi poſtulat vnum,
Vtrumque vt pereat lumen auare tibi.

In auarum.

VNdarum in medio ſuſpirat Tantalus vndas;
Inter opes medias quærit auarus opes.
Illi poturo ſtagna inuidioſa recedunt;
Hic à diuitiis ſe fugat ipſe ſuis.
Tiſiphones cæcos ſtimulos cum ſentiat ille,
Solus hic aſſidua fit ſibi Tiſiphone.

De aſino & vulpe.

EXuuias aſinus Getuli fortè leonis
Sumpſit, & attonitas terruit ore feras,
Qui cum tentaret vulpem exanimare ſagacem,
Deſine aſelle, nihil mecum, ait illa, facis.
Terribili hoc viſo queque conſternata fuiſſem,
Rudere te ſyluis ante ſed audieram.

In

In dialogos Luciani.

STuden' noſcere ſcripta Luciani?
Paucis ſaxo queas tenere, Lector.
Hîc rerum variarum ineſt ſupellex,
Inſunt dogmata plurium ſophorum,
Inſunt hiſtoriæq́, fabulæq́,
Lingua maxima caſtitás Pelaſga,
Tincta ſuauiter Attico lepore.
Riſus molliculos, ſales venuſtos,
Permiſta aſpera blandulis iocellis,
Luſus, ſeria, dulcia, & faceta
Hoc prabet lepidiſſimum volumen.
Hoc perquam vtile Rhetori, poëtæ:
Doctos hoc facit eſſe doctiores.
Ergo cur alibi quod hîc repertum eſt
Quæris ſollicito labore Lector?
Vnum librum eme pro libris trecentis.

In effigiem diui BERNARDI, monumenta necis CHRISTI complexantis.

QVAE BERNARDE *tua menti vſque infixa gerebas,*
Hæc complexa vlnis ars tibi ferre dedit.
Tam pia me, fateor, multum delectat imago:
Sed mallem hac animo cernere ſigna tuo.

Ad

Ad PHILIPPVM Sereniſs. Bauariæ Principem, EPISCOPVM Ratiſponenſem.

PHILIPPE, quis rerum ſtatus, noſti probè,
Omnes per oras Teutonum:
Vt ſacra paßim ceu ſenum deliria
Affecta ſint ludibrio.
Quod ſi ſalutis ſpes aliqua promittitur,
PHILIPPE tu promiſeris.
Complexa quem diuina prouidentia
Heroas ante cæteros,
Celebritate nominis clariſsimi
Ad vſque cælos extulit.
Ornatus es virtutibus cæleſtibus,
Ornatus es ſcientia:
Quæ res duæ ſunt profuturæ plurimum
Salutis in negotio.
Nunc abs te opem quantum poteſt rogat, obſecrat
Miſerabilis Germania.
Et quia communis omnium eſt patria parens,
Ne tu parentem deſpice.

In N. cum Theologię Doctor crearetur.

FIDES.

Cónatus, veteremq́ agnoſco læta laborem
Exhauſtum in ſacris nempe voluminibus,

Dum

Dum fraudas genium & vigili feruente lucerna
Mens labyrintheas tentat inire vias.
Tu celſa è cathedra docuiſti credere verum,
Legitima oſtendens quî retinenda fides.
Monſtraſti ſolers rudibus mea ſæcula turbis,
Atque meas rugas, canitiemq́ meam.
Quod reliquum eſt, dilecte, caput ſubmitte coronis,
Euge ſinas circum tempora laurus eat.
O macte ingenio, ſic fauſto tramite curras,
Quà DEVS, *& virtus, relligióque vocant.*

SPES.

Æternam quicunq; ſibi poſt funera pacem
Sperat, & ad ſuperas feſſus anhelat opes,
Mordicus antiquæ fidei venerabile dogma
Conſeruans, etiam quod bene credit, amet.
Tres ſumus, à ſummo demiſſæ patre ſorores,
Imperium è nobis tertia maius habet.
At noſtras vires, leges, & munera noſtra
Hic ignorantes cuncta docere poteſt,
Qui modo felicem tulit ob certamina palmam,
Haud illo pridem dignior vllus erat.
Egregium ecce aufert quem non ambiuit honorem.
Ne titulos quærat, ſi quis amat titulos.

CHARITAS.

Diua quod imponit de lauro, & fronde coronam,
Aut modicum, aut nihil eſt, tu mihi crede, Pater.

Quod

Quod pius es, nihil eſt: quod ſpernis gaudia mundi,
Quod non exagitat te Citheraa Venus,
Hoc nihil eſt. De te quod victo ſæpe triumphas,
Quod placidùm aſpiciens flexile pectus habes,
Et quod diuitias adeo contemnis inanes,
Quod non corda tumes, hoc etiam nihil eſt.
Vnum eſt quod noſti, quodq́; omnia continet vnum,
Nempe Deum ex toto pectore diligere.

In eundem, cui VI. pueri iſta prætulerunt.

Ad Coronam.

Aſpice quam manibus viridem prætendo coronam:
Compoſuit pietas, compoſuitq́; labor.
Nimirum illa ſacras hortata eſt ire per artes,
Impiger ingenio ſed comes iſte fuit.

Ad Biblia.

Conſueſti aſſiduo ſanctum verſare volumen,
Hinc venit, & veniet gloria magna tibi.
At tu nunc aliis quæ ſunt tibi cognita pandes:
Sic tandem vero nomine Doctor eris.

Ad Calicem.

Tu pecorum cuſtos, ouium tu rite magiſter,
Quas Chriſtus ſtygiis faucibus eripuit,
Sanguine dum fuſo moritur: tu ſanguine eodem
Libato, pecori fac bene velle Deum.

Ad

Ad Crvcifixvm.

Hoc tantum ſcio, nil aliud, vox inclyta Pauli eſt,
Diſſimilis Paulo ne precor eſſe velis.
Si ſapis, hac vita, & doctrina dirige curſum,
Hanc metam ſtatuas principiumq́ tibi.

Qvi Cerevm lvcebat.

Ecce facem tremulam media tibi præfero luce,
Quid moneam? vt pectus flagret amore Dei.

Alter.

Cen facula tenebras abigunt, lumenq́ miniſtrant,
Tu quoque ſic noctes exime pectoribus.

In librum Petri Caniſij de Ioanne Baptiſta.

Qvo maior nullus, quo non præſtantior alter,
Cui neq́ priſca parem ſæcla tuêre virum,
Et quem veridico laudauit Christvs *ab ore,*
Suppoſuit ſacrum cui Devs *ipſe caput,*
Hunc violare tamen linguis petulantibus audent,
Qui ſolam toties occinuere fidem.
Verùm his egregia pietate Caniſius obſtat,
Armipotente manu prælia ſancta gerens.
Ergo vt præſtigias, fraudes, mendacia noris,
Vtq́ hamum fugias, quem tegit eſca nocens,
Hæc veneranda pio meditator ſcripta labore,
Atq́ ſalutarem volue, reuolue librum.

In Sereniſs. FERDINANDVM Archiducem.

CÆſareum FERNANDE *genus, ſtirps aurea Regum,*
Auſtriacaq́; domus inclyte ſanguis, aue.
Teutonicos inter proceres, interq́; dynaſtas,
Haud quiſquam omnigeno certet honore tibi.
Omnia ſolus habes poſſunt bona ſi qua vocari,
Vera quibus laus eſt, omnia ſolus habes.
Sed tua non elegis decora obſcuranda minutis,
Mæonidæ magni cantibus apta magis.
Nec ſatis eſt æquum arctata comprendere Muſa,
Quæ longus nequeat continuiſſe liber.
O flos ſemideûm, ô noſtri ſpes maxima ſæcli.
Tun' aquilæ fœtus? dignus es ipſe aquila.

Aliud.

SI quis nulli animo, nulli virtute ſecundum,
Modiśq; multis nobilem,
Cui mater regina, pater Rex Cæſar, & idem
Fœlix propago Cæſarum,
Omnia ſumma viro ſi quis vult cernere in vno,
Te magne Dux conſideret.
Ætherios inter veluti micat Heſperus ignes,
Sic Principes inter micas.
Ergò vt per cæcam profers tua lumina noctem,
Aureis coruſcus flammulis,

Sic etiam cura antiquum procedere ſolem,
Diem reducens priſtinum.
Rectam inſtas FERNANDE *viam, perge auſpice Chriſto,*
Viuas vt immortaliter.

Similitudo.

QVæ viſa eſt olim teneris arbuſcula ramis,
Et viruit paruis ante cacuminibus,
Illam dum recreant placidùm Zephyritides auræ,
Dum rigat æthereis defluus imber aquis,
Educat, & mulcet nitidi clementia ſolis,
Dumq́ comas ſtringit ſedulus agricola,
Paulatim cælo ſeſe pulcherrima tollit,
Frondea diffundens brachia in omne latus:
Incipit ac denſis multum incurueſcere baccis,
Cultori referens munera grata ſuo.
Mens hominum primo ſic dum formatur ab æuo,
Commoda multiplici fœnore magna parit.
Mens quam ſolliciti erudiunt præcepta magiſtri,
Mens ad literulas progenerata bonas.

Omnia mea mecum porto.

DVM flammis celſam populas Vulcane Prienen,
Et ſeruare ſtudet rem ſibi quiſque ſuam,
Agmina ſe fundunt portis, rapiuntq́ feruntq́:
Aſt oneris vacuus cernitur ire Bias.
Quæſitus cauſſam, ſic dicitur eſſe locutus:
Certè ego quæ mea ſunt omnia mecum habeo.

Prô ſuperi, quam nos multùm diſtamus ab illo,
Qui ſolùm fluxas accumulamus opes?
Quod noſtrum eſt, non eſt nobiſcum, aliena tenemus,
Cum ſapere incipimus, tunc malè deſipimus.
Argentum eſt anima nobis & ſanguinis inſtar:
Si quis eo careat, nectere vult laqueum.
Qui ſpretis Sophiæ ſtudiis paſcuntur in auro,
Scire cupis quid ſint? Aurea mancupia.

Viator, & Echo.

V. *Quæ ſolos nemorum colis receſſus,*
Syluarumq́ domos iocoſa imago,
Ecquid ſuauiculis dicata Muſis
Modis omnibus expetenda vita eſt?
E. *Ita eſt?* V. *Si comitetur alma virtus,*
Illis an pretium ſatis ſit vllum?
E. *Nullum.* V. *Sed quid obeſt eis frequenter,*
E. *Venter.* V. *O vtinam greges inertûm*
Ad coruos abeant. E. *eant.* V. *honorem*
Doctorum faciamus & proborum,
E. *Horum.* V. *Iſti imperium regant, & orbem.*
At vos improbi, & artium imperiti,
Humanæ ſcabies, pudorq́ gentis
Plorate, aßiduoq́ dicite heu. E. *heu.*

In ſeptem artes liberales, dialogus.

FOrmoſæ ô nimium mihi quæſo pandite Nymphæ,
Anne pater vobis extitit ingenium?

Inge-

Ingenium. Et quænam genetrix fuit, editæ. Cura.
Vbera Sedulitas num dedit? Ipſa dedit.
Cur adeo ſeptem? Hoc numero comprenditur omne,
Nos quoque doctrinas claudimus omnigenas.
Nonne paratis opes? Nullas. Quid fertis? Honores.
Præſtat honor nummis: cætera nolo. Sapis.

In Sapientiam.

DEmocritus ſophiæ inſano perculſus amore,
Atque animo cupiens rerum agitare vias,
Poſtquam oculos didicit nebulas offundere menti,
Nec ſinere optatis ſe cumulare bonis,
Oppoſitum Phœbo ſpecular defixus ahenum
Contuitus, geminos perdidit inde duces.
O quam dulcè tuum rutilat ſapientia lumen,
Lumina præ quo tam lucida ſunt tenebræ?

Sereniſs. MAXIMILIANO MAXIMIL. II. filio.

O Prudens animi iuuenis, qui à ſtemmate laudem
Quam fers, hanc illi reddis ab ingenio.
Reddis ab eximia grauitate, & imagine morum,
Quos in maturo eſt vix reperire viro.
Cæſareos inter florentia germina ramos
Præcipuum decus eſt MAXIMILIANE tuum.

Sereniſs. GVLIELMO Principi.

NVllum qui nomen geſtis ſunt rebus adepti,
Et quos haud virtus propria nobilitat,
Conſuerunt tumidi laudes cantare parentum,
Illorum vt tenebras lux aliena tegat.
Verius at multò canimus te maxime Princeps,
Cui decus vt pater eſt, ſic decus ipſe patri es.
Bota domus quantis radiat ſplendoribus, in qua
Tam pius eſt genitus, quàm pius eſt genitor?

Collatio Voluptatis,& Sapientiæ.

SOle ſatam perbibent hominum mutaſſe figuras,
Pocula dum magicis temperat vſa ſonis.
Ante pedes dominæ obſcœnus procumbit humi ſus,
Et iacet hic vrſus, hic lupus, ille canis.
Cantatos non non Sapientia porrigit hauſtus,
Miſcet amatori ſanctius illa merum.
Quo potis eſt etiam ſenſus abolere ferarum,
Et pecudem humanam vertere in effigiem.
Haud ſatis: hæc hominem cæli ſuper ardua tollit,
Præcunctiſq́ potens efficit vna Deos.
Si pudet ergo Deum fieri, Circaa venena
Ebibe, vt inde abeas aut lupus, aut aſinus.

Ad Gloriam, dialogus.

DIc agedum, quo carpis iter diuina puella?
Veſtrum ad gymnaſium, quà via ducit, eo.

Ecquid ſponte venis diſcentum viſere cœtus?
Sponte ſua nunquam Gloria, iuſſa venit.
Pande precor cuius venias pulcherrima iuſſu.
Me mea vos Sophia mater adire iubet.
Quid geris in calatho? quam rem, quæ munera portas?
Octo & dena mea ſerta ligata manu.
Et quorum his tandem aduelabis tempora ſertis?
Quos mihi monſtrauit ter veneranda parens.
Si fas, mî ſimilem, Virgo, promitte coronam.
Sudor, & ingenium dona beata ferunt.

Contra auaritiam doctorum.

OLim in honore animum fuit excoluiſſe per artes,
Præmia cum doctis ſunt data magna viris.
Contra illis ſtudium oblatam contemnere gazam,
Aure ſed attonita quærere grande ſophos.
Nunc eſt vile ſophos, fuluum te poſcimus aurum,
Infandùm, Muſæ iam reuerentur opes.
Da mihi Diogenem, da Thebanumq́; Cratetem,
Da mihi Xeinocratem, da mihi Anaxagoram.
Diſcere non curem, ſi non diteſcere ſperem.
Marcet honor, prægnans ære crumena beat.
Sic adeo priſcos dant peſſum hæc ſæcula mores,
Sæcula inauditis obruta ſtultitiis.

In nouos Magiſtros.

DIlecta ſuperis anima, gratiſſima cælo
Pectora, Gymnaſij flos ornatiſſime noſtri,

Quos moueam numeros? tendam quos fingere cantus?
Quóue ſono ingrediar veſtros aquare triumphos?
En modò poſt varios noctuq́ diuq́ labores,
Poſt flexam ante alios trepido certamine metam,
Vobis parta quies, merita en data pramia palma.
Saluete ô Sophia, & Muſarum dia propago:
Laureolis ſaluete nouem victricibus aucti.
Vóſne voluptates dominas illuſtribus auſis
Calcaſſe, atque viam inuaſiſſe per inuia? vóſne
Artibus aſsiduos potuiſſe intendere neruos.
Et dare Socraticis iuuenilia tempora chartis?
Felices animi, ſegnes qui ſpernere luxus,
Qui vos tollere humo didiciſtis, & ire per ora,
Ora virûm, aternúq́ inſcribi nomina faſtis.
Pulcrum opus, excelſi volitare per atheris orbes,
Rerum obitus, cacos & contemplarier ortus:
Murmuret vnde polus, vnde ignis, & horridà grando,
Vnde cadant imbres, qua cauſſa furentibus Auſtris,
Bruta quid inſano quatiatur terra tumultu,
Et celeri totum ingenio ſupponere mundum.
O dulces cura, ſtudiorum ô vera ſacrorum
Gaudia, delicia, & paucis experta voluptas.

Ad Epiſcopum Delphinum.

QVOT ſunt bonarum litterarum Praſides,
Tot nuntio ſalutes tibi.
Quinimmo quot Muſarum alumnos aſpicis,
Te iubeo ſaluere toties,

Del-

Delphine multò Pontifex clariſſime,
Spectate rebus arduis.
Tu nobilis domo: immò mente, moribus,
Auctoritate, literis,
Prudentiáque, & omnibus virtutibus
Es prædicandus nobilis.
Germaniæ gratum ſed illud maximè,
Cum ſe tibi caram videt.
Delphinum ob iſte nominat rectè ſuum,
Gaudens tua præſentia.
Amator hominum viue in annos plurimos,
Delphinus & ſis iugiter.

In factum Diogenis Cynici.

IAM *roſeum patulis efflabant naribus ignem*
Solis equi, nitidum retuleràntq; diem.
Ecce nouum facinus, genuit quem clara Sinope,
Nomina cui tribuunt Iupiter, atque canis,
Vulcanum cornu incluſum per compita geſtans,
Seſe hominum in medio quærere fert homines.
Nonne putas opus eſt hodie vel mille laternis,
Fulgida quantumuis ſpicula Phœbus agat?
Ah homines, & nulli homines. Qui percolit artes,
Quem comitat virtus, hic mihi verus homo eſt.

In Epiſcopum Herbipolenſem.

L*Vcem ſerenam, lucem & ô lætiſſimam,*
Albóque dignam calculo,

Cum te vel vltro noſtra fers ad limina,
IVLI virorum ampliſſime:
Quinimmo ſidus Præſulum Germaniæ,
Paterq́ Muſarum vnice.
Te fama pennis nuntiat volucribus,
Fines per orbis extimos.
Viuo tibi, nec non videnti contigit,
Poſt fata quod pauciſſimis,
Nomen beatum, nomen illuſtriſſimum,
Dignum tuis virtutibus.

Aliud.

FRancigenûm Princeps, & Paſtor maxime ſalue,
Salue ô ſacrorum gloria Pontificum.
Salue iterum, quando ingenuas complecteris artes,
Haſq́ noua largus cum pietate foues.
Sub te relligio, virtus, ſapientia florent,
Auſpiciis redeunt aurea ſæcla tuis.
Te rectore caput cælo tua Francia tollit,
Francia Teutonici floſq́ decuſq́ ſoli.
Et ſibi te Dominum, ſibi te patrem, atque magi-ſtrum
Munere gratatur numinis eſſe datum.
Forſan erunt IVLI tua qui benefacta ſequantur,
Sed te qui poſſit vincere, nullus erit.

In MARQVARDI, à BERG Pont. Auguſtani inaugurationem.

Ad verſiculos, vt adeant MARQVARDVM.

MEI verſiculi, mei lepores,
Vos huc ferte precor, quot eſtis, omnes,
Atque audite meam petitionem.
Hoc vnum peto, poſco, flagitóque:
MARQVARDVS ſapiens, & eruditus,
Cultor maximus ille literarum,
Inter Pontifices ſacros relatus
Et pedum gerit, & gerit tiaram.
Hunc ſaluere iubete quotquot eſtis
Noſtri verſiculi, & nouos honores
Gratulamini, & explicate veſtram
Iam nunc lætitiam altiore voce.
Humaniſſimus eſt homo, nec vllum
A ſermone ſuo repellit vnquam.
Si quis fortè timens timorem inanem
MARQVARDVM fugit, vt ferociorem,
An non hic homo ſe ſibi repellit?

Eſt etiam vbi damnum præſtet facere, quàm lucrum.

MVlti multa ſibi lucella quærunt,
Sublimes cupidè ambiunt honores,
Et deglubere oues ſciunt miſellas.
MARQVARDVS nihil has opes ſitiuit,

Illi diuitiæ prius fuerunt
Amplæ, magnificæq́, ſplendidæq́.
Sed cæleſtia lucra concupiuit.
O mentem egregiam, ô virum canendum.

Chriſtus commendat oues ſuas MARQVARDO.

MARQVARDE, *en tibi ouile trado noſtrum,*
Meas diuitias, meamq́ gazam
Committo, fidei tuæq́ mando.
Ergo paſce meos libenter agnos,
Et vita, ſimul eruditione.
Raptoresq́ lupos procul repelle:
Factis præmia non iniqua tolles.
Tua ô Chriſte volens capeſſo iuſſa;
Sed quod mî facere imperas, idipſum
Tui eſt muneris, atque largitatis.
Da quod ipſe iubes, deinde quicquid
Viſum eſt, Nate Dei, iubere pergas.

In pedum, & annulum.

INfirmos fulci, peccantes corrige, cunctos
Dirige: te baculus quem geris hocce monet.
Nec cuiuis reſera demptis arcana ſigillis:
Te digito fulgens annulus hocce monet.

Super inſignibus eius gentilitiis.

SI taurus, ſerpens, cygnus, leo, ceruus, & vrſus,
Seu timidi lepores, nubiuagumq́ genus

Signa

Signa forent Marquarde tibi, clypeoq́; micarent,
Te bis virtute parem credere quis poterat.
Ecce abſunt quæcunq; tuis animalia ceris,
Quando homo duntaxat par cupis eſſe homini.

De capite coronato.

QVærebam Marquarde tuum cur ſtemma teneret
Cinctum corona verticem:
Talia magnorum nam ſunt inſignia regum,
Sceptro ſuperbientium.
Reſpondi ipſe mihi: caput hoc diademate cinctum
Quiddam notabit altius.
Aurea non tantum eſt regnorum inſigne corona,
Victoria nota eſt quoque.
Sic ſic Marquardum præclara ex hoſte trophæa
Breui relaturum, breui,
Et defuncturum ſæui certamine belli,
Dignum corona millies,
Iam pridem ſpondent iſthæc fulgentia ſigna:
Corona fatur hoc mihi.

Sertum Pontificium.

VIrtus, ſobrietas, benignitasq́;,
Manſuetudo, labor precum perennis,
Et mens nil trepidans ad arcta rerum,
Caritas ſimul, hoſpitalitáſque,
Tum corpus ſine ſordibus pudendis,
Ardeſcens amor omnium ſalutis,
Hi ſunt, æſtimo, floſculi beati,

Suaues

Suaues, ac teneri, ac nimis decentes,
Quos non Elyſia educant vireta,
Non mittunt quoque diuites Sabæi.
Hi Marquarde ligant tibi coronam
Mollem, floriferam, venuſtam, odoram,
Cui ſunt vel Scythici impares lapilli.

Ex etymo Epiſcopi.

CVI mores hominum ſibi obſequentum
Curæ ſollicitudiniq́; non ſunt,
Vtrum nec ne probandi, an improbandi:
Et qui credere quemque quod lubebit
Permiſiſſe poteſt tacente lingua,
Nec culpat vitia, irrogátue pœnas,
Haud quem debuerat ſcopum peteſsit:
Quinimo, hic mihi Apoſcopus videtur.

Aliter.

EPiſcopi Marquarde nomen obtines,
Et nomen excelſum ſatis.
Qui temperat mundum ille Diuorum ſator,
Seſe ſcopum fixit tibi.
Mens arcus eſt, telumq́; cogitatio,
Hanc viribus totis iace.
Da corpori terram, Deo mentem ſacra,
Tantumq́; cælum cogita.
Quicunque dexter nobilem hunc tangit ſcopum,
Hic verus eſt Epiſcopus.

Aliter.

Aliter.

Ἀπόσκοπος, & ἐπίσκοπος duæ voces
Non diſcrepant ſic litteris vti rebus.
Aberrat a ſcopo prior, ſed hæc tangit.
Deinde hoc ſecundum facile migrat in primum,
Quando metalepſin ſanctior facit vita.

Similitudo.

EXcubitor ſolem veluti prænuntiat ales,
Claramq́; in tenebris ſentit adeſſe diem:
Sic vitæ in tenebris qui vero eſt nomine Præſul
Æternam debet præcinuiſſe diem.

Helueticæ iuuentuti.

QVam pridem famam tibi confecêre parentes,
Laudibus hancce tuis te cumulare decet.
Illorum in duris ſpectata eſt dextera rebus,
Cum domuit toties oppida, caſtra, duces.
Te iuuet hybernas ſtudiis impendere noctes,
Et colere ingenuis artibus ingenium.
Illos æra vocent ſæui in diſcrimina belli:
At te Pierides ad ſua ſacra vocent.
Poſt vbi iam matura viris adoleuerit ætas,
Arma ſequi dabitur, & graue Martis opus.
Felix cui geminæ tribuetur gloria laudis,
O generoſorum ſtirps generoſa virûm.

In tres doctrinarum Principes, Ariſtotelem, Ciceronem, Virgilium.

HVC ades ſacro ex Helicone Clio,
Cui lyra dulces, citharaq; cordi,
Huc ades, mecum & fidibus Latinis
Incipe cantus.
Pangimus clarum Sophia Magiſtrum,
Quem dedit partu Macedûm Stagira.
Vnus hic totum ſpeculatus orbem
Omnia vidit.
Abditas rerum penetrare vires,
Scire natura varióſque mores
Cateros prater potuit, neque illi
Par fuit vnquam.
Patria nec te pater hinc ſilebo.
Tu reis dextram toties fidelem
Porrigens, rexti populum, ſenatum
Maximus auctor.
Gentium princeps, domitrixq; Roma
Ore facundi eſt ſtupefacta Tulli:
Audiunt quem nunc etiam tonantem
Veſper, & ortus.
Mantua (cernis?) petit aſtra cygnus,
Maior & laude, inuidiáque maior
Liquido nulli ſonat amulandas
Gutture voces.

Graciam

Graciam ſolus Maro prouocârit,
Vatibus vates melior trecentis.
Spiritum tolle, ac tibi plaude, plaude
Italis ora.

Ad Sereniſs. GVLIELMVM.

GVLIELME *quod genus refers ad Principes*
Parente natus optimo,
Sunt iſta tecum pluribus communia,
Solidamq́ laudem non habent.
Vitam exigis quod ipſe dignam Principe,
Et ſponte virtutem colis,
GVLIELME *paucis iſta ſunt communia,*
Cuiusq́ ſunt hac propria.
Sic non honor te, ſed tu honorem ornas magis,
Honore quouis altior.
Cuſtodiat mundi ſupremus arbiter
Boiaridum te Principem.

Ad eundem.

QValis *minora lucet inter ſidera*
Diana iunctis cornibus,
Cum nox quadrigis inſidens nigrantibus
Somnos reducit languidos,
Talis Dynaſtas inter omnes emicas,
Hac nocte rerum peſſima,
GVLIELME *Rector inclyta Boiaria,*
Clarum decus Germania,

Natura

Natura ad omnem factus excellentiam,
Virtute præſtans cæteris.
Seu quis requirat ſimplicem prudentiam,
Seu mentis alta ſpiritum,
Non ſe ille tecum comparet Laërtius,
Non murus Hector patriæ.
Seu liberalem, ſeu pium, ſeu acerrimum,
Iuſti patronum quærimus,
Te liberalius fingi nihil poteſt,
Nil cogitari iuſtius.
Ardes ſacri curâ colendi numinis,
Bonisq; gaudes litteris.
Seueritatem temperas clementia,
Humanus eſſe diceris.
Hæc Principum virtus putanda eſt propria,
Theſaurus hic veriſſimus.
Quibus ſat ornem laudibus, quibus ſatis
Te concinam præconiis?
Extrema mundi peruagatum littora
Nomen tuum percrebuit.
Seros in annos æuum vt exigas precor,
Multos nepotes intuens.
Te poſtmodum graui ſolutum corpore
Ad aſtra Chriſtus peruehat.

Ad angelum cuſtodem.

ADSIS *beate ſpiritus,*
DEI *miniſter maximi,*

Meiq́ custos peruigil:
Adſis beate ſpiritus.
Regnator ille præpotens
Dum ponit orbis machinam,
Cum cæterarum mentium
Phalangibus te condidit.
Tibi ſecundùm ſe DEVS
Tuam in fidem me tradidit.
Vni meam cuſtodiam,
Vni ſalutem credidit.
Quid ergo me beatius,
Quid eſſe poßit dignius,
Cui ſe fidelem perpetim
Praſtat ſupernus aliger?
Propulſat hic pericula,
Metúque ſoluit anxio.
Mentem labantem ſubrigit,
Et ſenſa cælo dirigit.
Me dormiente hic excubat
Arcens nefandos dæmonas.
Seu mane ſit, ſeu veſpera,
Seu clara lux, ſeu cæca nox,
Seu fauſta quando euenerint,
Seu quod malum me afflixerit,
Nuſquam clientem deſerit,
Natura præſtantißima.
Quibus modis ſat efferam
Te præpetum pulcherrime?

Tuúmue quibus honoribus
Numen colendum iudicem?

In virginem Dei matrem.

MAter ante omnes veneranda matres,
Virginum præſes ſuperûmq; rectrix,
Cuius auguſtum prece totus orbis
Numen adorat:
Laurus vrbano mihi floret horto,
Arbores inter celebrata cunctas,
Quæ pio vatum religat ſacratas
Germine frontes:
Hanc tibi virgo propriam dicamus
Arborem. Namque vt viret illa ſemper,
Sic tibi nunquam minuere caſtum
Damna pudorem.

In Dulciſſimum, & Chariſſimum fratres germanos, & Martyres.

AVete flores Martyrum,
Fratres auete nobiles,
Dulciſſimi, Chariſſimi.
Quos ſanguinis communitas
Arcto ligârat vinculo,
Pro veritate numinis,
Mors oppetita fortiter

Vos

Vos copulauit arctius.
Quos vna mater edidit,
Vna fidei lex imbuit,
Hos inſerendos ætheri,
Mors vna pulchre ſuſtulit.
O charitas dulciſſima.
Dulcedo & ô chariſſima.
In tam pio certamine
Vtinam fuiſſem tertius,
Dulciſſimi, Chariſſimi.

Ad Ioannem Egolfum Epiſcopum.

QVID *ni ſacratas immolemus hoſtias,*
Stolis amicti candidis?
Ignes & Arabum ſuſcitantes meſſibus,
Cinctiq́ lauro tempora,
Nouo canamus Principi laudes nouas,
Clarum ſonante barbito?
Optata cuncta rex tibi Chriſtus ferat,
Egolfe decus Antiſtitum.
Idem ſecundet quidquid agere occœperis,
Tuasq́ rationes iuuet.
Nos hunc honorem gratulamur maximum,
Te triumphamus Præſule.
Satis ſuperq́ tu potis rerum graues
Fulcire moles dexterè.
Gaudere menſa Epiſcopum breui decet,
Extráque culpam viuere:

Fugitare lites, & cauere iurgia,
Habere cunctos leniter,
Noctu diúque cogitantem ſeriò
Partes ſua quid flagitent:
Hærere ſacris vſque & vſque literis,
Votiśq́; caſtis immori.
Hæc ſi quis in te nōn futura credidit,
Ille nihil vnquam credidit.
Iſtorum enim nihil deeſt vnquam tibi:
Pleriſque deſunt omnia.
Sic alme Præſul, ſic pater mitiſſime,
Sic perge cælum ſcandere,
Noſtraśq́; Muſas, quod quidem per te facis,
Habeto charas vnicè.

In CHRISTVM ab inferis cum triumpho exiſtentem.

CHRISTE *cæleſtûm ſator atque princeps,*
Cuncta qui rerum bonitate mira
Suſtinens, lætum moderare iuſtis
Legibus orbem,
Noſtra te Clio reſonabit vſque
Docta vocales tetigiſſe chordas:
Noſtra te ſummo celebrare tendet
Carmine Muſa.
Quis tamen dignè tua ſceptra Chriſte
Dixerit, cum ſit tibi nil ſecundum?

Aut quis æterni recinat triumphi
Dignus honores?
Clauſtra nigrantis penetrans Auerni,
Vulgus vmbrarum leue terruiſti,
Téque raptoris tremuêre Ditis
Pallida regna.
Tu pios manes Acheronte ſoluis,
Fortis atrocem populas tyrannum:
Tartari per te cecidit ſuperbi
Fracta poteſtas.
Ite iam ſegnes procul hinc timores,
Anxias venti procul euge curas
Ferte, odoratos decorent capillos
Florea ſerta.
Veris adſunt egelidi tepores,
Impotens flabris Aquilo ſileſcit,
Aura mulcentis reparat Fauonî
Gramina campis.
Cernis vt pratis ſaliant apricis,
Tondeant lætos pecudes agellos,
Feſſus exercet modò nec paterna
Rura colonus.
Ludit audaces lupus inter agnos,
Mittit vmbroſas nemus omne frondes,
Liberis terras pedibusq; turba
Ruſtica pulſat.
Noſtra ne ſpernas pie Chriſte vota,
Candidus nobis dato quæ precamur.

Non ebur, gemmas, neque te coruſcum
Poſcimus aurum.
Nos frui partis facito precamur,
Integram mentem validumq́ corpus
Da, nec obſcuram, neque glorioſam
Viuere vitam.
Bella compeſcas, odioſa bella,
Stringe in hoſtiles gladium cateruas:
Neu ſinas rupto volitare inultos
Fœdere Turcas.

Ad cælites, pro Marquardo Epiſcopo.

QVI domos cæli colitis beatas,
Quiq́ iam felix agitatis æuum,
Si iuuat defigere quando noſtris
Lumina rebus,
Cernitis, pronus manibus ſupinis
Imbuo veſtræ pietatis aures
Vocibus magnis, mea ne precantis
Spernite vota.
Vos, precor, diuos habeat ſecundos,
Sentiat veſtram aßiduoq́ curam
Pontifex noſter, toleretq́ forti
Mente laborem.
Hic pius feſtas cumulabit aras,
Debitas grates memor atque ſoluet,
Lætus appendens pretioſa cultis
Munera templis.

Ad

Ad Saluatorem.

VIrginis ſanctæ veneranda proles,
Nate productum Deus ante mundum:
Ecce votiuam tibi nos in vrbe hac
Struximus ædem.
Ad tuum limen bone CHRISTE, & aras
Ad tuas vultu venias ſecundo,
Et quod orabit populus, benignè
Quæſumus audi.
Quotquot intrabunt pia tecta, cuncti
Sentiant partam ſibi opem ac leuamen,
Abs tua nullum bonitate mœſtum
Fas ſit abire.
Corpus à morbis vacuum malignis,
Mentis & ſanæ placidam quietem,
Quæq; ſunt vitæ haud aliena noſtræ
Commoda præbe.
Feruidum largire tuiq; amorem
Tædium fluxarum animóque rerum
Inde, & ex hac colluuie migrantes
Aſſere cælo.

In nomen IESV.

NOmen ſydereis progenitum arcibus,
Quod terris Gabriel detulit Angelus,
Geſſitq; impoſitum factus homo DEVS:
Te læti canimus, tu ſuperas ducum,
Regum & nobilium grandia nomina.

Te poſtquam audierint regna Proſerpinæ,
Qui tellurem habitant, quiq; polum tenent,
Flexis poplitibus attoniti colunt.
Te ſupplex mediis nauita fluctibus,
Te quem dura premit pauperies vocat.
Quem ſors perſequitur non bene proſpera,
Ad te cum precibus confugere incipit,
Nullum nomen habet tam ſibi commodum
Grex CHRISTI, *inde ſalus ducitur omnium.*
Verè Chriſtiadûm tu decus vnicum.
Te læti canimus nomen amabile,
Nomen cunctipotens, nectare dulcius.

In CHRISTVM & MARIAM genetricem.

PVERI & PVELLÆ.

PVERI. *Te* CHRISTVM *vnigenam, te Dominũ ætheris*
Cantamus pueri cordibus intimis
Hac in æde recenti,
Quam primus tibi vendicas.

PVELLÆ. *Te matrem vnigenæ, te dominam ætheris*
Caſto concinimus pectore Virgines.
Ecquis dicere poſsit
Laudes pro merito tuas?

PVERI. *Te ſemper celebrat cœtus olympicus,*
Regem nempe ſuum, progeniem DEI,
Tellus te veneratur,
Orci contremit arbiter.

PVEL-

PVELLÆ. *Omnis te reſonat cælituum chorus,*
Reginamq́ ſuam tollit honoribus.
Te totus colit orbis,
Te pallens Acheron timet.
PVERI. *Nil cunctatus ades, vota̗que ſuſcipe,*
Quæ plebs concipiet quotidie tibi.
Chriſte poſt obitum fac
Templum aſcendere pulchrius.
PVELLÆ. *Aurem da cupidam Virgo gementibus,*
Sexum fœmineum fœmina conſoue,
O dulciſsima Virgo,
O ſpes certa labantium.

In SS. Vdalricum & Afram.

VRbes quæque ſuos indigetes habent,
Hos illa, hos alia, quos mage amauerint.
At vos præcipuis auget honoribus
Hæc clariſsima ciuitas.
Tormentis cruciata altera ſæuius
Vitam flammiuomo toſta rogo edidit,
Chriſti primitias, præſidium ſuum
Vrbs quam noſtra piè colit.
Amborum auxiliis nos quoque nitimur,
Quorum æde in media ſigna locauimus,
Excelſisq́ locis, ingredientibus
Vt noſcantur ab omnibus.
*V*DALRICE *pater protege filios,*
Cuſtodiq́ vigil paſtor ouilia:

Nec non A FRA *tuis inclyta martyrum*
Sis patrona clientibus.

In quatuor Euangeliſtas.

QVos Euangelium ſcriptores ritè vocamus,
Ne fugitote meas
Quantumuis humili prolatas carmine voces,
Si pius eſt animus.
Qualem nimirum magno pro munere quærit
Chriſtus homo atq; Deus.
Res cuius geſtas diuinaq; dicta libellis
Vos retuliſſe palam eſt.
Ille hominis geſſit veram Matthæe figuram:
Symbolon idq; tuum eſt.
Ille idem potuit fortes æquare leones,
Quæ nota Marce tua eſt.
Sed taurum Luca cur præfers? victima taurus,
Victima Chriſtus erat.
Ioannes Aquila tua ſunt inſignia: quorſum?
Verè aquila ille fuit.
In cælum pullos agitatis tendere plumis
Nonne ſuos docuit?
Et ſolem æternum, qui ſolem condidit iſtum,
Perpetuo aſpicere?
Romulidûm leges, & Graiûm bella valete,
Hi meliora ferunt.
Haud dubiam nobis portant hæc ſcripta ſalutem,
Vox quoniam ipſa Dei eſt.

M. An-

M. Antonij Mureti carmen votiuum ad B. Virginem Lauretanam, ex heroicis in iambos conuerſum.

QVID iſtud eſt quæſo noui? & vnde hic mihi
Tam inſolitus horror concutit præcordia?
Quid ita metus animum pererrat anxium,
Proinde vt ictum numinis præſentia?
Fallórne? an hoc in quo ſtamus locus facit,
Deuſq; præſens addit in corda ſtimulos?
O vos beata limina, ô ter & quater
Poſtes beati, ô chara cælicolis domus:
Quam mente tota iam diu deſiderans,
Voti reus in hoc viſo primùm tempore.
Salue domus, ſacrata ſalue Regia:
Aſpectus eueniat tuus feliciter.
Ten' huc Palæſtinis ab vſque finibus
Per aëris tractus, per ætheris plagas,
Iuſſu Dei rerum parentis omnium
Vexere diuini alitûm manippuli?
Hiccine puella naſcitur mater Dei
E matris aluo? hîc illa primum vagiit?
Et hîc pudoris non cadente lilio,
Membrúq; puris corporis puriſſimi
Tumuere partu viſcera ſacratiſſimo?
Ergóne cunctarum artifex rerum DEVS,
Æqua ſoboles patris optimi atque maximi,
Qui reſtituit orbi ſalutem perdito,

Ille

Ille ipſe luſit hac in aula paruulus?
Atq; hîc parentem eſt oſculatus virginem?
Et colla vinxit brachiis tenellulis,
Infansq; blandus blanda ſuxit vbera?
Quæ nunc ſuperba diuitum palatia
Regúmue turres, Principum conclauia,
Quæ templa demum, quæ orbis aut miracula
Huic limini ſeſe audeant componere?
Picena rura ter quater felicia,
Beata ſupra cuncta rura maximè,
Quibus Dei benignitate contigit
Domi tueri Solymam, & oculis cernere,
Chriſtiq; pedum preſſiſſe pede veſtigia.
Procumbo ſupplex, crebra figens oſcula
Sanctis parietibus, caputq; hoc puluere
Spargo libentius atque mollibus roſis.
At tu ſupernis virgo clemens ſedibus
Aſpice miſellum me ſecundo lumine.
Me ſic tibi toto accidentem corpore
Suſpiriaq; trahentem ab imo pectore,
Tu tu ſupernis virgo clemens ſedibus
Aſpice miſellum me ſecundo lumine,
Genas rigantem lacrymis tepentibus,
Manuq; crebra verberantem pectora.
Ne quæſo culpis ſordidum me plurimis
Abs te repellas, à tuis conſpectibus:
Si te colo totis meis præcordiis,
Si rebus ambiguis tuum numen voco:

Si denique auxiliis tuis cuncta tribuo:
Si ſpes locaui in te vnica ſemper meas.
Me corde, Diua, me prioris pœnitet
Vitæ, ipſa mens pœnas timeſcit debitas.
Quod niſi tuo gremio cubantem filium
Mihi, meisq; ſceleribus bonum facis,
Heu, quò mihi curſum licebit tendere?
Heu naufragas tandem rates quò dirigam?
O magna mater, quæ ſoles, nunc face, rogo.
O bibe piis noſtras querelas auribus,
Lapſisq; rebus opibus ſubueni tuis.
Te poſſe nam malis mederi ſingulis,
Te vota nulla ſupplicum aſpernarier,
Tuis tabella multa pendens ædibus,
Sine dubitatione cunctos perdocet.
Hic mente ſecum te volutans intima
Graui eſt malarum æſtu ſolutus febrium.
Hyadas at ille infeſta nautis ſidera
Spectauit intrepidus, & auſpiciis tuis
Campos reliquit ſoſpes ille cærulos,
Quamuis tonaret Iupiter, & Aquilo, & Notus,
Eurusq;, Zephyrusq; impetu vaſtiſſimo
Inter ſe atroci dimicantes prælio,
Turbinibus & flabris pelagus euerterent.
Vinctus catenis ſub profundo carcere,
Mortem tremiſcens imminere barbaram,
Munere tuo falſo retecto crimine
Senem parentem ac liberos dulciſſimos,

Fratres,

Fratres, propinquos, coniugem chariſsimam,
Piamq́; lætus eſt adeptus patriam.
Ah ægritudo me coquit grauiſsima,
Tempeſtuoſos turbines perhorreo,
Arctáque ſceleris ſum ligatus compede.
O ſi meis aurem precibus indulgeat,
O ſi me ab iſtis eximat periculis,
Genetrix ſalutis, & domina cæleſtium.
Quas gratias toto rependam pectore?
Quibus efferam præconiis, quo carmine?
Artus meos donec fouebit ſpiritus,
Et donec auris perfruar vitalibus,
Non vlla me tui capiet obliuio,
Genetrix ſalutis, & domina cæleſtium.
Cum Cynthius ſe tollet alto gurgite,
Heſterna vibrans tela rurſum lucida:
Cum nox opaca induxerit caliginem,
Vagos & ignes per polum diffuderit,
Te ſemper ore concinam gratiſsimo,
Summusq́; cultor ero tuorum numinum.

In Moſtellariam Plauti, Prologus.

PRimùm quis auctor huius ſit comœdiæ,
Inde argumentum paucis expediuero.
Hanc piſtor Plautus pinſuit comœdiam,
Dum vapulat in piſtrino liberaliter,
(Nam vos illud iam ſcitis, vt equidem arbitror,

Quo

Quo pacto ad ſummam cùm perueniſſet inopiam
Tribunus vapularis aliquando fuerit)
Hilarula eſt, & multis prægnans facetiis,
Vt item aliæ, quaſcunq; hic procudit faber,
Qui pater & architectus eſt omnis ioci,
Solus & omnes ſales, & riſus poſſidet.
Habetis auctorem: argumentum nunc dabo,
Ambas ſi vos aures prius mihi datis,
Theuropides mercator ſua abfuit domo
Triennium. Interea Philolaches filius
Abſente patre fit deploratus nepos,
Rem perdit omnem in poculis atque patinis.
Ei ſeruus dat operam fidelem Tranio,
Senemq; redeuntem peregrè ludos facit,
Miſeroq; homini ſuis artibus os ſublinit.
Neſcio quæ monſtra ait videri in ædibus
(Vnde impoſitum eſt præſenti nomen fabulæ)
Et hinc aliò pridem migraſſe filium.
Quæ nunquam facta ſunt, hic vt facta memorat,
Ego ſycophantam non vidi magis catum,
Nec cui melius proceſſerint aſtutiæ.
Dum ſic confabulantur, & miſcent logos,
Interuenit Daniſta fœnus poſtulans,
Pro quadraginta minis, quas locauerat
Philolachi: eas adoleſcens hic comederat.
Tum Tranio ſenem rurſus ludit probè.
Ad vicinas ædes coëmundas mutuò
Sumptas mentitur: has vult contui ſenex.

Tan-

Tandem cognoſcit impoſturam ſeruuli,
Ac ſe deriſum miris cruciatur modis.
Lorarios à vicino petit ſuo,
Qui Tranioni dorſum conſcribant flagris.
Verùm ab ſui ſodale gnati flectitur,
Seruéque, filióque ignoſcit omnia.

GVLIELMO Principi, eiusque familiæ fauſtum precatur annum, ſimulque munus offert.

NOuam ſalutem dicimus ad annum nouum
GVLIELME tibi ter Principum lectiſſimo,
Caſtiſſimaq́; coniugi, atque liberis
Dulciſſimis, & fratribus amantiſſimis,
Piaqúe matri, ambabus & ſororibus.
Saluere familiam iubemus inclytam,
Oras per omnes prædicatam maximè.
Annum beatum, fauſtum, & expertem malis,
Annum quietum, & omnibus plenum bonis
Vobis precamur Principes clariſſimi.
Dein hocce munus muneratori tibi
Dicamus en GVLIELME, ſit paruum licet,
Tuóque amori in nos malè ſatis congruum.
Veruntamen, ſi pendere ex animis voles
Hæc dona noſtris, ſic erunt haud vilia,
Quando offeruntur à beneuolentiſſimis.

Ad templum nouum Auguſtanum ſalutatio.

SI cuiquam ex penitis optatum fortè medullis,
Et votis nimium flammantibus exſpectatum
Contigit eximio conceſſu ac munere Diuûm,
Hoc tribuere mihi tota cum mente cupitum,
Vt te ſancta domus ſuperûm penetralia Regis
Conſtructam, & ſummis ferientem ſidera tectis
Aſpiciens, tua me portarem ad limina viuus.
Queis ego nunc viden' vt procumbens oſcula figo?
Nudo caput, iungoq́ manus, & poplite curuo
Te admirans, ſacram ingredior cupidiſſimus aulam.
Salue auguſta domus, ſalue ô venerabile templum,
Aſpectum viſumq́ mihi feliciter eſto.
Namq́ tui pridem magno percuſſus amore,
Optabam te ſtellifero conſurgere cælo,
Splendidulum facie, doniśq́ ac numine diues.
Luſtratum properent alij ſpectacula mundi,
Seu Mauſolei ſtupeant calamina buſti,
Seu quibus ipſa ſibi non diſplicet ora Canopi
Pyramidas, murosq́ petant Babylone ſuperbos,
Phidiacum tueantur ebur, Rhodiúmue coloſſum,
Aut Epheſus Latonigenæ quam condidit ædem:
Libertas modo ſit te contemplarier vnam,
Sedes intemeráta, & forma inſignis, & arte,
Quam præſens habitet celſi fabricator olympi,
Aligerûm latè medium ſtipante corona:

Quamq́ obeundo terant pueri intactæq́ puellæ,
Atq́ virûm, atq́ ſenum cunei, & longo ordine matres,
Supplicibus votis operantes: vnde tuus ſe
Spargat honos, nomenq́ tuum, & bona fama perennet.

De diuinis actionibus in hac ęde ſuſcipiendis, ac frequentandis.

DVM reputo, atq́ meo dum ſingula corde voluto,
Quæ ſis conſpectura, domus præclara, quibúſue
Tam immodico ſumptu rebus fundata gerendis,
Gaudia me inceſſunt imas intrantia venas,
Et concuſſa noui inuadunt præcordia ſenſus.
Nam neq́ talorum hîc ducentur tempora ludis,
Nec quiſquam adueniet ſiccatum pocula gurges.
Longè aberunt hinc dapſilibus conuiuia menſis,
Lætificas alibi dabitur celebrare choreas,
Colloquia exordiri, & res diuendere nummis.
Féſtinate pij, iam vos de turribus æra,
Æra quaterna vocant, vrbem exaudita per omnem.
Subnixi genibus, duplicesq́ ad ſidera palmas
Erecti, diuûmq́ patrem, diuosq́ precemur.
Nonne vides denſo vt complerint agmine templum,
Demiſsiq́ oculos, ſparſiq́ piantibus vndis
Inſiſtant precibus tranquillam expoſcere pacem?
Hic Erebum, & ſtygias contra inuiolabile peſtes
Auxilium quærit, fideiq́ efflagitat enſem.
Ille Deo fidens caſtum ſuſpirat amorem,
Ac peritura olim experiens faſtidia vitæ,

Poſtulat

Poſtulat ante diem moribundo corpore ſolui,
Omnigenisq; bonis circumflua ſcandere regna.
Eſt etiam tales qui mittit ad æthera voces.
Alme pater qui cuncta tuo moderamine verſas,
Mœnia noſtra æquo precor, ah precor aſpice vultu,
Inter amicitiam patrios coniunge penates,
Qui tumidas agitant animis diſcordibus iras.
Otia fac redeant, & pax circumuolet vrbem.
Ferrea da remeent vt in aurum tempora priſcum,
Tandemq; vnanimes ſedem repetamus eandem,
Clariſonos tibi fundentes concorditer hymnos.
Prætereà intueor ſæclis ignota vetuſtis,
Nec lingua, aut calamo ſatis explanata diſerto.
Scilicet indutus aurumq; oſtrumq; ſacerdos
Ara aſtat niuea, ſuſpenſus numine multo.
Illic ſacroſanctum effatus carmen, in ipſum
Conuertit rerum cerealia liba parentem,
Comprendens manibus cui anguſta eſt machina mundi.
O pietas. Ergóne Deus *delabitur aſtris,*
Tractandum & digito, & loca per quæcunq; ferendum,
Et ſeſe ſpectandum oculis mortalibus offert?
Ergóne cæleſtis ſuper aram imponitur agnus,
Oblatusq; Deo Deus immenſum expiat orbem?
In faciem ruitote, & plangite pectora pugnis.
Numen adeſt, verum cruſti ſub fragmine numen.
Alati en iuuenes dominum vt reuerenter adorant,
Hinc inde vt celeres volitant, fidibusq; laborant?
Vos quoq; cælicolas imitando expromite laudes,

Reddite propitium cæli terraq́ꝫ Monarcham.
Quid quod præterita agnoſcendo piacula vitæ,
Peccatiſq́ꝫ ſuis percuſſi, acriq́ꝫ dolore
Incenſi, plures veniam (miſerabile) poſcent,
Myſtarum ante pedes ſcelerum commiſſa fatentes?
Tunc gemitus mille, & ſuſpiria mille trahentur,
Triſtia tunc ſalſis manabunt lumina riuis,
Inq́ꝫ ſinus tepidos deſcendet plurimus imber.
Nec pater æthereus miſeris ignoſcere ſpernet,
Accipiens in eos animum per cuncta quietum,
Qui clemens nimium, & princeps clementiæ origo eſt.
Ne vos veſtra tamen delicta antiqua fatigent,
Néue adeò pudeat macularum & criminis atri,
Diſcite quæ bonitas. Æterni æterna propago,
Filius ille Dei vos ore accerſit amico,
Seq́ꝫ ipſum vobis hilarè proponit edendum.
O quicunque, inquit, caditis ſub pondere iniquo,
Sarcina quos afflixit humo grauis, ocyus omnes
Ad me ferte aditum, oppreſſos releuare volentem.
Mandite quem gratis mandendum porrigo panem:
Ipſe ego ſum, quem vos malis abſumere oportet.
O dulces epulas, ô dignam carmine menſam,
Quæ mihi qua nulla eſt, nec fiet opimior, eſcam,
Regum, inquam, Regem, dominumq́ꝫ Deumq́ꝫ miniſtrat,
Vnde meum cumulat cæleſtis gratia pectus,
Perpetuaq́ꝫ datur pignus non vile ſalutis.
Quomodo qui cinis eſt, quiq́ue vmbra ſomnium, ad
hancce

Non

Non formidabit tam auguſtam pergere menſam?
Prô quam ſublimes decet intermittere ſenſus,
Ac ſe deſpicere, & prorſus contemnere, qui ſe
Ordinibus ſuperis æquatum cernit honore?
Quin etiam inſolita vocum dulcedine captus,
Demulſusq́; magis, plectro dum ludit eburno
Ieſſiades, cælumq́; praire inſueta canendo
Contendit, mentem attollo, terrasq́; relinquo.
Me quoq; dum attendo è ſuggeſtu verba ſonantem
Diuina, & rapidæ iaculantem fulmina linguæ,
Lætitiæ tentant, quales non repperit vllus,
Panthoidæ monitus qui iterumq́; iterumq́; reuoluit,
Aut decreta Sophi quiſquis perlegerit, vnum
Quem reliquis quondam doctæ antetuliſtis Athenæ.
Mellea dicta tua Chriſte, & pleniſſima vitæ.
Deniq; ne multis. Quoties ſub ſidera ferri
Incipient animi, & fluxarum obliuia rerum
Indepti, aſtrigeras gaudebunt ire per oras?
Viſentes cælo adſcriptos pueroſq́; patresq́;,
Matres atq; nurus, & qui extrema omnia paſſi,
Propter ſacra pium fuderunt ſponte cruorem.
Nec non virgineas acies, quæ pectore puro
Corporeq́; intacto decus obtinuere pudoris.
Quocirca immortalem agnum iam pone ſequuntur,
Cui ſolis indulta ſibi modulamina miſcent.

Ex precatione Salomonis, in dedicatione templi.

Reg.3.cap.8.

R E x *Abrahamigenûm, cuius ſapientia latas*
Didita per gentes manſurum accepit honorem,
Cælicolûm atq; hominum genitori è marmore, & auro
Delubrum inſtituit, centum ſublime columnis,
Amplum, operoſum, immane, ingens, prænobile, nulli
Quale prius viſum, aut in ſæcula longa videndum.
Id quoq; tot pecudum cæſarum ſanguine, & extis,
Sollenniq; patrum priſcorum more dicatum eſt.
Tum coram aſtabat ſine nomine, & ordine vulgus,
Belligeriq; duces ſtabant, procerumq; caterua:
Quum Salomon forma longè pulcherrimus, ædem
Ad diuinam adiens, fuluo diademate crines
Velatus, gemmiſq; micans, & veſtibus aureis,
Per cœtus graditur medios. Hinc proximus aræ,
Vtroque ad terram ſummiſſo poplite, & altum
Expandens ad cælum vlnas, ſic voce precatur.
Suſpiciende opifex, atque auguſtiſſime Rector,
Nec polus, aut humus, aut imo plaga ſqualida mundo
Inuenere tui ſimilem. Qui commoda donas,
Pollicitumq; ſemel ſeruas prolixius illis,
Pectore ſincero tua qui mandata capeſſunt:
Compoſui ecce tuo ſacrum tibi munere templum,
Viſendum ſpecie, artificumq; labore decorum,
Quæ patri dudum noſtro promiſſa dediſti,

Ac me

Ac me facturum dixti: quæ facta dies hæc
Teſtatur, ſummumq́ meum in te prodit amorem.
Ergóne qui per cuncta meas, quiq́ omnia comples
Climata terrarum, cælumq́ & marmora ponti,
Qui nullis ſpatiis, nec limite clauderis vllo,
Siccine poſſe rear paruos habitare penates?
Sed potes. Eia meas igitur ne temne loquelas,
Neu precibus caſtis tardas admoueris aures.
Te quæſo, vigili ad tua limina reſpice vultu
Noctes atque dies, & quod te cunque rogabit
Hac in ſede tua populus tuus, annue votis.
Cum ſe criminibus fœdauerit, atque ita bello
Perdomitus, tergo inſtantes vitauerit hoſtes,
Mutatusq́ animum ſeſe peccaſſe dolebit,
Oranti veniam, & templum hoc clamore petenti
Tu miſero ne cuncteris dimittere noxas,
Exulibus patriamq́, & charos reddere natos.
Quod ſi nulli etiam rorabunt nubibus imbres,
Si victum ſitiens ager, & ſeges ægra negabit,
Hîc te implorantes audi, Zephyrumq́, Notumq́,
Præcipitare iube nigrantes æthere nimbos,
Quò grauidam irriguo tellus ferat vbere meſſem.
Obſcœnam prohibeto famem, ac ſi quando coorta
Peſtilitas leto exhaurire occœperit vrbes,
Arboribúſue aut ſeminibus ſi ſerpſerit vlla
Forte lues, diri aut populent animantia morbi,
Siue hoſtis clypeata admouerit agmina muris,
Seu quodcunq́ malum nobis quo tempore cunque

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

Ingruerit, fer primus opem, & ſuccurre periclis.
Inſuper externa quiſquis regione profectus,
Vtpotè ſpectandi ſtudio, & te propter eundem,
Quem per longinquas ſermo vulgauerit oras,
Intulerit greſſum Solymais arcibus hoſpes,
Inq; iſthoc fano te quod volet ipſe rogârit,
Exaudi DEVS, *& votis damnare memento.*

EPITHALAMIVM,

In nuptias CHRISTI, & Eccleſiæ.

IAM *nunc puniceos aurora induta colores*
Per ſupera inuehitur roſeo pulcherrima curru.
Quam Thetidis vada ſalſa relinquens ore nitenti,
Et rutilo ſequitur radiorum fulgure Titan.
Æquora ſtrata ſilent, abierunt nubila, venti
Murmura compreſſère, & ſpirant leniter auræ,
Ac tota inſolitùm mundi natura renidet.
Nos pariter quicunq; humana ſtirpe creati,
Lætitiis incedamus ſimul omnibus omnes,
Euinctiq; caput nitidum beneolentibus herbis
Ad citharam in numerum quatiamus ter pede terram.
Æternus pater ætherei moderator olympi
Æquæuæ ſoboli thalamos conceſſit amatos.
Filius ipſe Dei, ſimilis percuncta parenti,
Omnipotens ex omnipotente, è fonte cadens fons,
Immortali æuo ſumma cum pace beatus,

Fœdere

Fœdere perpetuo præſtanti corpore ſponſam
Electam ſibi deducet, propriamq; dicabit.
Iam prodi noua nupta, ſacer te cernere ſponſus,
Oſcula libare, & dare collo brachia circum
Immenſo deſiderio percuſſus anhelat.
Surge, veni, dilecta, inquit, formoſa, columba,
Appropera, tranſiuit hyems, tranſiuit & imber.
Iam ſepti apricis pinguntur floribus horti,
Lætaq; frondiferæ protrudunt germina ſyluæ.
Surge, veni, dilecta veni, formoſa, columba,
Nulla in te macula, aut ruga, pulcherrima tota es,
Sponſa ſororq; mea: cuius duo lumina ſtellis
Æmula, defixere meo ſub pectore vulnus.
O faciem oſtende, & tua vox mihi verberet aures:
Nam facies tibi pulchra, tibi dulciſſima vox eſt.
Surge, veni, dilecta veni, formoſa, columba.
Contra autem ſponſa hæc ſecum meditata reuoluit,
Et teneros cantus diuino carmine fingit.
Oſcula dilectus mihi præbeat, oſcula poſco,
Qualia nemo hominum dedit, aut dare quiuerit vnquam,
Iniiciatq; ambas noſtris ceruicibus vlnas.
Namq; amo, nec flammas poterit celare meum cor.
Dilecto narrate meo, me quantus adurat
Ex nimis ardenti procedens æſtus amore.
Quæſiui quem charum habeo noctuq; diúque,
Quærere nec ceſſabo, mihi dum vita manebit.
Ecquid eum vidiſtis, cuius langueo amore?

O amor, ipſe precor demonſtra vbi ſis, vbi paſcas,
Atq; vbi nam recubes. Tibi ego, mihi tute viciſſim.
Mi dilecte veni, ex te ſolo pendeo tota.
Tu lux, tu vita es, tu ſpes fidiſſima ſolus.
Progreditur noua nupta, it præ, ſequiturq; maniplus
Aligerûm puerorum: ex his vtrinque pudenter
Suſtentant gemini ſacram comitando puellam.
Cætera turba comas lauro præcincta virenti
Indulgent fidibus, violasq;, & lilia ſpargunt.
Quacunq; incedit virgo, diffundit odorem
Ambroſium, ſuauiq; aſpectu ſauciat omnes.
Quam circum ſaliunt Veneres, blandiq; lepores:
Auricomi volitant per colla nitentia crines,
Condecoratq; caput gemmis variata corona:
Candidulum exornant baccata monilia pectus:
Annulus in digito, ſponſalia munera, fulget:
Syrmate verrit humum rigidis palla aurea ſignis.
Quid memorem vultum Reginæ? vtinam modò poſſim
Aut Muſis Andine tuis certare, tuisq;
O generis noſtri Princeps, dux inclyte vatum,
Quo Smyrna, & Colophon tantùm lætatur alumno.
Vt ſi purpureasq; roſas, & lilia cana
Miſta quis inſpiciat, talis color ora venuſtat,
Tam ſpecioſa, & ſuaue rubent mellita labella.
Luciduli ſub fronte micant ceu Phœbus, ocelli.
O nupta eximia, ô ſanctum aſcenſura cubile.
Quò te connubio ſtabili ſibi iungeret ipſe
Æqualis patri natus, de numine numen,

Ad

Ad terras quondam excelſo delapſus olympo eſt.
Inde tui cauſſa perpeſſus & vltima quæque,
Oppetiit tandem diram per vulnera mortem.
Is nunc cerne, pius, & formoſiſſimus vnus,
Sentibus hirſutis compactum vertice ſertum,
Et Phrygiam geſtat chlamydem. Tum vulnera quinis
Oſtentans inflicta locis, cerne vt tibi totus
Immineat. Nunc amplexus, nunc oſcula mille
Exſpecta, incenſumq; nimis ſuper omnia amorem.
Gratantur cæli, ſolio pater exilit alto
Lætitia, & fortunatum iubet eſſe Hymenæum.
Plumigeri fratres, pictiq; exercitus alis,
Talia veridico depromunt carmine fata.
Quam pridem antiqui vates cecinere futuram,
Hæc eſt illa dies, toti acceptiſſima mundo,
Qua ſe terrenis nectunt cæleſtia, qua ſe
Humanis ſociant diuina, æterna caducis.
Plaudamus ſocij, feſta ſollennia lucis
Aduenere, ſuo iam coniux ducitur Agno,
Cui ſeſe vt donanda viro bona ſponſa parauit.
O virgo generoſa, & caſto pectore, quis nunc
Eſt ſenſus tibi, cum tanto dignatur honore
Te Rex, quem penes eſt cunctorum immenſa poteſtas?
Te ſibi delegit multis è millibus vnam,
Immunem labis, florentem ætate puellam.
Quod reliquum, tanto ſis obſequioſa marito,
Néue thori violare fidem, pactumq; libido,
Tamq; ſalutares te rumpere cogat amores.

O quam

O quàm te fœcundam iſthæc connubia matrem
Sunt factura olim? vaſtum cum læta per orbem
Aſpicies infinitas, tua gaudia, proles,
Quas omnes niueo tua paſcent vbera lacte,
Vbera melliſluo ſemper diſtenta liquore.
Te populi venerabuntur, magniq; dynaſtæ:
Quin Reges tua ſceptrigeri veſtigia lambent.

In virginem matrem.

C*VR laudes tibi Virgo pares non dicimus vnquam?*
Omnia cur meritis inferiora tuis?
Quî lingua, & calamus poterunt expromere, ſi mens
Nulla capit, quantum ſit generare Deum?

In eandem.

C*Onceptam Virgo dum fert ſine ſemine prolem,*
Natura hoc ſubitò contuita obſtupuit.
Poſt vbi clauſo vtero cæleſtis prodiit infans,
Hîc iura, exclamat, nil mea iuris habent.

In eandem.

O *Veneranda, ô ſancta, ô auguſtiſſima Virgo,*
Quæ paris vt mulier, nec tamen vt mulier.
Verus homo eſt partu quem das, Deus eſt quoq; verus.
Hunc ſed enim intacto progeneras vtero.
O ſacra virginitas, ſic te peperiſſe decebat:
Sic te non alium quàm peperiſſe Deum.

IN EANDEM.

De imagine eius, qua pingitur coronata ſtellis, amicta ſole, habens lunam ſub pedibus, & in dextera lilium.

LVna nitens cùm ſis, illuſtrantem omnia ſolem:
Luciferum, cùm ſis lucida ſtella, paris.
Deniq; cùm flos ſis incorruptiſſimus, alma
Candidulum florem virginitate paris.
Hinc tibi circumdant ſtellarum inſignia frontem,
Et radij cingunt ſolis vtrunq; latus.
Hinc pedibus ſubſunt aurata cornua lunæ,
Et manibus puris lilia pura geris.

Genethliacum Franciſco D. Octauiani Fuggeri filio.

QVOS ego vagitus, quas hic exaudio voces?
Quem puerum intueor? aut quæ cunabula cerno?
Quis cubat hîc infans? quem lactat ſedula nutrix?
An tuus, Octaui, generoſo è ſanguine ſanguis,
Quem ſociata tibi felici ſidere quondam
Edidit optato coniux lectiſſima partu?
Fortunati ambo, quibus hæc indulta voluptas,
Complecti teneros, dulciſſima pignora, natos,
Charaq; blandidulis interſerere oſcula dictis,
Atq; olim ſeriem longam ſperare nepotum,
Tam claros qui ſe exultent habuiſſe parentes:

Te

Te patrem, Octaui, cuius ſe plurima virtus
Attollens magis atque magis æquauit olympo:
Te matrem Mariam, multis præ millibus vnam,
Egregiam eximiis à laudibus Heroinen.
Nunc age purpureos circum cunabula flores,
Mollia nunc calathis fundamus lilia plenis,
Et puero, vt dignum eſt, fauſtumqúe bonumqúe precemur.
Parue puer, superûm placeas ante omnia Regi,
Ille tuus ſemper cuſtos fidiſſimus eſto.
Ille tibi longum, ſi optabis, proroget æuum.
Parue puer, pietas eſt præſtantiſſima virtus,
Illa ſuum ſemper te conſectetur alumnum.
Hanc pius ipſe pater, pia mater & ipſa docebit.
Parue puer quidquid tanges vertatur in aurum,
Et ſuperà Crœſos opibus, formâque nitenti
Non ſit qui tecum ſeſe componere tentet.
Parue puer, ſapiens, & dignus honoribus eſto.
In te oculos atque ora ferant quà inceſſeris omnes.
Tandem vbi feſſus eris, cælo nouus incola fias.

In imaginem D. MARCI Fuggeri.

PRINCEPS *Fuggaricæ gentis caput hæccine* MARCVM
Effigies, bona cui ſunt numero innumera?
Sacrorum nemo quiſquam reuerentior: illi
Mens caſta, quantum nec Laertiadæ. Quid opes?

Non

Non inopes. Quod onus? curarum voluere moles,
Dulcibus & libris ſæpe capi, immo rapi.
Teſtis Calliſtus, tibi quem Germania ciuem
Extudit hic heros moribus eximiis.
Intrepidus, facilis, iuſtus, moderatus, egentûm
Anchora, flos patriæ, Muſicolûmq́ pater.

Aliud.

Artifices digiti potuerunt reddere Marcum,
Reddere quantumuis lingua diſerta nequit.
Poſſéne plus digitos, culta quam flumina lingua?
Certè equidem manibus dedimus hiſce manus.
Sed modicum atq; vnum eſt Marci depingere vultus,
Plurima & ampla nimis commemoraſſe virum.
Nam cuius faciem captura eſt pagina quæuis,
Ornamenta huius pagina quæ capiat?

MISCELLANEORVM POEMATVM

LIBER SECVNDVS.

Ad perquam Reuerendum & Illuſtrem D. Iacobum Fuggerum Ioannis filium, ſacerdotium ineuntem, de laudibus ſacerdotij.

CÆleſtes animæ, patris omnipotentis alumnæ,
Tuq́ adeo diuûm decus Optima Maxima Virgo,
Quæ vultu nimbosq́ fugas, cælumq́ ſerenas:
Vos quoq prępetibus qui carpitis æthera pennis,
Sæpius humanos dignantes viſere cœtus,
Aſpicite vt iuuenis, quo non præſtantior alter,
Veſtibus effulgens auro, argentoq́ ſuperbis,
Iamq́ animum penitus curis mortalibus expers,
Supplicis in morem ſacratam aduoluitur aram,
Atq ſalutiferum pro nobis immolat agnum.
Heroes gentilicij, atq heroides vnà,
Tum lecti proceres, condenſoq́ agmine matres,
Innuptæ, pueri, ac reliquum ſine nomine vulgus,
Conuentu templum celebrant, & gaudia læti
Declarant, votisq́ tuis ſua vota decenter
Coniungunt, ſummumq́ tibi gratantur honorem,
Felix ô nimium felix IACOBE, *tuorum*

Gloria,

Gloria, præcipuum genitoris & ornamentum.
Afforet atq; vtinam, quæ te cum ſidere fauſto
Has intra quondam produxit luminis oras,
Fœmina virtutis cuſtos, & prima ſatelles.
Quas ea quas voces exultabunda referret?
Quàm cupidè ſacris affigeret oſcula palmis?
Maternumq; caput tibi magna, & ſancta precanti
Subiiceret, natum totis venerata medullis.
Aſt nunc ſtellifera quoniam regione moratur,
Circumfuſa bonis, quæ non mihi dicere promptum,
Inde tui memor illa tamen te blanda tuetur,
Téque patremq; tuum, & concordia pectora fratres
Rectori ſuperûm non parcit tradere votis,
Quemq; olim ſeruabat, adhuc pia ſeruat amorem.
Vnde ſed in venas hæc eſt illapſa cupido?
Vnde tua menti tantus ſe miſcuit ardor,
Temnere vt imbiberes quidquid virtutibus obſtat,
Ac periturarum haurires faſtidia rerum?
Nunc erat vt poſſes tædis genialibus auctus
Dulcia per teneros diſpenſare oſcula natos,
Innumeroſq; olim non deſperare nepotes,
Qui patrium fulcire genus, qui nomina quirent
Inclyta Fuggaridûm ſæclis æquare trecentis.
Siccine pro nihilo eſt quamuis conceſſa voluptas?
Non hæc humanis opibus, ſtudioq; geruntur.
Ille Deus, Deus ille tuis ſeſe oſſibus ipſe
Inſertans, aliam ſuccendit pectore flammam,
Optauitq; ſibi charum ad ſua ſacra miniſtrum.
Macte nouo ſplendore, poteſtatemq; ſupremam,

Cui nempe in terris non æquiparabilis vlla eſt,
Applauſu populi, & diuis ſortite ſecundis.
Salue hominum interpres, legate, patrone, ſequeſter.
Salue etiam atq; etiam aſtricolis dilecte ſacerdos.
Ergo age diuinis propera te accingere iuſſis,
Spiritu & ingenti mandatas confice partes.
Poſce reis veniam, ſcelerumq; auerte luelas,
Quodq; licet, miſeris cæli magna oſtia pande.
Suſpiciendus honos, multum præſtabile munus,
Vtile terrigenis, nec inutile lumine caſſis:
Quod ſtupet, & ſecum celſus reueretur olympus.
Exuite arma duces, diademata ponite reges,
Et qui iura datis, iura ad capienda venite:
Diſcite quid lædat terræq; poliq; potentem,
Néue ſacerdoti pudeat commiſſa fateri.
Quî verò enumerem, aut quo cantu deniq; promam
Delicias, & mellifluos per viſcera motus,
Quos impertiris Regum ter maxime cunctis,
Qui tua ſacra ferunt ætatem caſtè agitantes?
An quidquam ſit fas æquè reputare beatum?
Anne perinde queat iucundum effarier vllus,
Vt vita integrum, vt lethali labe carentem
Sacrifico ornatu feſtam conſiſtere ad aram,
Et DOMINATOREM *populo in medio appellare,*
Orantem cauſſas mundi, & miranda petentem?
Præterea verbo cerealia vertere dona
In ſacrum, atq; almo ſociatum numine corpus,
Et rorem in roſeum vitis mutare cruorem,
Qui de vulneribus manauit flumine largo,

Cum

Cum trabe ſublimi pendens mitiſſime IESV,
Inſontem fudiſti animam, fatumq́ tuliſti.
Prô, ſimul vt carmen mortali ex ore profuſum eſt,
Continuò amittunt ſeſe frugesq́ merumq́,
Illico adeſt Deus, immenſusq́ aperitur olympus,
Vnde repentinò librat ſe plurimus ales,
Auctoriq́ ſuo contendit pangere laudes.
Quis tibi tum aſtanti, & voluenti talia ſenſus?
Aut quæ mens Iacobe? tibi quæ gaudia fibras,
Quam liquida, ô pietas, dicam exoritura per imas?
Pennigerûm quando iuuenum cingente corona,
Seſe aſternentûm, fidibusq́ alterna ſonantûm,
Ipſe manu tractans capies potumq́, cibumq́,
Quem non vllius concludit terminus æui,
Vnde hominum, volucrumq́ genus, mutaq́ natantes
Squamigerûm pecudes, nec non & ſæcla ferarum,
Cui freta, cui tellus, cui ſupplicat arduus æther,
Quem tremefacta pauent Cocyti immania monſtra.
Quod ſupereſt, quæ fida ſoles ſuccurrere noſtris
Quantumcunq́ etiam certo in diſcrimine rebus,
Alma parens, dignare nouum tutamine myſtam,
Néue ab eo placidos aliquando deiice ocellos.
Effice apud genitum ſuaues ex ore loquelas
Effundens, quem nunc peregrino ſchemate opertum
Verſat, & æterno patri libamina ponit,
Hunc vbi poſtremam viuendo peregerit horam,
Conſpiciat, qualis nimirum, & quantus ab ipſis
Cælicolis ſuetus manifeſta in luce videri.

IN NATALEM DOMINI BVCOLICON POEMATIVM.

Argumentum.

TRES paſtores de viſis,auditiſq́; ab ſe angelis,& de Saluatoris ortu ſibi núntiato mutuùm gratulãtes,ad pręſepe adeunt, vbi puerum infantem precibus, & quibuſdam ruſticis muneribus venerati, beneficium Dei, & mox futuram ſæculi felicitatem, honorem præterea matris digredientes lætabundi canunt,omneſq́; ad exultandum inuitant.

ALCIMEDON, BATTVS, LOLLVS.

A. *Nunc demum pecoris me non piget eſſe magiſtrum,*
Barbigeraſq́; ſequi per deuia rura capellas,
Quando ita cælicolæ paſtorum viſere cœtus
Occipiunt, ortumq́; Dei monſtrare recentem.
B. *Mira bculis,& mira animo, mira auribus hauſi,*
Anguſtum vt iam ſit capienda ad gaudia pectus.
L. *Lolle quid hoc magni,vigiles impendere noctes,*
Gratia ſi modicum comitatur tanta laborem?
A. *Vt rutilum ſeſe lumen ſpargebat olympo?*
B. *Prô dulcem affatum, lepidoſq́; per æthera cantus.*
L. *Vt nubes ventoſq́; cohors pennata ſecabant?*
A. *Sed nunc, ô pueri,quod nos magis vrget agamus.*

Aligeri

Aligeri iuuenis Bethlemica mœnia iuſſu,
Infantemq́ nouum, & præſepia ſancta petamus.
L. *Gratius hoc nihil eſt, iuuat ire & ponere greſſus,*
Et Saluatoris prognati cernere vultus.
A. *Paſce greges Lycida, dum nos via ducit ad vrbem.*
B. *Hem, nos cuſtodes pecudum, ſine nomine, nullis*
Inſignes ornamentis accedere tantum
Ad Regem, cuius dominatur in omnia nutus?
A. *Sic placitum cælo, fruſtra hæc te cura fatigat:*
Paſtores charum ſuperis genus, ipſe vocauit
Qui genitus: nec marmorea quærendus in aula,
Verùm humili in ſtabulo, per diuerſoria nobis
Nota ſatis: pergamus iter, mi Batte, quod inſtat.
L. *Quæ me cunq; manet fortuna, hanc pectore noctem*
Deletura dies mihi nulla eſt: hanc ego noctem
Annua ſacra ferens celebrabo dum fruor auris.
A. *Felices quibus hæc licitum portenta tueri,*
Præſentes ſpectare, atq; auſcultare beatos.
B. *Quid ſi iſthæc Solymæ necdum ſunt cognita? quid ſi*
Et regem, & proceres, & cunctos deniq; ciues
Cùm lateant, exponuntur tantummodo nobis?
A. *Id potius reor. En quis nam locus iſte ſodales?*
L. *Antrum immane, ingens, niſi quid me lumina*
fallunt.
B. *Fortè iſtud ſtabulum, quò dudum pergere iuſſi.*
A. *Fortè eſt: non eſt: immò eſt: huc veſtigia ferte:*
L. *Hoc ipſum eſt. An non infantem conſpicis? ohe*
Alcimedon: teneram non illic, Batte, puellam?

Vt radiis fulget puer aureus? vt pia virgo eſt
Poplitibus flexis oculos deiecta nitentes?
B. *Hæc pueri mater, credo: ſeniórne maritus,*
An cuſtos? quid bos facit hîc, quid tardus aſellus?
A. *Audite audite. ô dulci modulamina cantu,*
Qualia plumigeri dum tranant æthera fratres.
D. *Diſpeream ſi quid mea fiſtula dulcius vnquam.*
L. *Ocyus intremus: quonam libet vſque morari?*
A. *O fœtus ſacer, ô* DEVS *optime maxime ſalue.*
B. *Et tu ſancte ſenex, & vos animantia partus*
Conſcia diuini, nimis ô felicia auete.
A. *Ergóne ſic poſitum cæli decet eſſe potentem?*
In calamo, & fœno auctorem requieſcere mundi?
Paupertate premi, quo non opulentior alter?
Ac dominum fieri ſeruorum deniq; ſeruum?
L. *Rurſus vt aligeri ſuaues dant gutture voces?*
O pietas rara, ô priſcis incognita ſæclis,
Quæ promptum ac facilem ſtellanti à culmine cæli
In paruum hoſpitium, ſtabuli in penetralia duxit.
B. *Me ſtupor altus habet, mea mens ſe non capit ipſam.*
Iſta ſpecus quàm ſublimes inuenit honores?
Ipſa dedit cunas, ipſa eſt domus inclyta regis
Ætherei, ac longè depicta palatia linquit.
A. *Tot populi quondam accenſi pietatis amore,*
Viſuri tua tecta, tuos Bethlemia fines
Accurrent, auidúsq; oculis hæc antra requirent,
Et capita illorum venerando puluere ſpargent.
Tollere carminibus Rectorem inſiſtite Diui,

Qui

Qui nobis ſummi deuinctus vulnere amoris,
Atq; adeo noſtræ miſerando incommoda gentis
Libertatem affert, bona cuncta, ipſamq; ſalutem.

B. *Sancte puer, patris æterni nate vnice, diuûm*
Deliciæ, humani generis iucunda voluptas,
Rerum magne opifex, cunctorum vita animantum,
Sis felix, néue admiſsis offendere noſtris.

A. *Sancte puer virtus patris, & ſapientia ſummi,*
Ante æuum genite, æternum, immemorabile verbum,
Fons lucis, candor, patriæ bonitatis imago,
Dexter ades, populum prohibens belloq;, faméque.

L. *Sancte puer multis exſpectatiſsime ſæclis,*
Mundi ſola ſalus, vita, & fiducia certa,
Gloria iuſtorum, triſtatorumq; leuamen,
Da bona quæq;, polum reſera, impia tartara claude.

A. *Quas tibi pro tanto referemus munere grates,*
Cum nos terricolûm multis è millibus vnos
Ad præſepe tuum, & cunabula ſancta vocaſti?
Accipite hæc pueri ſylueſtria dona parantes,
Arboreos fœtus noſter quos hortus alebat.
Vilia ſunt fateor, nulloq; inſignia cultu.
Quod poſſum id tribuo, paruum ne temnite munus.

B. *Hos ego caſeolos pro tempore largior: at ſi*
Lanigeræ matres effundent partubus agnos,
Polliceor ternos ipſis cum matribus agnos.

L. *Sinum lactis ego puero, atq; hæc liba. Vtinam mi*
Copia maior opum, largirer multa talenta.

A. *Nunc ô magne puer creſce, ætatemq; propaga,*

Et noſtri memor vſq; in ſacula quaſumus eſto.
L. *Virgo vale, tecumq́; ſenex, ô puſio dulcis*
Eia vale, atq; ouium cuſtodibus annue ſemper
B. *O vtinam hîc fas ſit ſpacium decurrere vita.*
Sed nos hinc aliô retrahunt cura, eia valete.
A. *Ergo eſt inuentus, quem dixerat angelus ille,*
Saluator cunctorum hominum, Deus ipſe, Deûm Rex,
Scilicet indutus moribundi corporis artus.
B. *Cantantes redeamus, & hac myſteria lati*
Non animis tantùm, ſed claris vocibus vnà
Dicamus, prolemq́;, & matrem condecoremus.

Omnes ſimul canentes.

THura cremate focis, peregrini vrantur odores,
Ante aram ſtrictos ſimul imbuat hoſtia cultros.
Tempora pacificis niteant euincta coronis,
Altiſono plauſu ſylua, colleſq́; reſultent.
Lata dies agitur, carpamus gaudia lati.
Defixit tandem mitiſſima lumina terris
Ille Deus, Deus ille hominum ſuperûmq́; creator.
Iam noua prateritos mutabunt ſacula mores,
Per totumq́; renaſcetur gens aurea mundum.
Lata dies agitur, carpamus gaudia lati.
Nunc lupus inſidias meditari deſinet agnis,
Parcet & armento vis iracunda leonum.
Vomeris in faciem conflabitur improbus enſis,
Nec tuba rauca dabit miſcenda ad pralia ſignum.

Læta dies agitur, carpamus gaudia læti.
Iam noua progenies ſupera delabitur arce,
Quæ pridem miſeris obſtructum pandat olympum.
Incipe parue puer, intactam amplectere matrem:
Baſia mille dabit, tu reddas altera mille.
Læta dies agitur, carpamus gaudia læti.
At tu cælicolûm regi dilecta puella,
Quo poteris ſtudio tracta venerabile pignus.
Siccandas puero da non inuita papillas,
Siue volet dextram, ſiue appetet ille ſiniſtram.
Læta dies agitur, carpamus gaudia læti.
Labra pudica tua paruis compone labellis,
Eia oculos oculis gemmas imitantibus adde.
Ille tuum corpus, tuus ille eſt deniq; ſanguis.
Cedite vos regum tumidorum, cedite matres.
Læta dies agitur, carpamus gaudia læti.
Lucida quà ſeſe diffundunt tela diei,
Poſteritas omnis tales mirabitur ortus.
Et quà ſe in latus omne exporrigit vltima tellus,
Hancce colet matrem ſeries numeroſa nepotum.
Læta dies agitur, carpamus gaudia læti.

LABOR DONATVRVS PRÆMIA.

REm iuſtam à vobis oratam prius volo,
Quam occipio, quæ mihi ſunt in mentem, proloqui.
Date vacuas aures, facite ſilentium:
Tacete ſultis, atque animum aduortite.
Nunc ne quis erret veſtrûm, quamobrem venerim,

 Et cu-

Et cuius imperio in medium proceſſerim,
Quis dicar, paucis in viam deduxero.
Nomen Laboris eſt mihi, vocor LABOS.
Hoc iam tenetis:optimum eſt: ferte reliquum.
Huc me Iuſtitia dirigere iuſſit gradum,
Malis vt verbis multùm obiurgitem malos,
Pigros, ignauos, oſcitantes, deſides,
Qui ſemper diſcendo, ſemper diſcunt nihil.
Bonos vt contra, diligentes, ſedulos
Remuneratos mactem ſummis laudibus.
Iſtis comœdiam, aſt illis tragœdiam
Eadem opera recitabo, ſolus hiſtrio.
Non opus eſt pluribus, ad dandas plagas niſi,
Ad pugnos, fuſtes, colaphos, flagra, denique
Ad iſtiuſmodi contribuendas opes,
Quibus diteſcere cupiunt pauciſſimi.
Hîc verò vel ſexcenti non erunt ſatis:
Socordium hodie tantus eſt exercitus,
Qui de compacto contra me bellum gerunt,
Duellatores omnium nequiſſimi,
Quot ſunt, fuerunt, & erunt in poſterum.
Qui me prohibere vitaq́ꝫ, & victu volunt.
Sic eſt vt dico: mentiri non eſt meum.
Operæpretium eſt audire quomodo me habeant
Iſti ſtudioſi, quorum hic cerno plurimos.
Apage, inquiunt, ſenex: nimis importunus es.
Ah quam moleſtus, aſper, toruus, tetricus,
A tergo ſemper inſtas, & ſemper iubes,

Impel-

Impellis, vrges, incitas vſque ad necem.
Labor abi, non places, mihi ne amicus ſuas,
Tuas tibi res habe. Ecce iam doleo caput,
Pectuſq́; anhelat, hauriuntur ſpiritus,
Maceſco, conſeneſco, tabeſco miſer,
Viuus vidensq́; pereo. Non places Labor,
Diſcede Labor in maximam malam crucem.
Vt te Diiq́;, Deaq́; omnes perdant carnifex.
Talem mihi Paana ſæpe concinunt.
Papæ quis hoc ferre, & quis hoc poßit pati?
Ne vos eatis perditum pulli mei,
Mei columbuli, mei paſſerculi.
Si diues arca eſt, quid vobis cum literis?
Studete, ſed quantum animis veſtris libuerit.
Si doctiores non redibitis domum,
At certè ſaltem ſeniores redibitis.
Hoc certo nil poteſt magis eſſe certius:
Et interim mors ſua patrem apprehenderit.
Prô Iuppiter, hîc vobis quantum eueniet boni?
Domus, familia, vineæ, pecunia,
Agri, villæ, horti, ſyluæ, prata, boues, oues,
Plenæ cellæ, pleni ſacci, plena omnia.
Diſcere duas horas ſat eſt: ne quid nimis.
Dormire quindecim, parum eſt: ne quid minus.
In ludo ſeßitare, & nunquam ludere,
An non longè videtur abſurdißimum?
Ad aliud ſtudium poſtquam aggreßi fueritis,
Quam citò poteſt, libros priores vendite:

Deeſſe

Deeſſe vobis ſumptum in pocula non decet.
Iuuentus, quia ſemper calet, ſemper ſitit.
Paucos habetote libros: qui multos habent,
Præ pigritia non poſſunt omnes voluere.
Sed iſthæc miſſa facio ſcholarum opprobria,
Quiſquilias, homines natos tantum pabulo,
Qui nil æquè norunt, vt ſua præſepia.
Venio ad alios, qui me velut patrem colunt,
Quibus me ſcio eſſe quam chariſſimum,
Apud quos mea multum poteſt auctoritas,
Auidos, ſolertes, nauos atque induſtrios.
Horum eſt profectò raritas rariſſima.
Sed hac boni natura eſt, vt rarum ſiet.
Hi ſtrato exilientes priuſquam luxerit,
Inhærent chartis, ſcribunt, ediſcunt, legunt,
Citiusq́ vadimonia quam ludum deſerunt.
Amant docentes, audiunt cupidiſsimè,
Iterant audita ſecum quam creberrimè.
Quies, voluptas, otium, ſpectacula
Amica diligentibus eſſe non ſolent.
Quid ergo tandem? an gaudiis prorſus vacant?
Pol neutiquam: immo quis hominum gaudet magis?
Muſæ delectant, reficiunt, paſcunt, fouent,
Erudiunt, & implent animos ſapientia.
Muſas quicunq; non amat, non eſt homo.
Qui cum Muſis rationem habet, beatus eſt:
Qui non habet, is eſt miſerorum miſerrimus.
Verum illud animo maximè placet meo,

Quod

Quod niſi me interprete nullum Muſæ diligunt:
Quod vbi ego non ſum, non veniat ſapientia.
Ego dicor ſcientiarum prodromus,
Illúq; dulce præparo diuerſorium:
Illæ ſequuntur me, nunquam mihi præeunt.
Vetus eſt verbum, ſed oppidò eſt veriſsimum:
Sumptum faciat oportet, qui quærit lucrum.
Labor colendus eſt vobis: Labor improbus
Omnia vincit: Labori nil imperuium.
Me comitantur laudes, honores, gloria,
Diuitiæ, ſplendor, nominis æternum decus.
Meum numen magnum eſt in rebus omnibus.
Iam verò tempus me ſeſſum recipere,
Vt quæ quibus decreui reddam præmia,
Meis alumnis, meis, inquam, fauitoribus.
Nunc iam arrigite aures, cùm legentur nomina
Meorum alumnorum, qui partim Rhetores,
Partim Poëtæ ſunt, partim literas ſciunt,
Hi græcas, hi latinas: cedunt nemini.
Pugnarunt hercle pugnam nobiliſsimam,
Strauere hoſtes, potiti ſunt victoria,
Victiśq; perduellibus palmam tenent,
Si quis ſcreare vult, aut naſum emungere,
Aut cum aliquo fabulari, faciat hoc ſtatim:
Nam poſtea haud licebit: niſi quis volet
Ad ſaturitatem fuſtibus mulcerier.
Tu, Nomenclator, age, victores aduoca:
Pronuntia tam clarè, vt omnes audiant,

Etiam illi, qui nec vnum floccum hinc auferent,
Quibus iam miſerum cor ſubſultat præ metu.

HONOR DATVRVS PRÆMIA.

DVO ſunt, ſpectatores, quæ vos ſcire cupitis,
Qui ſim, quapropter me egerim in proſcenium,
Et hoc, & illud vobis demenſum dabo.
Tenete, ego ſum HONOS: *iteratò dicam, ego ſum* HONOS.
Meus pater eſt LABOS, *ille moleſtus ſenex*
Qui hic fecit anno proximo hiſtrioniam.
Mater, ſi quæritis, mihi eſt SOLERTIA.
His vnicus prognatus ſum parentibus,
Mihi ſed vna domi luſitat ſororcula,
Quam diligo nil ſecius atque cor meum.
Hæc forma Veneres ſupra cunctas eminet:
Parentes ei nomen dixerunt GLORIAM,
Habentq́; charam eximie, quaſi oculos ſuos.
Audiſti modò genus meum, & vocabulum:
Audite porrò quod petiſtis alterum.
Aduentus meus eſt ſemper feliciſſimus,
Latiſſimus, gratiſſimus, amantiſſimus:
Blandus quippe venio, & exſpectatus plurimum,
Geminas bonorum repletas gerens manus.
Affero laudes, celebritatem, famam, decus,
Et quorum nomina volo, ſtellis inſero:
Ex hominibus magnos ego decerno Deos.

Nunc

Nunc ergo vt vos donis honeſtem ampliſſimis,
Idcirco in cœtus hoſce medium me intuli.
Atqui hoc primum non ignorare conuenit,
Sunt quibus haud ſum vilia daturus præmia:
Sunt rurſum quibus haud vitioſam dabo nucem,
Hoc à me vtrorumq; meritis poſcentibus.
Qui diligenter ſe inuoluerunt literis,
Quibusq; meus pater LABOR *charus fuit,*
Chara pietas omnis, chara ſalus patriæ,
Hos, prout iuſtum eſt, donis donabo plurimis,
Efficiamq; vt digitis commonſtrentur palam,
Vt ob ipſorum os omnes ora obuertant ſua.
Verùm qui tempus contriuerunt otio,
Amantes ventrem, ſomnos atque ſomnia,
Nil penſi habentes, quid, quantumq; diſcerent,
Meum ab ſe ſtulti procul ablegantes patrem,
Nullum hoſpitium præbentes diligentiæ,
Iſtos (fabor enim quod res eſt) amo vt canes.
Nil eſt hoc genere ſceleſtum, aut inuiſum magis:
Nunquam hercle faxo iſtud pecus me inuenerit.
Illorum præmia paucis nunc ediſſeram.
Si pueri ſunt, virgis conſcribantur probè:
Alij nodoſis perfricentur fuſtibus,
Atque hoc in ſingulos dies, bis, ter, quater,
Tergora donec mollia plagis erubuerint.
Honos ingenuas quotquot ſunt artes alit:
Ita ſalus mecum ſit, vt hoc eſt certiſſimum:
Quicunque dixit, dignum eſt ipſo Apolline.

Quin

Quin rerum virtus omnium pulcherrima
Aliam niſi me, nullam mercedem flagitat.
Quocirca vt artes, ſic virtutes alit Honos:
Hoc abſente quotuſquiſq; virtutem colat?
Etiam ſi nolis, virtutem ſequitur Honos,
Vt vmbra corpus, ſeparari non poteſt.
Præmia ſine me non ſunt vocanda præmia.
Nam ſi quiſquam me non dedit, nugas dedit.
Me vt adipiſcantur, quid homines non perferunt?
Quas non ærumnas perpetiendo exhauriunt?
Laborant, vigilant, ſudant, frigent, æſtuant,
Tolerant inediam, ſe macerant ſiti,
Rogant, prehenſant, obteſtantur, ſupplicant,
Deſpoliari ſeſe bonis facile ſinunt,
Honore violato plorant miſerrimè,
Vt ſi vnicum ad buſtum orba mater efferat.
Haud illos capere potis eſt obliuio mei.
Animam libentes propter hunc abiecerint,
Immo herclè verò (ſed rem tegite ſilentio,
Ne cui feceritis hoc palam myſterium)
Quidam me tanquam numen ſupremum colunt,
Mihi ſacrificant, DEVM *fugientes priſtinum.*
Cur me non dicam ergo regem, qui ſum DEVS?
Omnes mortales me certatim diligunt:
Doctus vt indoctus, nobilis vt ignobilis,
Diues vt inops, probus vt improbus: omnes me amant.
Orbis terrarum totus Honorem ſuſpicit.
In hac corona eſt vnius cubiti puer,

Is in

Is in amore mei veſtrûm cedit nemini:
Eum mater videre victorem cupit
Domum redeuntem cum exquiſito munere.
Et faciam, ſemper ego amaui pueros bonos,
Sacris Muſarum deditos à paruulis.
Qui diſputando voces dant altiſſimas.
Meus tunc animus exilit præ gaudio,
Quando feruentes ſic laceſſunt prælia,
Et Martem vtrinq; inuadunt totis viribus.
Ibi tum aliquandiu anceps eſt victoria,
Exinde multus fit ſanguis ſine vulnere,
Quia ſtrictis linguis res geritur non enſibus.
Tandem altera pars ſuperba victrix emicat,
Canit triumphum, victi ſe mandant fugæ,
Opprobriorum ſaturi, atq; ignominiæ.
Multum præterea oblector grandiuſculis,
Cum multa ediſcunt, ſcriptitant quamplurima,
Libros legentes doctos ardentiſſimè,
Plenos nitoris plenos & facundiæ,
Verbis politis erudite garrulos.
Hi ſunt honoribus omnium digniſſimi,
Hos hos Marones reddam, reddam Tullios;
Cælo attollam, noua inſignitos gloria.
Impertior me equidem beatis regibus,
Illuſtro milites, & militiæ duces.
Si mihi lubet, ex medicis facio Machaonas,
Fictor Polycletus, pictor fit Parrhaſius.
Verum enimuerò, ſapientes ardeo magis,

In hos omnes meas transfundo copias,
Sum liberalis, nullis parco ſumptibus,
Illos vt æquem propemodum immortalibus.
Mihi cordi ſunt latinè qui norunt loqui,
Item qui norunt Atticas dulcedines,
Geometræ, & qui contemplantur ſidera,
Vatum piorum genus, æthereo qui canunt
Inflatu agitati verſus diuiniſſimos,
Et oratores nobiles, & Philoſophi,
Hos in oculis, & velut in complexu fero.
Ea gratia iſtud Gymnaſium ingredior libens,
Vbi ſapientia fixit ſibi domicilium,
Vbi habitant adoleſcentes quam doctiſſimi.
Ex his arceſſam per præconem bis nouem,
Aurea vt illis diſpertiam munuſcula:
Reliquos à me laudatos ſufficit
In præſens. Mea laus ſanè pulchrum eſt præmium.
Age præco, meos alumnos deinceps aduoca:
Caue ſis, ne quemquam omittas per imprudentiam.

Datis præmiis.

IVcundum hoc vobis accidit ſpectaculum?
Ita, inquiunt: bene eſt: operam poſthac date:
Vos vt maiori præmio dignemini,
At me vobis propitium habeatis amplius:
Vos vt poſsitis hos praeuntes aſſequi.
Valete, & ſi diſcendo vultis progredi,
Curate ex animis vt ne vobis effluam,

Stimu-

Stimulus hic eſt acerrimus, credatis velim.
Anno inſequente mea ſi huc adierit ſoror,
Quam dixi à principio vocari GLORIAM,
Tum faciem vos cernetis admirabilem,
Nec vnquam viſam in terris pulchritudinem.
Eam ſat ſcio quiſque vxorem optabit ſibi.
Aſt illa exoſa thalamos nubit nemini.
Quid ergo faciet? quod nos fecimus hodie.
Valete, & viuite hinc in annum proximum.

EPIGRAMMATA CONVERSA DE GRAECIS.

In inuidiam, & ſollicitudinem.

INCERTI.

INuidia eſt melior quàm ſit miſeratio, dixit
Pindarus, inuiſis affluit omne bonum.
Eſt miſer is cuius miſeret: quid tutius optem?
Ne ſim vel proſper, vel miſer immodicè.
Optima res medium eſt: ſummis coniuncta pericla;
Vltima perpetuum dedecus inſequitur.

INCERTI.

Grande malum liuor, comedit liuentibus idem
Atque cor atque oculos: hoc habet ergo boni.

Aliter.

Inuidia peius nihil eſt: valet hoc tamen vno,
Inuidi enim pectus macerat, atque oculos.

In doloſos, & adulatores.

LVCILLII.

Dilige me facto, ſi diligis, & fuge obeſſe,
Principium damni ne fac amicitiam.
Plus hoſtes homini ſtatuo conducere apertos,
Quam plenam occultæ fraudis amicitiam.
Sic ratibus peior, Nereî dum fluctibus errant,
Quæ ſepelitur aquis, quam petra quæ extat aquis.

PALLADÆ.

Rῶ tantum, & λάμβδα coraces, colacesq́; diremit.
Res ergo vna corax, improbus atque colax.
Quocirca hoc animal vita ſollerter amice:
Viuorum quoq; ſunt οἱ κόλακες κόρακες.

Eiuſdem.

Non adeo fraudi eſt odium qui effundit apertè,
Vt qui germanam fingit amicitiam.
Deuitatur enim qui nos odiſſe fatetur:
Suſpicione vacat, qui mihi dicit, amo.
Trux inimicus erit, me iudice, quiſquis amicus
Creditus, occultâ ſub ratione nocet.

LVCIANI.

Nil homini natura dedit crudelius illo,
Candidam amicitiam qui ſimulare poteſt.

Nemo

Nemo hoſtem reputat, fidum mage cenſet amicum.
Sæpius, heu, miſeris obfuit illa fides.

In vinum, & Venerem.

INCERTI.

Soluit membra Venus, ſoluit quoq; membra Lyeus,
Amborum ſoboles præſtat idem podagra.

In deformes, pigros, ebrioſos.

THEODORI.

Hermocrates naſi: quoniam ſi dixero naſus
Hermocratis, paruis magna nimis tribuo.

TRAIANI CÆSARIS.

Si ſoli obiicias naſum, ſiq; ore debiſcas,
Oſtendes horas non malè prætereuntes.

AMMIANI.

HAVD Proclus manibus potis eſt emungere naſum,
Nam Proclo naſus maior ineſt manibus.
Sternutando Iouem nũquam vocat, haud etenim audit:
Tam longè diſtat naſus ab auriculis.

NICARCHI.

Diligis? odiſti, aſt odio me diligis ipſo.
Ergo niſi odiſti, deſine diligere.

Et noſtri memor vſq; in ſacula quaſumus eſto.
L. *Virgo vale, tecumq; ſenex, ô puſio dulcis*
Eia vale, atq; ouium cuſtodibus annue ſemper
B. *O vtinam hîc fas ſit ſpacium decurrere vitæ.*
Sed nos hinc aliô retrahunt curæ, eia valete.
A. *Ergo eſt inuentus, quem dixerat angelus ille,*
Saluator cunctorum hominum, Deus ipſe, Deûm Rex,
Scilicet indutus moribundi corporis artus.
B. *Cantantes redeamus, & hæc myſteria læti*
Non animis tantùm, ſed claris vocibus vnà
Dicamus, prolemq;, & matrem condecoremus.

Omnes ſimul canentes.

THura cremate focis, peregrini vrantur odores,
Ante aram ſtrictos ſimul imbuat hoſtia cultros.
Tempora pacificis niteant euincta coronis,
Altiſono plauſu ſylua, colleſq; reſultent.
Læta dies agitur, carpamus gaudia læti.
Defixit tandem mitiſſima lumina terris
Ille Deus, Deus ille hominum ſuperûmq; creator.
Iam noua præteritos mutabunt ſecula mores,
Per totumq; renaſcetur gens aurea mundum.
Læta dies agitur, carpamus gaudia læti.
Nunc lupus inſidias meditari deſinet agnis,
Parcet & armento vis iracunda leonum.
Vomeris in faciem conflabitur improbus enſis,
Nec tuba rauca dabit miſcenda ad prælia ſignum.

Læta dies agitur, carpamus gaudia læti.
Iam noua progenies ſupera delabitur arce,
Quæ pridem miſeris obſtructum pandat olympum.
Incipe parue puer, intactam amplectere matrem:
Baſia mille dabit, tu reddas altera mille.
Læta dies agitur, carpamus gaudia læti.
At tu cælicolûm regi dilecta puella,
Quo poteris ſtudio tracta venerabile pignus.
Siccandas puero da non inuita papillas,
Siue volet dextram, ſiue appetet ille ſiniſtram.
Læta dies agitur, carpamus gaudia læti.
Labra pudica tua paruis compone labellis,
Eia oculos oculis gemmas imitantibus adde.
Ille tuum corpus, tuus ille eſt deniq; ſanguis.
Cedite vos regum tumidorum, cedite matres.
Læta dies agitur, carpamus gaudia læti.
Lucida quà ſeſe diffundunt tela diei,
Poſteritas omnis tales mirabitur ortus.
Et quà ſe in latus omne exporrigit vltima tellus,
Hancce colet matrem ſeries numeroſa nepotum.
Læta dies agitur, carpamus gaudia læti.

LABOR DONATVRVS PRÆMIA.

REm iuſtam à vobis oratam prius volo,
Quam occipio, quæ mihi ſunt in mentem, proloqui.
Date vaciuas aures, facite ſilentium:
Tacete ſultis, atque animum aduortite.
Nunc ne quis erret veſtrûm, quamobrem venerim,

Et cuius imperio in medium proceſſerim,
Quis dicar, paucis in viam deduxero.
Nomen Laboris eſt mihi, vocor LABOS.
Hoc iam tenetis:optimum eſt: ferte reliquum.
Huc me Iuſtitia dirigere iuſſit gradum,
Malis vt verbis multùm obiurgitem malos,
Pigros,ignauos, oſcitantes, deſides,
Qui ſemper diſcendo, ſemper diſcunt nihil.
Bonos vt contra, diligentes, ſedulos
Remuneratos mactem ſummis laudibus.
Iſtis comœdiam, aſt illis tragœdiam
Eadem opera recitabo, ſolus hiſtrio.
Non opus eſt pluribus, ad dandas plagas niſi,
Ad pugnos, fuſtes,colaphos, flagra, denique
Ad iſtiuſmodi contribuendas opes,
Quibus diteſcere cupiunt pauciſſimi.
Hîc verò vel ſexcenti non erunt ſatis:
Socordium hodie tantus eſt exercitus,
Qui de compacto contra me bellum gerunt,
Duellatores omnium nequiſſimi,
Quot ſunt, fuerunt, & erunt in poſterum.
Qui me prohibere vitaq́, & victu volunt.
Sic eſt vt dico: mentiri non eſt meum.
Operæpretium eſt audire quomodo me habeant
Iſti ſtudioſi, quorum hic cerno plurimos.
Apage, inquiunt, ſenex: nimis importunus es.
Ah quam moleſtus, aſper, toruus, tetricus,
A tergo ſemper inſtas, & ſemper iubes,

Impel-

Impellis, vrges, incitas vſque ad necem.
Labor abi, non places, mihi ne amicus ſuas,
Tuas tibi res habe. Ecce iam doleo caput,
Pectuſq; anhelat, hauriuntur ſpiritus,
Maceſco, conſeneſco, tabeſco miſer,
Viuus videnſq; pereo. Non places Labor,
Diſcede Labor in maximam malam crucem.
Vt te Diiq;, Deæq; omnes perdant carnifex.
Talem mihi Paana ſæpe concinunt.
Papæ quis hoc ferre, & quis hoc poßit pati?
Ne vos eatis perditum pulli mei,
Mei columbuli, mei paſſerculi.
Si diues arca eſt, quid vobis cum literis?
Studete, ſed quantum animis veſtris libuerit.
Si doctiores non redibitis domum,
At certè ſaltem ſeniores redibitis.
Hoc certo nil poteſt magis eſſe certius:
Et interim mors ſua patrem apprehenderit.
Prô Iuppiter, hîc vobis quantum eueniet boni?
Domus, familia, vineæ, pecunia,
Agri, villæ, horti, ſyluæ, prata, boues, oues,
Plenæ cellæ, pleni ſacci, plena omnia.
Diſcere duas horas ſat eſt: ne quid nimis.
Dormire quindecim, parum eſt: ne quid minus.
In ludo ſeßitare, & nunquam ludere,
An non longè videtur abſurdißimum?
Ad aliud ſtudium poſtquam aggreßi fueritis,
Quam citò poteſt, libros priores vendite:

Deeſſe vobis ſumptum in pocula non decet.
Iuuentus, quia ſemper calet, ſemper ſitit.
Paucos habetote libros: qui multos habent,
Præ pigritia non poſſunt omnes voluere.
Sed iſthæc miſſa facio ſcholarum opprobria,
Quiſquilias, homines natos tantum pabulo,
Qui nil æquè norunt, vt ſua præſepia.
Venio ad alios, qui me velut patrem colunt,
Quibus me ſcio eſſe quam chariſſimum,
Apud quos mea multum poteſt auctoritas,
Auidos, ſolertes, nauos atque induſtrios.
Horum eſt profectò raritas rariſſima.
Sed hac boni natura eſt, vt rarum ſiet.
Hi ſtrato exilientes priuſquam luxerit,
Inhærent chartis, ſcribunt, ediſcunt, legunt,
Citiusq́ vadimonia quam ludum deſerunt.
Amant docentes, audiunt cupidiſsimè,
Iterant audita ſecum quam creberrimè.
Quies, voluptas, otium, ſpectacula
Amica diligentibus eſſe non ſolent.
Quid ergo tandem? an gaudiis prorſus vacant?
Pol neutiquam: immo quis hominum gaudet magis?
Muſæ delectant, reficiunt, paſcunt, fouent,
Erudiunt, & implent animos ſapientia.
Muſas quicunq; non amat, non eſt homo.
Qui cum Muſis rationem habet, beatus eſt:
Qui non habet, is eſt miſerorum miſerrimus.
Verum illud animo maximè placet meo,

Quod

Quod niſi me interprete nullum Muſæ diligunt:
Quod vbi ego non ſum, non veniat ſapientia.
Ego dicor ſcientiarum prodromus,
Illiúq; dulce preparo diuerſorium:
Illæ ſequuntur me, nunquam mihi praeunt.
Vetus eſt verbum, ſed oppidò eſt veriſſimum:
Sumptum faciat oportet, qui quærit lucrum.
Labor colendus eſt vobis: Labor improbus
Omnia vincit: Labori nil imperuium.
Me comitantur laudes, honores, gloria,
Diuitiæ, ſplendor, nominis æternum decus.
Meum numen magnum eſt in rebus omnibus.
Iam verò tempus me ſeſſum recipere,
Vt quæ quibus decreui reddam præmia,
Meis alumnis, meis, inquam, fauitoribus.
Nunc iam arrigite aures, cùm legentur nomina
Meorum alumnorum, qui partim Rhetores,
Partim Poëtæ ſunt, partim literas ſciunt,
Hi græcas, hi latinas: cedunt nemini.
Pugnarunt hercle pugnam nobiliſſimam,
Strauere hoſtes, potiti ſunt victoria,
Victiúq; perduellibus palmam tenent,
Si quis ſcreare vult, aut naſum emungere,
Aut cum aliquo fabulari, faciat hoc ſtatim:
Nam poſtea haud licebit: niſi quis volet
Ad ſaturitatem fuſtibus mulcerier.
Tu, Nomenclator, age, victores aduoca:
Pronuntia tam clarè, vt omnes audiant,

Etiam

Etiam illi, qui nec vnum floccum hinc auferent,
Quibus iam miſerum cor ſubſultat præ metu.

HONOR DATVRVS PRÆMIA.

DVO ſunt, ſpectatores, quæ vos ſcire cupitis,
Qui ſim, quapropter me egerim in proſcenium,
Et hoc, & illud vobis demenſum dabo.
Tenete, ego ſum HONOS: *iteratò dicam, ego ſum* HONOS.
Meus pater eſt LABOS, *ille moleſtus ſenex*
Qui hîc fecit anno proximo hiſtrioniam.
Mater, ſi quæritis, mihi eſt SOLERTIA.
His vnicus prognatus ſum parentibus,
Mihi ſed vna domi luſitat ſororcula,
Quam diligo nil ſecius atque cor meum.
Hæc forma Veneres ſupra cunctas eminet:
Parentes ei nomen dixerunt GLORIAM,
Habentq́ charam eximie, quaſi oculos ſuos.
Audiſti modò genus meum, & vocabulum:
Audite porrò quod petiſtis alterum.
Aduentus meus eſt ſemper feliciſſimus,
Latiſſimus, gratiſſimus, amantiſſimus:
Blandus quippe venio, & exſpectatus plurimum,
Geminas bonorum repletas gerens manus.
Affero laudes, celebritatem, famam, decus,
Et quorum nomina volo, ſtellis inſero:
Ex hominibus magnos ego decerno Deos.

Nunc

Nunc ergo vt vos donis honeſtem ampliſſimis,
Idcirco in cœtus hoſce medium me intuli.
Atqui hoc primum non ignorare conuenit,
Sunt quibus haud ſum vilia daturus præmia:
Sunt rurſum quibus haud vitioſam dabo nucem,
Hoc à me vtrorumq́ meritis poſcentibus.
Qui diligenter ſe inuoluerunt literis,
Quibusq́ meus pater LABOR *charus fuit,*
Chara pietas omnis, chara ſalus patriæ,
Hos, prout iuſtum eſt, donis donabo plurimis,
Efficiamq́ vt digitis commonſtrentur palam,
Vt ob ipſorum os omnes ora obuertant ſua.
Verùm qui tempus contriuerunt otio,
Amantes ventrem, ſomnos atque ſomnia,
Nil penſi habentes, quid, quantumq́ diſcerent,
Meum ab ſe ſtulti procul ablegantes patrem,
Nullum hoſpitium præbentes diligentiæ,
Iſtos (fabor enim quod res eſt) amo vt canes.
Nil eſt hoc genere ſceleſtum, aut inuiſum magis:
Nunquam hercle ſaxo iſtud pecus me inuenerit.
Illorum præmia paucis nunc ediſſeram.
Si pueri ſunt, virgis conſcribantur probè:
Alij nodoſis perfricentur fuſtibus,
Atque hoc in ſingulos dies, bis, ter, quater,
Tergora donec mollia plagis erubuerint.
Honos ingenuas quotquot ſunt artes alit:
Ita ſalus mecum ſit, vt hoc eſt certiſſimum:
Quicunque dixit, dignum eſt ipſo Apolline.

Quin

Quin rerum virtus omnium pulcherrima
Aliam niſi me, nullam mercedem flagitat.
Quocirca vt artes, ſic virtutes alit Honos:
Hoc abſente quotuſquiſq; virtutem colat?
Etiam ſi nolis, virtutem ſequitur Honos,
Vt vmbra corpus, ſeparari non poteſt.
Præmia ſine me non ſunt vocanda præmia.
Nam ſi quiſquam me non dedit, nugas dedit.
Me vt adipiſcantur, quid homines non perferunt?
Quas non ærumnas perpetiendo exhauriunt?
Laborant, vigilant, ſudant, frigent, æſtuant,
Tolerant inediam, ſe macerant ſiti,
Rogant, prehenſant, obteſtantur, ſupplicant,
Deſpoliari ſeſe bonis facile ſinunt,
Honore violato plorant miſerrimè,
Vt ſi vnicum ad buſtum orba mater efferat.
Haud illos capere potis eſt obliuio mei.
Animam libentes propter hunc abiecerint,
Immo herclè verò (ſed rem tegite ſilentio,
Ne cui feceritis hoc palam myſterium)
Quidam me tanquam numen ſupremum colunt,
Mihi ſacrificant, DEVM *fugientes priſtinum.*
Cur me non dicam ergo regem, qui ſum DEVS?
Omnes mortales me certatim diligunt:
Doctus vt indoctus, nobilis vt ignobilis,
Diues vt inops, probus vt improbus: omnes me amant.
Orbis terrarum totus Honorem ſuſpicit.
In hac corona eſt vnius cubiti puer,

Is in

Is in amore mei veſtrûm cedit nemini:
Eum mater videre victorem cupit
Domum redeuntem cum exquiſito munere.
Et faciam, ſemper ego amaui pueros bonos,
Sacris Muſarum deditos à paruulis.
Qui diſputando voces dant altiſſimas.
Meus tunc animus exilit præ gaudio,
Quando feruentes ſic laceſſunt prælia,
Et Martem vtrinque inuadunt totis viribus.
Ibi tum aliquandiu anceps eſt victoria,
Exinde multus fit ſanguis ſine vulnere.
Quia ſtrictis linguis res geritur non enſibus.
Tandem altera pars ſuperba victrix emicat,
Canit triumphum, victi ſe mandant fugæ,
Opprobriorum ſaturi, atque ignominiæ.
Multum præterea oblector grandiuſculis,
Cum multa ediſcunt, ſcriptitant quamplurima,
Libros legentes doctos ardentiſſimè,
Plenos nitoris plenos & facundiæ,
Verbis politis erudite garrulos.
Hi ſunt honoribus omnium digniſſimi,
Hos hos Marones reddam, reddam Tullios;
Cælo attollam, noua inſignitos gloria.
Impertior me equidem beatis regibus,
Illuſtro milites, & militiæ duces.
Si mihi lubet, ex medicis facio Machaonas,
Fictor Polycletus, pictor fit Parrhaſius.
Verum enimuerò, ſapientes ardeo magis,

In hos omnes meas transfundo copias,
Sum liberalis, nullis parco ſumptibus,
Illos vt æquem propemodum immortalibus.
Mihi cordi ſunt latinè qui norunt loqui,
Item qui norunt Atticas dulcedines,
Geometræ, & qui contemplantur ſidera,
Vatum piorum genus, æthêrio qui canunt
Inflatu agitati verſus diuiniſſimos,
Et oratores nobiles, & Philoſophi,
Hos in oculis, & velut in complexu fero.
Ea gratia iſtud Gymnaſium ingredior libens,
Vbi ſapientia fixit ſibi domicilium,
Vbi habitant adoleſcentes quam doctiſſimi.
Ex his arceſſam per præconem bis nouem,
Aurea vt illis diſpertiam munuſcula:
Reliquos à me laudatos ſufficit
In præſens. Mea laus ſanè pulchrum eſt præmium.
Age præco, meos alumnos deinceps aduoca:
Caue ſis, ne quemquam omittas per imprudentiam.

Datis præmiis.

IVcundum hoc vobis accidit ſpectaculum?
Ita, inquiunt: bene eſt: operam poſthac date:
Vos vt maiori præmio dignemini,
Ac me vobis propitium habeatis amplius:
Vos vt poſſitis hos præeuntes aſſequi.
Valete, & ſi diſcendo vultis progredi,
Curate ex animis vt ne vobis effluam,

Stimu-

Stimulus hic eſt acerrimus, credatis velim.
Anno inſequente mea ſi huc adierit ſoror,
Quam dixi à principio vocari GLORIAM,
Tum faciem vos cernetis admirabilem,
Nec vnquam viſam in terris pulchritudinem.
Eam ſat ſcio quiſque vxorem optabit ſibi.
Aſt illa exoſa thalamos nubit nemini.
Quid ergo faciet? quod nos fecimus hodie.
Valete, & viuite hinc in annum proximum.

EPIGRAMMATA CONVERSA DE GRAECIS.

In inuidiam, & ſollicitudinem.

INCERTI.

INuidia eſt melior quàm ſit miſeratio, dixit
Pindarus, inuiſis affluit omne bonum.
Eſt miſer is cuius miſeret: quid tutius optem?
Ne ſim vel proſper, vel miſer immodicè.
Optima res medium eſt: ſummis coniuncta pericla:
Vltima perpetuum dedecus inſequitur.

INCERTI.

Grande malum liuor, comedit liuentibus idem
Atque cor atque oculos: hoc habet ergo boni.

Aliter.

Inuidia peius nihil eſt: valet hoc tamen vno,
Inuidi enim pectus macerat, atque oculos.

In doloſos, & adulatores.

LVCILLII.

DIlige me facto, ſi diligis, & fuge obeſſe,
Principium damni ne fac amicitiam.
Plus hoſtes homini ſtatuo conducere apertos,
Quam plenam occulta fraudis amicitiam.
Sic ratibus peior, Nerei dum fluctibus errant,
Quæ ſepelitur aquis, quam petra quæ extat aquis.

PALLADÆ.

Rῶ tantum, & λάμβδα coraces, colacesq́ʒ diremit.
Res ergo vna corax, improbus atque colax.
Quocirca hoc animal vita ſollerter amice:
Viuorum quoqʒ ſunt οἱ κόλακες κόρακες.

Eiuſdem.

NOn adeo fraudi eſt odium qui effundit apertè,
Vt qui germanam fingit amicitiam.
Deuitatur enim qui nos odiſſe fatetur:
Suſpicione vacat, qui mihi dicit, amo.
Trux inimicus erit, me iudice, quiſquis amicus
Creditus, occulta ſub ratione nocet.

LVCIANI.

Nil homini natura dedit crudelius illo,
Candidam amicitiam qui ſimulare poteſt.

Nemo

Nemo hoſtem reputat, fidum mage cenſet amicum.
Sæpius, heu, miſeris obfuit illa fides.

In vinum, & Venerem.

INCERTI.

Soluit membra Venus, ſoluit quoq; membra Lyæus,
Amborum ſoboles præſtat idem podagra.

In deformes, pigros, ebrioſos.

THEODORI.

Hermocrates naſi: quoniam ſi dixero naſus
Hermocratis, paruis magna nimis tribuo.

TRAIANI CÆSARIS.

Si ſoli obiicias naſum, ſiq; ore debiſcas,
Oſtendes horas non malè prætereuntes.

AMMIANI.

HAVD Proclus manibus potis eſt emungere naſum,
Nam Proclo naſus maior ineſt manibus.
Sternutando Iouem nũquam vocat, haud etenim audit:
Tam longè diſtat naſus ab auriculis.

NICARCHI.

Diligis? odiſti, aſt odio me diligis ipſo.
Ergo niſi odiſti, deſine diligere.

ERATOSTHENIS.

Vas Xenophon potor Baccho ſuſpendit inane.
Accipe Bacche pater, nil habet hic aliud.

INCERTI.

CAſtoris eſt naſus fodiendis commodus aruis,
Ad meſſem falx eſt, inq́; ſopore tuba eſt.
Anchora nauigiis, ſpargenti ſemen aratrum,
Piſcatori hamus, fuſcina multiuoris.
Lintribus eſt ſcalprum, viti nec inutile ferrum,
Aſcia dehinc fabris, cardo dehinc foribus.
Vſque adeo Caſtor ſibi vas eſt vtile adeptus,
Naſus ei ad quoduis nam bene ſeruit opus.

In Diogenem.

ANTIPATRI.

ÆTernum Charon qui agis illacrymabilis vmbras,
Traiicis has alti quiq́; Acherontis aquas,
Quantumuis nutet vectorum pondere cymba,
Diogenem noli deſtituiſſe canem.
Ampullam, & baculum geſto cum duplice amictu,
Peram, & vecturæ præmia porto obulum.
Quæ fero defunctus, non plura his viuus habebam,
Res eſt ſub Phœbo nulla relicta mihi.

In eundem.

ANTIPHILI BIZANTINI.

PEnula cum pera, lactis quoque maſſa coacti,
Qui greſſum regeret ſcipio & ante pedes,

Fictilis & cyathus cani erant ſatis hac ſapienti.
Aſt erat his ipſis ecce ſuperuacuum.
Namq; canis cernens manibus potare bubulcum.
Quid me, inquit, fruſtra fictilis vrna grauat?

De Crœſo, & Diogene.

INCERTI.

DIogenes Cynicus ſapienti ætate peracta,
Crœſon apud Ditem riſerat intuitus.
Palliáque extendens, recubans vicinus & illi,
Lydia cui auratas ſuppeditauit aquas,
Sic ait: & locus hic maior mihi: quidquid habebam
Porto ego nunc mecum, Crœſus at iſte nihil.

In tumulum Diogenis.

INCERTI.

HEVS *canis, hoc cuius quod ſeruas tute ſepulchrum?*
Eſt canis. At quiſnam vir fuit iſte canis?
Diogenes. Genus ede. Sinopeus. Incola doli?
Immò: ſed in ſuperis nunc habet ille locis.

In Pythagoram.

NOS *quoque, non ſolus tu animatis abſtinuiſti.*
Quis viuum abſumpſit? dic mihi Panthoide.
Nam cum quid coctũ eſt, cum eſt aſſum, cumq; ſalitum,
Tunc anima caſſum eſt, tum quoq; nos edimus.

In Medicos.

AGATHIÆ.

Mittebat medicus natum mihi forte docendum,
Formandum & primis Grammaticæ ſtudiis.
Qui mox vt didicit magni tria carmina Homeri,
A quibus exorſus eſt opus ille ſuum:
Muſa iram canito Pelidæ docta ſuperbi,
Argiuûm caſtris quæ mala multa dedit,
Inſignesq́ animas heroum ad tartara miſit:
Ecce tibi natum detinet ille domi.
Dein me conſpecto, grates habeo, inquit, amice:
Commodius natum hoc ipſe docere queo.
Namq́ ego non paucas animas ad tartara miſi,
Hîc mihi Grammatici non opus eſt opera.

In Aſtrologos.

INCERTI.

Calligenes terræ vt ſemen commiſit agreſtis,
Aſtrologi ingreditur limen Ariſtophanis.
Num fælix æſtas anno ventura ſequenti,
Copia frumenti an multa futura, rogat.
Ille ſuper tabulam ſcrupis numerum extruit amplum,
Complicuitq́ manus, deinde ait agricolæ.
Si tempeſtiuus tibi culta rigauerit imber:
Si herbarum abſuerit prodiga luxuries:

Non

Non frigus ſulcos ſtringet: non horrida grando
Surgentem tunicis exuerit ſegetem:
Hinnulus haud tenerum depaſcet germen: & aër
Siue humus haud aliud inuehat exitium:
Fœlicem æſtatem, & grauidam prænuntio meſſem.
Eſt metuenda tamen ſola locuſta tibi.

In mollitiem Cappadocum.

DEMODOCI.

Cum mala Cappadocem ſtrinxiſſet vipera morſu,
Sanguine mortifero quem bibit ipſa perit.

In Marcum pigrum.

ἌΔΗΛΟΝ.

In ſomnis piger eſt viſus ſibi currere Marcus.
Abſtinet hinc ſomno, currere dum metuit.

In Cleombrotum Ambraciotam.

CALLIMACHI.

Affatus Titana Cleombrotus Ambraciotes,
Mœnibus ex altis in mare deſiluit.
Nil graue perpeſſus, perlegerat ille Platonis
Dogma, docens hominum morte carere animas.

Aliter.

Ambraciæ, valeas ſol, cum dixiſſet alumnus,
Muro à præcelſo ſe iacit in pelagus.
Nil tulit aduerſi, tantùm decreta Platonis
Voluerat, æternos quæ ſtatuunt animos.

Aliter.

AMbracides iuuenis ſaluere Hyperione iuſſo,
Sponte ſe in æquoreas præcipitauit aquas.
Quæ facti ratio, cùm nil vidiſſet acerbum?
Phædo lectus ei fortè Platonis erat.

Iuliani Imperatoris in zuthum, ſeu vinum hordeaceum.

BAcche quis? aut vnde es? nam Bacchum iuro per ipſum,
Te minimè noui, ſed Ioue noſco ſatum.
Tu hircum, is nectar olet: nimirum Gallica tellus
Te flaua è ſpica vitis inops genuit.
Dicamus te igitur Cerealem, non Dionyſum:
Spicigenam potius, & Bromon, haud Bromium.

In Dianam.

ἌΔΗΛΟΝ.

DIana arcus vbi? & collo ſuſpenſa pharetra?
Aut vbi equus ſternax, endromys, arbylides?
Quæq́; micante auro fabrefacta eſt fibula, quæq́;
Purpura clara tibi ſumma tegit genua?
Arma mihi ad prædas iſthæc ſumuntur eunti,
Ad mea quo cernis ſchemate ſacra feror.

INCERTI.

Dicere de quouis bona pulchrum, turpia nunquam,
Sint quamuis meriti turpia qui faciunt.

In

In ludos Græciæ.

Archiæ.

DOcta quatergeminos committit Græcia ludos,
Terricolûm duo ſunt, cælicolumq́ue duo.
Et Iouis, & Phœbi, Melicertæq́ue, Archemoriq́ue.
Dona, apium, pinus, poma, oleaſter erant.

In effigiem Tantali.

Palladæ.

EN qui conſuêrat ſuperûm diſcumbere menſis,
Et ventrem impleri nectaris ætherei,
Iam miſerè guttam mortalis quæritat vnda,
Vnda ſed à labris inuida ſemper abit.
Signum inquit bibito, & tacita myſteria lingua
Diſce: dedit nobis hoc mala lingua malum.

Aliter.

CÆlicolûm prius hic epulis accumbere ſuetus,
Crebro nectareas impiger hauſit aquas.
Nunc vilem mento laticem contingit, at illi
Iam iam poturo deſerit ora latex.
Diſce, toreuma inquit, potus commiſſa tacere:
Hoc me ſupplicij pendere lingua iubet.

In Spem, & Fortunam.

Incerti.

Venimus in portum, caſus, ſpes euge valete:
Quid mihi vobiſcum eſt? verba datote aliis.

LVCIANI.

FORS bona multa poteſt, etiam quæ mira videntur,
Euehit obſcuros, conſpicuosq́; premit.
Illa ſupercilium, faſtumq́; amouerit omnem,
Quamuis auriferas det tibi flumen aquas.
Non iuncum, aut maluas, proceram turbidus Auſter
Aut quercum, aut platanum ſternere ſueuit humi.

In poſſeſſiones incertas.

LVCIANI.

NVper Achæmenidæ: ſed iam ſumus arua Menippi,
Rurſus & alterius mox erimus domini.
Hic ſua nos putat eſſe: olim ſic ille putabat.
Sola magis noſtri fors tenet imperium.

Aliter.

QVEM modo Achæmenides tenuit, tenet ecce Menippus,
Vendar, & ignoti fundus ero domini.
Dixerat ille, meus: meus eſt hic dicit agellus:
Verius at me fors dixerit eſſe ſuum.

Aliter.

QVI fui Achæmenidæ fundus, nunc ſio Menippi,
Mox alium ad dominum transferar ex alio.
Eſſe ſuum putat hic, ſed idem quoq; credidit ille:
Me fors imperio ſubiicit vna ſuo.

In vitam humanam.

POSIDIPPI.

QVAM vitam ſectere? forum iurgatur, & actis
Perſtrepit infeſtu, anxia cura domi eſt.
Ingens rure labor, pelago tremor occupat artus,
Abſens a patria, ſi quid habet, metuit.
Sin eget, hoc miſerum: ducta vxor? ſollicitudo:
Deſertus tamen eſt, qui ſine coniugio eſt.
Stirps ſublata? labor: vita expers pignoris, orba eſt,
Mente carent iuuenes, ſtrenuitate ſenes.
Si alterum in his igitur liceat cupiiſſe duobus,
Non naſci, aut natus mox obiiſſe velim.

Contraria.

METRODORI.

VItam omnem ſectere, foro laus inclyta, prudens
Actio, tranquillè vita domi exigitur.
Munera fert tellus, ingens dant æquora lucrum,
Cum viuis peregrè, ſi quid habes, honor eſt:
Si nihil, id ſolus noſti: ſi nupta, tibi Lar
Optimè habet: ſi non, vita erit hoc leuior.
Liberi? amor: nulli? nulla eſt quoq; cura: iuuentus
Robore, canities religione valet.
Non ergo alterutrum eſt optabile, ſeu generari
Nunquam, ſiue mori: vita habet omne bonum.

LVCIANI.

Non eſt humanis quidquam durabile rebus:
Nos illa, aut illas nos citò deſerimus.

Aliter.

Aliter.

Nil hominum durare poteſt, nos deſerit omne:
Sin minus, ipſi nos omnia deſerimus.

Aliter.

Humana atq; homines morimur, nos omnia linquunt:
Si nos non linquunt, linquimus ipſa tamen.

ARCHIÆ.

THraces ego admiror, repetunt ſuſpiria triſtes,
Matris vbi ex vtero protulit ora puer.
Lætantur quoties mors improuiſa, miniſtra
Parcarum quemquam corripit ad tumulum.
Per genus omne mali viuentes imus, at omnis
Inuenta extinctis eſt medicina mali.

PALLADÆ.

In vitam vt venio nudus, ſic exeo nudus.
Ergo quid ſudo? hinc nil mihi ferre datur.

Aliter.

Cùm nudus venias, & nudus morte recedas,
Tollere quas non eſt, cur ita quæris opes?

INCERTI.

QVAM cum viuebas vitam Heraclite magis nunc
Deplora, vita eſt nunc miſerabilior.
Amplius atque olim vitam Democrite ride,
Iam cunctis vita eſt riſibus apta magis.
Vos ambo intueor, mediumq; tenere laboro,
Nempe vt te riſu, téque iuuem lacrymis.

PALLA-

PALLADÆ.

Vita eſt nauigium, quæ dum iactatur ab Auſtris,
Sæpe aliquid grauius naufragio patimur.
Cumq́ ſtatum vitæ præceps fortuna gubernet,
Ambigui rapimur ceu maris in medio.
Hi fauſto curſu, hi retrorſum: ſed ſimul omnes
Cogimur ad portum tendere ſubtus humum.

EIVSDEM.

Scena omnis vita eſt, luſusq́: aut ludere diſcas,
Mutatis ſtudiis, aut mala ſemper habe.

In diuitias, & paupertatem.

INCERTI.

NVNC diteſco ſenex, iuuenis rerum omnium egebā,
Me ſolum heu miſerè tempus vtrunq́ premit.
Cum nil ſuppeteret, poterant prodeſſe talenta:
Nunc vbi nil opus eſt, quò mihi dantur opes?

Aliter.

Rebus eram pauper iuuenis, grandæuus abundo,
Sic fors me ludos imperioſa facit.
Olim cum vſus erat, penitus nil æris habebam,
Cum nil eſt vſus, cur locupletor ego?

Aliter.

RES iuueni deerat, vetulo mihi plura ſuperſunt:
Quem preſsit, rurſum fors miſeranda premit.
Tunc vti rebus poteram, cum rebus egebam.
At modo adeſt rerum copia, & vſus abeſt.

Aliter.

Aliter.

INdiga pubertas, nunc eſt opulenta ſenectus.
Quid merui? aut cur ſum bis miſerandus ego?
Quando frui poteram, nil contemplabar in arca:
Quando frui nequeo, ſacculus ære tumet.

Aliter.

PAuperies iuuenem, canum modo copia vexat:
Tunc illud, nunc hoc me malè tempus habet.
Eſſe vſus nummi poterat, cum nummus abeſſet:
Nunc quando eſſe nequit, en mihi nummus adeſt.

Aliter.

CAnus ſum, & diues, iuuenem torquebat egeſtas,
Solus ego bis me conſpicio miſerum.
Nummo vti poteram, cum non erat vllus in arca:
Nummus adeſt, nummi ſed modo fructus abeſt.

PALLADÆ.

DIues es, & quid tum? num te poſt fata trahentem
Vſq; in ſarcophagum fortè ſequentur opes?
Dum gazam accumulas, abſumis tempora: ſed tu,
Haud poteris annos accumulare tuos.

EIVSDEM.

Si ſpectentur opes, diues: ſi pectus, inops es:
O fortunatum, non tibi, verùm aliis.

Aliter.

Sunt tibi diuitiæ locupletum, mens ſed egeni.
Heu locuples aliis, pauper at ipſe tibi.

EIVS-

EIVSDEM.

Aurum palponum genitor, filiq́; doloris,
Si te habeo, timor es, ſi careo, dolor es.

Aliter.

Aurum, tu colacas, te gignit cura dolorq́;.
Cùm mihi ades metuo, cum mihi abes doleo.

In frugalitatem.

LVCIANI.

SIC *vtare tuis opibus, ceu morte propinqua:*
Mors quaſi longè abſit, ſic opibus fruere.
Hic verè prudens, qui dum res diſcutit ambas,
Nec nimis abſumit, nec retinet nimium.

Aliter.

V*Tere diuitiis, vt deceſſurus, opimis:*
Rurſum vt victurus parcito diuitiis.
Ille ſapit verè, qui dum cognoſcit vtrunque,
Sic fugit eſſe tenax, largus vt eſſe fugit.

Aliter.

D*Iuitiis fruitor tanquam moriturus, & idem*
Tanquàm victurus conde ſcienter opes.
Scilicet is ſapiens, qui dum hoc perpendit & illud,
Verum vtrique poteſt conſtituiſſe modum.

ALPHÆI.

NOn agros ego fertiles requiro,
Sed nec diuitias peropto Gygis.
Vitam quæ ſibi ſufficit, Macrine,
Opto. Nil nimium nimis remulcet.

Aliter.

HAVD concupiſco fertilis glebæ ſolum,
Nec Lydij paſtoris aureas opes.
Macrine, quæ vita ſibi ſufficit, volo.
Dictum vetus, Ne quid nimis, placet nimis.

INCERTI.

Intempeſtiuum quidquid nimis: ipſum etiam mel,
Vt dicant homines, eſt fel vbi nimium eſt.

In auaritiam.

LVCILLII.

PArco Aſclepiadæ mus eſt vbi viſus in æde,
Extemplò dixit, hîc bone mus quid agis?
Cùm mus arridens, parce inquit, amice timori,
Hoſpitium quæro hîc, non alimenta mihi.

PLATONIS.

Hic aurum inueniens funem dimittit, at ille
Quem pro auro funem repperit, hoc periit.

ANTIPATRI.

Defoſſum alterius caſu qui repperit aurum
Abiecit laqueum, ſe inſerit hic laqueo.

LVCIANI.

Diuitias animi ſolas ego ſentio veras,
Qui ſe diuitiis plus amet ipſe ſuis.
Hunc fortunatum, & locupletem dicere par eſt,
Qui nouit quis ſit fructus, & vſus opum.
At qui marceſcit rationes ſæpe putando,
Et cumulare ſuas ſemper anhelat opes,
Hic vt apes fruſtra ſtipabit nectare cellas,
Nam comedent alij mella repoſta ſibi.

In luxum.

PALLADÆ.

Qui ſtudet ad ſtygios citius deſcendere manes,
Illi iter oſtendunt balnea, vina, Venus.

Aliter.

Balnea, vitigenusq́; liquor, Cypriiq́; furores
Ad ſtyga demittunt commodiore via.

INCERTO AVCTORE.

Qui paſcit multos, qui multas conſtruit ædes,
Recta ad egeſtatem tendit vterque via.

In Muſas.

PLATONIS.

HAEC Muſis Cytheræa: mihi ſacra ferte puellæ,
Aut noſtra huic in vos arma damus puero.
Pierides contra: Marti Venus iſta mineris,
Namq́; poteſt in nos nil tuus iſte puer.

Aliter.

Cypris ait Muſis: noſtras celebrabitis aras:
Sin autem, ecce in vos belligerabit Amor.
Tum Veneri Muſa: belli Deus iſta iubetor:
Non valet hic in nos mittere tela puer.

Aliter.

Sic Muſis Erycina, meum ne ſpernite numen:
Sin autem, hic contra vos puer arma geret.
Ad quam ſic Muſa: Martem potes iſta monere:
Nos contra tuus hic non puer arma feret.

In decoctores.

Lvciani.

Diuitias patrias Theron ſtirps illa Menippi
Turpiter effudit ſumptibus immodicis.
Sed poſtquam didicit locuples genitoris amicus,
Hunc paupertatis quòd cruciaret onus,
Illacrymans hominem mulcet, nataq́; maritum
Cum dote eximia copulat huncce ſuæ.
Theroni vt primum ſine ſacris nata fuit res,
Liber ad antiquum mox redit ingenium.
Largiter inuitat ſeſe, ac ſecurus honeſti
Veſanis laxat fræna libidinibus.
Sic Therona iterum infelix obſedit egeſtas,
Et retrouerſis fluctibus implicuit.

Denuo dat lacrymas diues,non propter eundem,
Sed dotem propter,connubiumq́ malum.
Tum diſcit,nunquam hunc alienis eſſe fidelem,
Qui rebus fidus non erat ante ſuis.

In Lacænam.

INCERTO AVCTORE.

ABſque armis reducem natum Spartana virago
Ad patriam celeri vidit adeſſe gradu.
Inſiluit, telumq́ furens trans pectus adegit,
Hac ſuper exanimem fortia verba loquens.
Sub terram Spartæ falſum genus, inquit, abito,
Ito mentitus & patriam, & proauos.

In librum ſuum.

LVCIANI.

QVÆ legis hæc mea ſunt, antiqua & inania docti:
Stultitia eſt ſiquidem, quod ſapiunt homines.
Mens humana nihil præcellens inuenit vnquam:
Nam quod tute probas, improbat hoc alius.

Aliter.

HÆC ego compoſui ſtulti, fatuiq́ peritus:
Nam ſapere humanum, quid niſi deſipere?
Mens noſtra ex ſeſe haud quidquã valet edere magnum:
Quod probat vnus homo, deſpicit alter homo.

Eiuſdem εἰς ἀδύνατον.

Quid fruſtra lauis Æthiopem? deſiſte laborum:
Sol noctis tenebras irradiare nequit.

In claudum, & hebetem.

AGATHIÆ.

Ut pes, ſic tibi mens quoque claudicat, exteriorq́;
Natura hac quæ ſint interiora docet.

In ſtatuam Niobes.

Ἄδηλον.

E viua ſaxum dij me feciſtis, at ecce
De ſaxo viuam Praxiteles reparat.

Aliter.

Viuebam cùm me feciſtis numina ſaxum:
Dat ſaxo rurſus viuere Praxiteles.

Aliter.

De viua lapidem me fecerat ira deorum:
Praxiteles vitam reſtituit lapidi.

In Sapphonem.

INCERTI.

Pieridas quidam haud meritò dixere nouenas:
Lesbia nam Sappho Pieris eſt decima.

In æreum ſatyri ſimulacrum.

Res mira, aut æs hoc ſatyrus circumtegit, aut æs
Arte fabri ductum contegit hoc ſatyrum.

In ſu-

In fucatam mulierem.

LVCILLII.

CVm caput inficias, non infeciſſe ſenectam,
Nec poteris rugis exonerare genas.
Quapropter ſtibio faciem ne colline totam,
Ne mage perſonam, quam faciem referat.
Nil quippe eſt aliud: quid enim furis? haud pote fucus,
Nec ceruſſa Hecubam reddere Tyndarida.

In Euripidem.

TIMOTHEI.

TOTA quidem Euripida monumentum eſt Hellas, at oſſa
In qua deceſſit terra tegit Macedûm.
Palladis vrbs patria eſt, recreauit carmine Muſas:
Nunc quoque multorum peruolat ora virûm.

In eundem.

PHILEMO.

SI vis ineſſet ſentiendi mortuis,
Id quod aliqui ſermone crebro dictitant:
Daretur vt videre magnum Euripidem,
Laqueo gulam mî perlibenter frangerem.

In Homerum.

ANTIPATRI.

SVNT Colophona tuam matrem qui rentur Homere,
Hic Smyrnam potius ſentit, at ille Chium.
Rurſus Ion quidam̄, quidam Salamina ſuperbam,
Aſt genetricem alius Theſſaliam eſſe putat.
Et memorant aliis alij regionibus ortum,
Incertum ſed enim cui ſit habenda fides.
Quod ſi me licitum Phœbi reſponſa profari,
In cælis genuit te Dea Calliope.

In pigrum & edacem.

INCERTI.

Dens celer in victu eſt, in curſu pes tibi languet:
Dentibus heus curras, & pedibus comedas.

Aliter.

Es comedendo celer, currendo languidus idem:
Mala vorax currat, pesq́; piger comedat.

Dilemma.

INCERTI.

COgnoſſe ſi liceat, quæ oportebit pati,
At non pati, pulchrum foret cognoſcere:
Sin autem oporteat pati, quæ noueris,
Cognoſcere quid opus? ſiquidem oportet pati.

In nanum.

LVCILLII.

VEctus formica, ceu elephante Meneſtratus Indo,
Infelix iacuit mox reſupinus humi.
Calcibus & tritus, poſtquam permittitur, inquit,
Liuide, ſic equitans occidit & Phaëton.

In ſtatuam Nemeſis.

TIBERII.

ME lapidem, vt clari praberem ſigna triumphi,
Perſæ apportarunt, nunc ego ſum Nemeſis.
Ambobus locor hîc: Graiis ſublime trophæum,
Sed Perſis pugnæ collocor hic Nemeſis.

In affectatorem tingendi capilli.

NICIÆ.

TIngebat quidam caput, amiſſiſq; capillis
Ouum totus erat, qui hiſpidus ante fuit.
Nil, ait infector, quod demat tonſor habet nunc,
Siue comas nigras, ſiue comas niueas.

In Thraſibulum Lacedæmonium.

TIBERII.

COrpore in aduerſo Thraſybulus vulnera ſeptem
Paſſus, tartareum latus iniuit iter.

Quem ſocij exanimem Pithanam ſuper arma tulêre,
Cum patri ſenior, natum, ait, vre gemens.
Plorentur timidi, fletu ſine, gnate, ſepulcro
Te dabo, ceu noſtrum, ceu Lacedæmonium.

In Niobes ſtatuam marmoream.

AGATHIÆ.

Hæc tumba nullum ſeruat intus mortuum.
Hic mortuus, foris ſepulcrum non habet:
Verùm ipſe ſibi ſepulcrum, & ipſe mortuus.

ALIQVOT LVCIANI EPIGRAMMATA.

Fælicitas & miſeria.

Fælici breuis eſt quamuis longiſsima vita:
Noctem vnam miſeri ſæcula mille putant.

Aliter.

Vita omnis breuis eſt, quantumuis longa beatis:
Vna ſed infauſto nox diuturna nimis.

Se quiſque lædit.

Nullum lædit Amor, ſed mens inimica pudori
Huic tantum tribuit quod ſcelus ipſa facit.

Citò gratificandum.

Dulcior eſt multo cita gratia, tardior autem
Interit, & dici gratia non poterit.

Homo nequam.

Ceu vas pertuſum malus eſt homo, quidquid in ipſum
Muneris iniicias, hoc perit omne tibi.

Oculus

Oculus Dei perſpicaciſſimus.

Quæ mala committes, homini fortaſſe latebunt:
At neque ſenſa Deo pectoris ima latent.

Taciturnitas.

Ne prodat ſecreta, tuam compeſcito linguam.
Plus quam theſauros condere verba iuuat.

Omnes diligunt fælicem.

M*Ortales ſuperiq; fauent felicibus omnes,*
Quorum vota piis auribus accipiunt.
Sed malè re geſta prorſum tibi nemo fauebit,
Cum forte euadent cuncta inimica tibi.

Aliter.

S*I nunquam offendas, homines tibi diiq; fauebunt,*
Et faciles aures in tua vota dabunt.
Offendiſti aliquid? nemo ſuperabit amicus;
Omnia te oderunt, ſors quoq; verſa migrat.

Optimum conſilium.

Conſultatio lenta, & cum melioribus eſto:
Conſilij ſubiti pœnituiſſe ſolet.

In Laidem.

M*Agnanimum Perſam domuiſti Græcia, ſed te*
Forma trahit captam Laidos vna ſibi.
Solum annis victa eſt, quorum ſuſpenditur index
Nunc ab ea ſpeculum hoc, ô Erycina, tibi.
Canorum exhorret ſpeciem vidiſſe ſuorum,
Horum vmbras etiam non tolerare poteſt.

In athletam ignauum.

Pygmachon hîc pugiles ſtatuerunt Apida, cuius
Vulnere nemo vnquam ſaucius ingemuit.

In puſillos, & macilentos.

INfixit tenuis calamo Stratonicus ariſtam,
Qua ſe ſuſpendens crinibus, interiit.
Haud in humum declinat onus, verùm in cruce pendens
Vento etiam poſito mortuus ille volat.

Aliud.

Ex Epicureis atomis capite effodit vnam
Ille macer Marcus, perq́; foramen abit.

ELEA-

ELEAZARVS MACHABÆVS.

TRAGOEDIA SACRA.

Argumentum.

POST Alexandrum Magnum primus omnium Seleucus imperauit in Syria, & ab eo ſeptimus Antiochus Epiphanes, hoc eſt, Illuſtris, ſiue Nobilis. Hic, vt narrat Ioſephus Antiquitat. lib. 12. cap. 6. imperij proferendi, & Aegypti, vt opulentiſsimi, maximique regni amore ſuccenſus, cum Ptolemæi Philometoris filios ad gubernationis tantæ molem ſuſtinendam, vel propter immaturiorẽ ætatem imbecilles iudicaret, vel propter ignauiam, & imperandi inſcitiam ineptos contemneret, in Aegyptios mouit, regnum in ſuam ditionem redegit. Qua de rẽ ſcriptum eſt 1. Machab. cap. 1. illis verbis: *Et paratum eſt regnum in conſpectu Antiochi, & cœpit regnare in terra Ægypti, vt regnaret ſuper duo regna. Et intrauit in Ægyptum in multitudine graui,* & quę ſequuntur. Eius diſceſſu Aegyptij cum pop. Rom. ſocietatem amicitiamque coniunxerunt.

runt. Quocirca ipſe eodem de integro cum copiis militaribus reuerſus eſt. Machab.lib.2. cap.5. Re comperta, Romani Antiochum per legatos Aegypti finibus decedere iubēt. Tum ille audiens Hieroſolymis rumorem de interitu ſuo percrebuiſſe, & Iudæos defectionem meditari ſuſpicatus, cùm valida manu ſanctam ciuitatem ingreſſus, partim per ſe, partim poſtea per Præfectos, magiſtratusq; tum Hieroſolymis, & per Iudæam, tum in Syriæ vrbibus Iudææ finitimis (quas Hebræi frequentes incolebant) contra Deum, hominesque ea deſignauit, quæ & à Ioſepho in 12. Antiquit. & copioſius lib.1. Machab. cap.1. lib.2. cap.5.6.& 7. memoriæ prodita, non ſine magno quodam horrore leguntur: tanta eſt ſumma cum impietate coniuncta crudelitas. Extiterunt autem Iudæi non pauci, qui exemplis tranſfugarum (deſeruerunt enim patriam religionem non pauci) nihil commoti, vita, fortuniſque omnibus exui maluerunt, quam à patriis legibus, inſtitutiſque deſciſcere, & prohibitis à Deo carnibus veſci. In his excelluit Eleazarus ſacerdos, vir ipſa vultus dignitate, æui maturitate (nonagenarius enim erat) & innocentia vitæ notus, acceptusque vniuerſis. Qui inaudita conſtantia, & firmitudine animi præditus, nulla ſe ratione ad porcinam comedendam,

dam, aut ſaltem guſtatum illius ſimulandum adduci paſſus eſt: quod vt faceret, de regiis miniſtris quidam flagris ſæuiſsimè dilaceratum miſerantes, & aliquid etiam veteri, quæ ipſis cum Eleazaro intercedebat, neceſsitudini tribuentes, perſuadere conabantur. Manſit tamen ſacerdos in ſententia, tandemque igni crematus, ita generosè ſpiritum efflauit, vt non immeritò illum Scriptura ſancta valde commendet.

Tragœdia, præterquam quod rarum & admirabile Catholicæ iuuentuti exemplum ad imitandum proponit, quantisq; animis pro auita religione, ſanctiſsimisque cæremoniis propugnandum ſit docet, etiam ſæculi noſtri Antiochos, depingit. Actio conſtituitur in quapiam vrbium Syriæ (quas habitaſſe tum Iudæos ſuprà diximus) vel potius Antiochiæ. Fit enim veriſimile nobis, Eleazarum capitis condemnatum eſſe ab ipſomet Rege: id quod manifeſtiſsimè Ioſephus tradidit in libro περὶ αὐτοκράτορος λογισμῶ, de imperio rationis, ſiue de Machabæis. Regem autem Hieroſolymam è Syria rediiſſe non eſt ſacræ hiſtoriæ conſentaneum. Præterea, ſeptem illi fratres (quorum certamen noſtrum hoc Eleazari cótinuò ſequitur cap.7.lib.2.Machab.) ab Antiocho, & vt Ioſepho placet, Antiochiæ affecti ſunt martyrio

tyrio. Quamuis porrò nomen Machabæus, vt proprium vendicet Iudas Mathathiæ filius, idemque dux bellicoſiſsimus, qui ſic cognominatus eſt, vt cæteri quoque eiuſdem germani fratres quiſque ſua cognomenta obtinuerunt: nihilominus quoniam eodem volumine huius quoque ſenis noſtri, & ſeptem fratrum cruciamenta explicantur, ipſi perinde, vt ſi ad Machabæum genus referrent, Machabæorum nomine appellari conſueuerunt. In quos ambos extat præclara ſanè D. Gregorij Nazianzeni oratio, & diuina omnium, immortalisque virtus diſertiſsimè à Ioſepho celebratur.

PERSO-

PERSONAE.

IDOLOMANIA.
ELEAZARVS ſacerdos.
SAMVEL amicus Eleazari.
ANTIOCHVS tyrannus.
THEOMACHVS, PHILOPHONVS — à conſiliis.
DIONYSIVS, ARISTAGORAS, LEONTIVS — transfugæ Iudæi: & primus ac tertius accuſatores Eleazari.
TRIBVNVS.
DIODORVS, MEMNO — Domeſtici regis, & familiares Eleazari.
IOSIAS, ELISAEVS, IACOB — Conſanguinei Eleazari.
NVNTIVS.

IDOLOMANIA.

EVAX, iô, iô, ha ha ha.
Pulcrè procuraui hactenus prouinciam,
Meóque munere functa ſum fideliter.
Per, quidquid in cælis Deûm eſt, laudem fero,
Rebus patratis, quæ ſequenti ſæculo
Monumenta pandent, cum ſtupore, annalium.
Gentem execrandam, diis & immortalibus
Infenſam, & infeſtam ad alia ſacra compuli

Obeunda, quæ colit occidens, colit oriens,
Colit vniuerſus orbis. In loco Dei,
Cui ſupplices erant auitis moribus,
Ioui, Apollini, Cyllenio, Baccho, Herculi,
Toruóque Marti, atque Satyris bicornibus,
Iouis ſorori, & coniugi ſanctiſſimæ,
Veſtæq́; Cereriq́; nemorumq́; præſidi,
Doctæ Mineruæ, Amathuſiæ, placidiſſimæ,
Quid immoror? Diis & deabus cæteris
Facere imperaui, & abiicere leges ſuas,
Leges ineptas, ſomniorum ſomnia,
Fatuas, leues, tantumq́; aniles fabulas.
Quæ in re enſis, enſis quem cruentum geſtito,
Nauauit operam mihi profectò ſtrenuam,
Dum in fruſta diſſeco tot virorum millia,
Viasq́; cumulis operio cadauerum.
Hinc & lacerti, & crura, tunicaq́; mea adhuc
Teterrimis fœdata ſunt cruoribus.
Ego ego, & meus alumnus, & amiciſſimus
Antiochus edidimus lepida ſpectacula.
Nos victimarum copias vberrimas
Multas per vrbes, non Iſacidûm modò,
Syriæ etiam, quaſcunque Iudæi incolunt,
Tempore breui Diis maximis conſecrauimus.
Virtutis eſt in impios ſi ſæuias.
Nos aureis vaſis, itemq́; argenteis
Donariis, ampliſſima pecunia
Templum exuimus, & diuites euaſimus.

Iudæa

Iudæa nobis ſeruit, & Hieruſalem
Noſtra eſt. Ita Antioche, vt es orſus, fortiter
Rempublicam gere, & caue te emolliant
Quales vbique trahuntur alto pectore
Gemitus. Nega aurem fata deprecantibus:
Suſpiria refuta: repelle lacrymas:
Inſta, iube, coge, prohibe, crucia, neca,
Iuſſis, minis, ferro, flagellis, ignibus.
Exſcinde gentem perfidam radicitus.
In puluerem cunctos redige Sabbatharios.
Hoc ille pater hominum, atq; ſuperûm Iupiter,
Diuûm omnium concorditer ſuffragiis
Fieriq; vult, factumq; commendauerit.
Quouſq; tandem ſordidiſſima natio
Habere deſpicatui, & proſcribere
Deos ſinetur arbitratu pro ſuo?
Macte Antioche, Plutonis ad vada plurimos
Miſiſti, auibus eſca data multa, atq; canibus;
Nondum tamen periêre, quos perire opu' ſt.
Hodie ſuperſunt, & fruuntur æthere,
Qui cærimonias retineant patrias,
Latum nec vnguem à legibus velint ſuis
Deflectere: tua edicta qui teruntij
Non æſtiment, cicum nec vnum interduint
Quoſcunque tu credas deos, quem viuere
Cunque ad modum iubeas, tibi qui oppedere
Non erubeſcant. O capita nequiſſima.
Ante reliquos tu, qui hîc habes in proximo

(Dij vel trecentis hunc necibus extinguite)
Scelerate vetule, quem inde puero à paruulo
Experta ſum mihi ſemper hoſtem acerrimum.
Veniet dies, & forſitan venit dies
Suprema tibi, qua ſimiliter rebellibus
Ante ora ciuium tuorum, ſeu rogo
Mortem oppetas, ſeu ſanguine gladium imbuas.
At enim oſtium patefit, pedem eccum effert foras.
Senex ſacrilege, ô ſi dehiſcat humus tibi:
Si te furens Phlegeton aquis ardentibus
Iuſtum ad tribunal peruehat triumuirûm.
Indignus es quem luſtret almo lumine
Phœbæa fax, regina, duxq́; ſiderum.

ACTVS PRIMVS.

ELEAZARVS.

TVtela rerum, æterne mundi conditor,
Deus Iſraël, patrumq́; noſtrorum pater.
Quid quæſo voluiſti ſenectam ad vltimam
Mihi miſero, ac mœrore perditiſſimo
Vitalis auræ prorogare ſpiritum,
Vt auribus caſus tam acerbos noſcerem,
Et tam innumera oculis viderem funera?
O ſi aut creatus non forem, aut ſtatim ab vtero
Elatus ad tumulum: fuiſſet optimum
Nunquam eſſe natum: proximum, eſſe mortuum

Subitò. ô maria, terræ, poli, ſaxa rigida,
Lugete mecum luctuoſa tempora
Populi mei, veriq́; contemptum Dei.
Iaſonis inhumana erat crudelitas,
Qui mille cum militibus vrbem adortus eſt,
Et dignitatem vt recuperaret priſtinam.
Bibit cruentus latro ſuorum ſanguinem.
Iocatus ille fuit, præut iſte carnifex
Peſtis, furia, tyrannus immaniſsimus
Tractare nos, ſanctumq́; nomen auſus eſt.
Iſthanc canebant cladem, & has tragœdias,
Quæ monſtra Solymæ apparuêre finibus,
Equites vagis cæli per æquora curſibus,
Decorè amicti, nempe ſagulis aureis,
Splendore inuſitato, & admirabili.
Diſpoſita in aciem equûm volabant agmina,
Illic cateruæ armis, & haſtis præditæ.
Numquid aliud? etiam. ferebant prælium,
Et cominus vulnera dabant. Multi, velut
Lethalibus plagis, adacti occumbere.
Efferri vtrinque clamor, & clypei ſonos
Reddere agitati, mucro lucem ſpargere,
Micare caſsides, ſimulq́; ferreus
Imber ſagittarum ingruere, planè nouus
Solymam horror inuadere, capilli aſſurgere,
Coire ſanguis ob metum, vox faucibus
Hærere, precibus ſinguli onerare Dominum,
Vti euenirent monſtra quam fœliciter,

Victoriam nobis, at exitium hoſtibus
Promitterent. Verùm aliter eſt placitum Deo.

SAMVEL, ELEAZARVS.

S. *Quem me reperturum domi ſperaueram,*
Aliquò foras iſſe autumant domeſtici,
Vbi nunc ego inueniam virum caſtiſſimum?
Expreſſam & omnis ſanctitatis imaginem?
Sed ecce, nil vltra opus eſt procedere,
Iam teneo quaeſitum. E. *quis hîc loquitur? prope*
Me quem audio? S. *tuum beneuolentiſſimum*
Audis. E. *Pie ô Samuel, iubeo te ter quater*
Saluere. S. *Saluus ſis. Valen' Eleazare?*
E. *Valeo quidem vt poſſum, & ſinunt hæc tempora.*
S. *Vexationem gentis Hebraæ indicas,*
Supra modum omni immanitate barbaram,
Qua nulla fuit, aut vnquam erit crudelior,
Donec polus voluetur, & ſol aureus
Pulſa ſilenti noctium caligine
Terras iacentes luce clara veſtiet.
E. *Bene coniicis, & iſthæc reuoluebat animus.*
Quanta extitit hominis vnius ſuperbia?
Quam indomita vana mentis inſolentia?
Siccare ſeſe cæruli fluctus ſali
Poſſe arbitrabatur, dareq́ vela per humum.
S. *Fortaſſe Xerxes alter eſſe niſus eſt.*
Regnantium Rex odit arrogantiam,
Quem nil adæquè oblectat vt moderatio

Summa in poteſtate, & opibus in ampliſsimis.

E. *Profanus ille, ingreſſus in templum ſacrum,*
Templum religioſiſsimum, furatus eſt
Vaſa pretioſa, & manibus impuriſsimis
Contingere haud dubitauit, inq́; vſus ſuos
Transferre regum, principumq́; munera.

S. *O Cyre, reges inter humaniſsime,*
Dari, Seleuce, vrbesq́; nobiliſsimæ,
Veſtrámne munificentiam ſic eripi
Nobis ab iſto ſacrilegorum antiſtite?

E. *Rapereq́; theſauros, ibi depoſuerant*
Quos fœminæ orbatæ viris, & orphani,
Sua ſcilicet patrimonia, & victum ſuum.
Quas deinde ſtrages innocentium dedit?

S. *O magne Rector, cur leænam hancce rabidam,*
Hanc tigribus ferociorem beſtiam
Sorbere noſtrum pertuliſti ſanguinem?
Tribus diebus octoginta millia
Demeſſa ferro, mulieres, viri, ſenes,
Cum iuuenibus pueri, & pudicæ virgines,
Interq́; matrum dormientes brachia
Nati puſilli. Parcitum eſt, heu, nemini.

E. *In ſeruitutem abripuit, & diuendidit*
Quot millia? quis ô quis dolores explicet?
Quis fando percenſuerit illas lacrymas,
Atque eiulatus, queis Iacob familia ſe
Exhauſit? hanc terra ipſa fleuit miſeriam,
Ad ægritudinem intuentes prouocans,

Et mundus ad famam rei cohorruit.
S. *Vera nimium locutus es, mi Eleazare.*
Quid poſtea abſens per magiſtratus ſuos
Egit, & agit? E. *quanta hîc malorum eſt Ilias?*
Tributa nec toleranda cogit pendere.
Direpta Solyma, & interemptis plurimis
Depaſta flammis, ædificia diruta.
Hinc inde patefactus aditus per mœnia.
In monte Sion firma propugnacula,
Tutaq́ſ ſedes condita eſt prædonibus.
Templum refertum victimarum ſordibus.
S. *Libidinibus (horreſco) quam turpiſſimis.*
E. *Et cœtibus conuiuio indulgentibus.*
S. *Statuis deorum omniq́ſ ſpurcitia ſimul.*
E. *Ciues migrarunt, aduenæ occupant domos.*
Lex ſancta Moyſis nil valere in poſterum
Debet, iubemur colere leges ethnicas,
Ioui immolare, dæmonibus & cæteris,
Edera coronati per vrbem incedere,
Quoties nefando perpetrant ſacra Bromio.
S. *Ah quamdiu hæc patieris omnipotens pater?*
Quouſq́ſ gloriabitur tandem hoc ſcelus?
E. *Non amplius obire Sabathum: non amplius*
Vitare porcinam: dies non amplius
Celebrare ſollennes. Libri Moſaici
Rogis cremati ſunt, & omnibus mori
Neceſſe, qui edictis obedire renuunt.
Iudaicum nomen palam nullus gerit,

Iudæ per vrbes ſingulas propter fores
Stant aræ, vti ferunt: plateis omnibus
Thuris Sabæi fumus aërem inquinat.
Multi timore ſacrificant diis gentium,
In vrbibus Syriæ etiam, quas inhabitant
Abrahamidæ, quia Antiochus ita imperat,
Et capite punit quemque qui facit ſecus.
Fugere quidam ad montium cubilia,
Vbi ferarum inſtar timentes perpeti
Extrema ſupplicia, exigunt vitam ſuam,
Dolore multo, fletibus largiſſimis.
S. *Peccata nobis hæc tulerunt præmia.*
E. *O noſtra longè conditio miſerrima, &*
Ploranda mæſtis vſq; & vſque lacrymis,
Quicunque genus ab hominibus deducimus.
Nam quod fugere morte ipſa oportebat magis,
Id nos ſequimur, id obuiis amplectimur
Vlnis. Cupiditatum ſitim nefariè
Explemus: offendere Deum nullus timor.
Heu tam bonum parentem ad iram impellere,
Tam crebra qui donare beneficia ſolet,
Præ cæteris populo ſibi chariſſimo,
Nobis, quibus quod mater eſſe liberis
Conſueuit, hoc ſemper fuit? S. *Sed miſerius*
Illud reor, quando ita caremus lumine,
Ita ſumus occæcati, vt imminentia
Videre ſupplicia queamus neutiquam,
Prodigia quoq; nos cum excitant cæleſtia,

Ad deſerenda flagitia dureſcimus.
Hinc calamitates incidunt diuinitus,
Quæ contumaces comprimunt, & opprimunt.
Peccando continenter en quod meruimus
Pretium, ah, inauditis ſepulti atque obruti
Malis. E. *Prophetas inſtruentes ſedulò,*
Quin & minantes diritates maximas
Pœnarum, vtinam vtinam audiiſſemus probè.
Aſt neq; per aëreas plagas viſa toties
Portenta ſaltem corrigere nos ad bonam
Potuêre frugem temporis breuiſſimi.
S. *Sunt iſta ad hunc modum, meritoq; plectimur*
Pœnis tam atrocibus. Sed hoc ipſum poteſt
Solatio eſſe, & ſpe bona paſcere animum.
Quoniam etenim peccare nos quoad libet
Non ſuſtinens pœnam irrogat quam conuenit,
Nec, vt alias gentes, ad extremum diem
Maleficia admittere ſinit, quas poſtmodum
Poſt terminum vitæ ignibus apud inferos
Æternitatem iuſtè in omnem concremet,
Numerare magnum oportet hoc beneficium.
Hæc diſſero, non quod ea te fugere putem,
Qui ætate me præcurris, & prudentia:
Sed forſitan doloris ob vehementiam
Nunc impediris, vt minus conſideres.
Noli ergo te ſic macerare Eleazare.
Non ſemper arcum tendit, vt vindex, Deus,
Iacitúe ſemper vim coruſcam fulminis.

Non

Non ſemper imbres, horridámue grandinem
Demittit: & pluuiam excipit ſerenitas,
Hyemem ſequitur aſtas. Hieroſolyma iterum
Decus vigebit conſecuta priſtinum,
Maliúq; populus expeditus omnibus,
Vtetur antiquis ſine metu legibus.
Remitte tantis nuncium mœroribus.

E *Bene tu quidem. Sed durior ſit marmore,*
Inhoſpitali ſit creatus Caucaſo,
Quem hæc magnitudo calamitatis non mouet.

S. *Sic eſt, ratio tamen imperare affectui,*
Ipſumq; frænis & catena aſtringere
Debet, aliter quando nequit fieri. Et malum
Propter futurum aliquod bonum, diuinitus
Infligitur. Etiam cauendum illud tibi,
Ne iudicere parum probare quod Deo
Videtur, & quod ipſe iuſtum cenſuit.

E. *Hem, do manus, Dei voluntas optima eſt,*
Eſt miſericors, eſt æquus: hoc certiſſimum eſt.
Laudemus eius nomen omne in ſæculum.
Age Samuel, intremus. S. *Vt tibi placet.*

ACTVS

ACTVS SECVNDVS.

ANTIOCHVS Rex, THEOMACHVS, PHILOPHONVS à conſiliis.

A. *Vt hunc ſenatum, & hos nepotes Romuli*
Dÿ præpotentes atterendo deprimant,
Variasq; fortunæ vices, & caſuum
Diuerſitates ſubiciant ſub memoriam:
Ne immenſitate præferoces virium,
Bellum audeant cuicunque populo intendere,
Magnisq; leges Regibus præſcribere,
Dare & adimere prouincias quibus lubet.
Diuidere mundum cum Ioue mihi videntur,
Si modò reliquerunt ratam partem Ioui.
Cælicolæ olympum mœnibus circundate:
Nam regna poſtquam cuncta ſub regnum ſuum
Subiunxerint, cælo admouebunt copiam.
Memphim beatam meſſibus pinguiſſimis,
Frequentium inſignem vrbium elegantia
De manibus excuſſit meis Roma inuida.
Malè metuo, miſſane iterum legatio
Syriæ migrare me iubeat à finibus.
Quod ante in ipſos recidat omen, Iupiter.
Ipſi potius ad vltimas terras migrent,
Imperia quærant orbis extra limitem.
T. *Atqui ad reſiſtendum imparatus haud ita es.*

Adſunt

Adſunt equeſtrium, & pedeſtrium agmina,
Ducumq́; præſtantiſſimorum manipulus.
Tum Dij, quibus caſtiſſimum cultum ſoles
Adhibere, nunquam te, Antioche, deſtituerint.
P. *Nunquam. Patronos nactus es prædiuites,*
Valentiores quam quis effari queat.
Diis deſerentibus haud iuuant bona omnia.
Diis protegentibus haud nocent mala omnia.
A. *Credo facilè. Parient tamen famam mihi*
Perennem, in Ægypto prius quæ geſſimus.
Quando veteranis irruentes copiis,
Nauibus, equis, animantibus Getulicis,
Curribus, & inſtructiſſimo cum exercitu
Tot ciuitates opere munitiſſimas
Subegimus, regem in fugam coniecimus,
Occidione plurimos occidimus,
Prædis onuſti maximis reuertimus,
Noſtriq́; plenum auctoritatis, nominis,
Et Antiochi ad imperia propenſiſſimum
Reliquimus regnum omne. P. *nulla ætas tuis*
Finem afferet laudibus. Et vnde nam tibi
Cognomen hoc Epiphanis illuſtriſſimum
Eſt additum, à factis niſi illuſtriſſimis?
Atq; ego quidem claros viros proponerem
Tibi æmulandos: ſed tuum teſtor caput,
Te clariorem cerno prorſus neminem.
Imitare temet, ac ſtude vt ſemper tibi
Sis quam ſimillimus: aliena perſequi

Exempla

Exempla nil oportet, quando habes tua,
Quibus inſtrui potes. A. *Quia hæc locutus es,*
Honoribus decorabo te haud vulgaribus.
Quid porrò de ſtolidis apellis dicimus
Theomache? magno ne his ſtetit defectio
Quam moliebantur? T. *relata eſt gratia*
Sanè affatim: remuneraſti congruis
Muneribus, & ſementis vt facta eſt, ita
Reſpondit agricolis auaris ſua ſeges.
A. *In poſterum ecquid cælites laceſſere*
Opprobriis, mediumq́ digitum oſtendere
Pergent? T. *malum ſi capitibus quærant ſuis.*
A. *Quid tanta vis auri, quid illa multiplex*
Pretioſaq́ ſupellex neceſſaria fuit
In æde? T. *Nihil, inanis oſtentatio*
Tantummodo erat. Vti licebit ligneis,
Siue Samiis: idem vſus eſt in alteris.
A. *Conſidera verò, Deum qualem inuocent,*
Iniurias qui obliuione conterat
Sibi irrogatas, quiq́ ſtomachum amiſerit.
Mihi quidem nondum hactenus pol quod ſciam
Suo ſacrilego iratus eſt vel paululum:
Nedum vt anima caſſum ſub impia tartara
Trudat. P. *Superſtitioſa gens, minimè videt*
Quid colat, & aras numini cuinam erigat.
Quapropter horteris licet per literas,
Quos in Palæſtinam tuo nuper loco
Miſiſti, & aliarum ſenatus vrbium

Quas

Quas incolunt Iudæi, vt alacriter tua
Mandata, quod adhuc præſtitêre, exhauriant.
A. *Fortaſſe. Verbum eſt peruetus: calcaria*
Currentibus. T. *honorare cæleſtes heros*
Nimium nequis. Quin quando peragis omnia
Quæ potes, ibi præſtare plus te conuenit,
Tuæ ſalutis nempe defenſoribus,
Tui imperij cuſtodibus, & auctoribus
Totius orbis, omniumq́ gentium.
A. *Prudens Philophone hic ſermo.* P. *Prudentiſſimus.*
Colis deos? cole magis, amplius cole.
Iudæa ſacra peroſus es ſacerrima?
Magis oderis. Solon, Lycurgus, & Numa
Leges tulerunt, his ſceleſti obtemperent.
Diſcant vereri quos veretur Rex deos:
Porcos ſacrificent, & coacti deuorent
Porcinam apertis vi, manuq́ faucibus.
Ne te miſereat nationis impiæ.
Pulicem velut qui reſtiterit interfice.
Quod ſi vniuerſum nomen Iſacidûm quoque
Ferro, fame, bello, horridiśq́ cladibus
Deleueris, num idcirco cælum concidat,
Mundusq́ in antiquum reuertatur chaos?
A. *Ita mihi dij benefaciant, vt audiens*
Dictis ero veſtris: ad interitum ruet
Miſerabilem, tormenta quam diriſſima
Tolerare habebit, qui eſſe perdurauerit
Iudæus. Inceptum eſt, oportet progredi.

Iuſtum

Iuſtum ſit, an non iuſtum, ego penſi nihil
Habeo. Imò iuſtum: hac fixa ſtat ſententia.
T. *Vox Rege digna, indexq́; celſi pectoris.*
P. *Sic te Antioche beabit alma Fauſtitas.*

Dionysivs, Aristagoras, Leontivs deſertores Iudaiſmi.

D. *Quid eſt amici, rebus in mortalibus,*
Quod prædicauerit aliquis beatius,
Quam omni ſolutum, ac liberam formidine
Nullo imminente nec leui periculo,
Vitam in paternis exigere penatibus,
Cum re mediocri, & liberis ſuauiſſimis,
Chariſſimáque coniuge, & familiola
Fideli, & ad nutus herûm celerrima.
A. *Nil comparo huic.* L. *ſed, quorſus iſta locutio*
Pertinet? D. *vt hinc felicitatem intelligas*
Quam ſumus adepti. Perieramus funditus,
Niſi periiſſemus. L. *teneo quorſum tu eas.*
Hoc dicis: vxorem, domum cum liberis,
Ipſam inſuper animam fuiſſe nos ſimul
In Iudaiſmo perdituros. D. *attigit.*
Hoc eſt, Leonti, quod volebam dicere.
A. *Nunc religio ſuſcepta poſtquam eſt purior,*
Securitate viuimus in altiſſima.
D. *Sic vt ſine omni dormias moleſtia,*
Nodis religionum ſolutus omnibus.
L. *Nulla extimeſcimus arma, non ieiunia,*

Non lotiones, non dies feſtos, neque
Sabbatha, & prohibita tot genera animalium
Curamus, aut ſexcenta legum millia.
Conſulta Moyſis aut nimis difficilia:
Aut ridicula nimis: aut nimis puerilia.
D.*Vultis ne mecum magnam inire gratiam*
Ab rege? A. *nos verò volumus, & plurimam,*
Si poſſit, vt pro vtroque tibi reſpondeam.
D.*Eleazarum noſtis?* L. *Sacerdotem coma,*
Barbáque promiſſa, decorumq́; facie,
Ætate confecta virum? D. *hunc ipſum puta.*
Hic delitet domi, vnus omnium Dei
Sui colentiſſimus: ſed oſor peſſimus
Noſtri Antiochi, & ipſius æterni Iouis.
L. *Vera autumas, mihiq́; perſpectiſſima.*
A. *Quid tum?* D. *fatue, quid tum? reperta occaſio eſt*
Pulcherrima, improbum ſenem accuſabimus.
A. *Quid audio? vos hunc ſenem accuſabitis?*
Nefas. L. *apage, animum geris, vah, muliebrem.*
A. *Quid fecit, aut quam impoſuit illi iniuriam?*
D.*Cum iſtis faceſſe interrogationibus.*
A. *Humanitas ſi qua ſupereſt, ſi quid valet,*
Valere quod apud Sarmatas etiam ſolet,
Hominem eſſe natum ex hominibus, deponite hanc
Audaciam. L. *quin tu hinc abis, ô miſericors.*
Nobis duobus hoc relinque negotium.
Quænam mala ſuperſtitio ſe obiecit viro?
A. *Amabo Dionyſi, & Leonti, parcite*

(Dij vel trecentis hunc necibus extinguite)
Scelerate vetule, quem inde puero à paruulo
Experta ſum mihi ſemper hoſtem acerrimum.
Veniet dies, & forſitan venit dies
Suprema tibi, qua ſimiliter rebellibus
Ante ora ciuium tuorum, ſeu rogo
Mortem oppetas, ſeu ſanguine gladium imbuas.
At enim oſtium patefit, pedem eccum effert foras.
Senex ſacrilege, ô ſi dehiſcat humus tibi:
Si te furens Phlegeton aquis ardentibus
Iuſtum ad tribunal peruehat triumuirûm.
Indignus es quem luſtret almo lumine
Phœbæa fax, regina, duxq́; ſiderum.

ACTVS PRIMVS.

ELEAZARVS.

TVtela rerum, æterne mundi conditor,
Deus Iſraël, patrumq́; noſtrorum pater.
Quid quæſo voluiſti ſenectam ad vltimam
Mihi miſero, ac mœrore perditiſſimo
Vitalis aura prorogare ſpiritum,
Vt auribus caſus tam acerbos noſcerem,
Et tam innumera oculis viderem funera?
O ſi aut creatus non forem, aut ſtatim ab vtero
Elatus ad tumulum: fuiſſet optimum
Nunquam eſſe natum: proximum, eſſe mortuum

Subitò. ô maria, terræ, poli, ſaxa rigida,
Lugete mecum luctuoſa tempora
Populi mei, veriq́ contemptum Dei.
Iaſonis inhumana erat crudelitas,
Qui mille cum militibus vrbem adortus eſt,
Et dignitatem vt recuperaret priſtinam.
Bibit cruentus latro ſuorum ſanguinem.
Iocatus ille fuit, præut iſte carnifex
Peſtis, furia, tyrannus immaniſſimus
Tractare nos, ſanctumq́ nomen auſus eſt.
Iſthanc canebant cladem, & has tragœdias,
Quæ monſtra Solymæ apparuêre finibus,
Equites vagis cæli per æquora curſibus,
Decorè amicti, nempe ſagulis aureis,
Splendore inuſitato, & admirabili.
Diſpoſita in aciem equûm volabant agmina,
Illic cateruæ armis, & haſtis præditæ.
Numquid aliud? etiam. ferebant prælium,
Et cominus vulnera dabant. Multi, velut
Lethalibus plagis, adacti occumbere.
Efferri vtrinque clamor, & clypei ſonos
Reddere agitati, mucro lucem ſpargere,
Micare caſſides, ſimulq́ ferreus
Imber ſagittarum ingruere, planè nouus
Solymam horror inuadere, capilli aſſurgere,
Coire ſanguis ob metum, vox faucibus
Hærere, precibus ſinguli onerare Dominum,
Vti euenirent monſtra quam fæliciter,

Victoriam nobis, at exitium hoſtibus
Promitterent. Verùm aliter eſt placitum Deo.

SAMVEL, ELEAZARVS.

S. *Quem me reperturum domi ſperaueram,*
Aliquò foras iſſe autumant domeſtici.
Vbi nunc ego inueniam virum caſtiſſimum?
Expreſſam & omnis ſanctitatis imaginem?
Sed ecce, nil vltra opus eſt procedere,
Iam teneo quæſitum. E. *quis hîc loquitur? prope*
Me quem audio? S. *tuum beneuolentiſſimum*
Audis. E. *Pie ô Samuel, iubeo te ter quater*
Saluere. S. *Saluus ſis. Valen' Eleazare?*
E. *Valeo quidem vt poſſum, & ſinunt hæc tempora.*
S. *Vexationem gentis Hebrææ indicas,*
Supra modum omni immanitate barbaram,
Qua nulla fuit, aut vnquam erit crudelior,
Donec polus voluetur, & ſol aureus
Pulſa ſilenti noctium caligine
Terras iacentes luce clara veſtiet.
E. *Bene coniicis, & iſthæc reuoluebat animus.*
Quanta extitit hominis vnius ſuperbia?
Quam indomita vanæ mentis inſolentia?
Siccare ſeſe cærulî fluctus ſali
Poſſe arbitrabatur, dareq́ vela per humum.
S. *Fortaſſe Xerxes alter eſſe niſus eſt.*
Regnantium Rex odit arrogantiam,
Quem nil adæquè oblectat vt moderatio

Summa

Summa in poteſtate, & opibus in ampliſsimis.

E. *Profanus ille, ingreſſus in templum ſacrum,*
Templum religioſiſsimum, furatus eſt
Vaſa pretioſa, & manibus impuriſsimis
Contingere haud dubitauit, inq́ue vſus ſuos
Transferre regum, principumq́ue munera.

S. *O Cyre, reges inter humaniſsime,*
Dari, Seleuce, vrbesq́ue nobiliſsimæ,
Veſtrámne munificentiam ſic eripi
Nobis ab iſto ſacrilegorum antiſtite?

E. *Rapereq́ue theſauros, ibi depoſuerant*
Quos fœminæ orbatæ viris, & orphani,
Sua ſcilicet patrimonia, & victum ſuum.
Quas deinde ſtrages innocentium dedit?

S. *O magne Rector, cur leanam hancce rabidam,*
Hanc tigribus ferociorem beſtiam
Sorbere noſtrum pertuliſti ſanguinem?
Tribus diebus octoginta millia
Demeſſa ferro, mulieres, viri, ſenes,
Cum iuuenibus pueri, & pudicæ virgines,
Interq́ue matrum dormientes brachia
Nati puſilli. Parcitum eſt, heu, nemini.

E. *In ſeruitutem abripuit, & diuendidit*
Quot millia? quis ô quis dolores explicet?
Quis fando percenſuerit illas lacrymas,
Atque eiulatus, queis Iacob familia ſe
Exhauſit? hanc terra ipſa fleuit miſeriam,
Ad ægritudinem intuentes prouocans,

Et mundus ad famam rei cohorruit.
S. *Vera nimium locutus es, mi Eleazare.*
Quid poſtea abſens per magiſtratus ſuos
Egit, & agit? E. *quanta hîc malorum eſt Ilias?*
Tributa nec toleranda cogit pendere.
Direpta Solyma, & interemptis plurimis
Depaſta flammis, ædificia diruta.
Hinc inde patefactus aditus per mænia.
In monte Sion firma propugnacula,
Tutaq; ſedes condita eſt prædonibus.
Templum refertum victimarum ſordibus.
S. *Libidinibus (horreſco) quam turpiſſimis.*
E. *Et cœtibus conuiuio indulgentibus.*
S. *Statuis deorum omniq; ſpurcitia ſimul.*
E. *Ciues migrarunt, aduenæ occupant domos.*
Lex ſancta Moyſis nil valere in poſterum
Debet, iubemur colere leges ethnicas,
Ioui immolare, dæmonibus & cæteris,
Edera coronati per vrbem incedere,
Quoties nefando perpetrant ſacra Bromio.
S. *Ah quamdiu hæc patieris omnipotens pater?*
Quouſq; gloriabitur tandem hoc ſcelus?
E. *Non amplius obire Sabathum: non amplius*
Vitare porcinam: dies non amplius
Celebrare ſollennes. Libri Moſaici
Rogis cremati ſunt, & omnibus mori
Neceſſe, qui edictis obedire renuunt.
Iudaicum nomen palam nullus gerit,

Iudæ per vrbes ſingulas propter fores
Stant aræ, vti ferunt: plateis omnibus
Thuris Sabæi fumus aërem inquinat.
Multi timore ſacrificant diis gentium,
In vrbibus Syriæ etiam, quas inhabitant
Abrahamidæ, quia Antiochus ita imperat,
Et capite punit quemque qui facit ſecus.
Fugere quidam ad montium cubilia,
Vbi ferarum inſtar timentes perpeti
Extrema ſupplicia, exigunt vitam ſuam,
Dolore multo, fletibus largiſſimis.
S. *Peccata nobis hæc tulerunt præmia.*
E. *O noſtra longè conditio miſerrima, &*
Ploranda mœſtis vſq; & vſque lacrymis,
Quicunque genus ab hominibus deducimus.
Nam quod fugere morte ipſa oportebat magis,
Id nos ſequimur, id obuiis amplectimur
Vlnis. Cupiditatum ſitim nefariè
Explemus: offendere Deum nullus timor.
Heu tam bonum parentem ad iram impellere,
Tam crebra qui donare beneficia ſolet,
Præ cæteris populo ſibi chariſſimo,
Nobis, quibus quod mater eſſe liberis
Conſueuit, hoc ſemper fuit? S. *Sed miſerius*
Illud reor, quando ita caremus lumine,
Ita ſumus occæcati, vt imminentia
Videre ſupplicia queamus neutiquam,
Prodigia quoq; nos cum excitant cæleſtia,

Ad deſerenda flagitia dureſcimus.
Hinc calamitates incidunt diuinitus,
Quæ contumaces comprimunt, & opprimunt.
Peccando continenter en quod meruimus
Pretium, ah, inauditis ſepulti atque obruti
Malis. E. *Prophetas inſtruentes ſedulò,*
Quin & minantes diritates maximas
Pœnarum, vtinam vtinam audiiſſemus probè.
Aſt neq; per aëreas plagas viſa toties
Portenta ſaltem corrigere nos ad bonam
Potuêre frugem temporis breuiſſimi.
S. *Sunt iſta ad hunc modum, meritoq; plectimur*
Pœnis tam atrocibus. Sed hoc ipſum poteſt
Solatio eſſe, & ſpe bona paſcere animum.
Quoniam etenim peccare nos quoad libet
Non ſuſtinens pœnam irrogat quam conuenit,
Nec, vt alias gentes, ad extremum diem
Maleficia admittere ſinit, quas poſtmodum
Poſt terminum vitæ ignibus apud inferos
Æternitatem iuſtè in omnem concremet,
Numerare magnum oportet hoc beneficium.
Hæc diſſero, non quod ea te fugere putem,
Qui ætate me præcurris, & prudentia:
Sed forſitan doloris ob vehementiam
Nunc impediris, vt minus conſideres.
Noli ergo te ſic macerare Eleazare.
Non ſemper arcum tendit, vt vindex, Deus,
Iacitúe ſemper vim coruſcam fulminis.

Non ſemper imbres, horridámue grandinem
Demittit: & pluuiam excipit ſerenitas.
Hyemem ſequitur æſtas. Hieroſolyma iterum
Decus vigebit conſecuta priſtinum,
Malùq́ populus expeditus omnibus,
Vtetur antiquis ſine metu legibus.
Remitte tantis nuncium mœroribus.

E. *Bene tu quidem. Sed durior ſit marmore,*
Inhoſpitali ſit creatus Caucaſo,
Quem hæc magnitudo calamitatis non mouet.

S. *Sic eſt, ratio tamen imperare affectui,*
Ipſumq́ frænis & catena aſtringere
Debet, aliter quando nequit fieri. Et malum
Propter futurum aliquod bonum, diuinitus
Infligitur. Etiam cauendum illud tibi,
Ne iudicere parum probare quod Deo
Videtur, & quod ipſe iuſtum cenſuit.

E. *Hem, do manus, Dei voluntas optima eſt,*
Eſt miſericors, eſt æquus: hoc certiſſimum eſt.
Laudemus eius nomen omne in ſæculum.
Age Samuel, intremus. S. *Vt tibi placet.*

ACTVS

ACTVS SECVNDVS.

ANTIOCHVS Rex, THEOMACHVS, PHILOPHONVS à conſiliis.

A. *Vt hunc ſenatum, & hos nepotes Romuli*
Dij præpotentes atterendo deprimant,
Variaſq; fortunæ vices, & caſuum
Diuerſitates ſubiciant ſub memoriam:
Ne immenſitate præferoces virium,
Bellum audeant cuicunque populo intendere,
Magniuſq; leges Regibus præſcribere,
Dare & adimere prouincias quibus lubet.
Diuidere mundum cum Ioue mihi videntur,
Si modò reliquerunt ratam partem Ioui.
Cælicolæ olympum mœnibus circundate:
Nam regna poſtquam cuncta ſub regnum ſuum
Subiunxerint, cælo admouebunt copiam.
Memphim beatam meſſibus pinguiſſimis,
Frequentium inſignem vrbium elegantia
De manibus excuſſit meis Roma inuida.
Malè metuo, miſſane iterum legatio
Syriæ migrare me iubeat à finibus.
Quod ante in ipſos recidat omen, Iupiter.
Ipſi potius ad vltimas terras migrent,
Imperia quærant orbis extra limitem.
T. *Atqui ad reſiſtendum imparatus haud ita es.*

Adſunt

Adſunt equeſtrium, & pedeſtrium agmina,
Ducumq́; præſtantiſſimorum manipulus.
Tum Dij, quibus caſtiſſimum cultum ſoles
Adhibère, nunquam te, Antioche, deſtituerint.
P. *Nunquam. Patronos nactus es prædiuites,*
Valentiores quam quis effari queat.
Diis deſerentibus haud iuuant bona omnia.
Diis protegentibus haud nocent mala omnia.
A. *Credo facilè. Parient tamen famam mihi*
Perennem, in Ægypto prius quæ geſſimus.
Quando veteranis irruentes copiis,
Nauibus, equis, animantibus Getulicis,
Curribus, & inſtructiſſimo cum exercitu
Tot ciuitates opere munitiſſimas
Subegimus, regem in fugam coniecimus,
Occidione plurimos occidimus,
Prædis onuſti maximis reuertimus,
Noſtriq́; plenum auctoritatis, nominis,
Et Antiochi ad imperia propenſiſſimum
Reliquimus regnum omne. P. *nulla ætas tuis*
Finem afferet laudibus. Et vndenam tibi
Cognomen hoc Epiphanis illuſtriſſimum
Eſt additum, à factis niſi illuſtriſſimis?
Atq́; ego quidem claros viros proponerem
Tibi æmulandos: ſed tuum teſtor caput,
Te clariorem cerno prorſus neminem.
Imitare temet, ac ſtude vt ſemper tibi
Sis quam ſimillimus: aliena perſequi

Exempla nil oportet, quando habes tua,
Quibus inſtrui potes. A. *Quia hac locutus es,*
Honoribus decorabo te haud vulgaribus.
Quid porrò de ſtolidis apellis dicimus
Theomache? magno ne his ſtetit defectio
Quam moliebantur? T. *relata eſt gratia*
Sanè affatim: remuneraſti congruis
Muneribus, & ſementis vt facta eſt, ita
Reſpondit agricolis auaris ſua ſeges.
A. *In poſterum ecquid cælites laceſſere*
Opprobriis, mediumq́ digitum oſtendere
Pergent? T. *malum ſi capitibus quærant ſuis.*
A. *Quid tanta vis auri, quid illa multiplex*
Pretioſaq́ ſupellex neceſſaria fuit
In æde? T. *Nihil, inanis oſtentatio*
Tantummodo erat. Vti licebit ligneis,
Siue Samiis: idem vſus eſt in alteris.
A. *Conſidera verò, Deum qualem inuocent,*
Iniurias qui obliuione conterat
Sibi irrogatas, quiq́ ſtomachum amiſerit.
Mihi quidem nondum hactenus pol quod ſciam
Suo ſacrilego iratus eſt vel paululum:
Nedum vt anima caſſum ſub impia tartara
Trudat. P. *Superſtitioſa gens, minimè videt*
Quid colat, & aras numini cuinam erigat.
Quapropter horteris licet per literas,
Quos in Palaſtinam tuo nuper loco
Miſiſti, & aliarum ſenatus vrbium

Quas

Quas incolunt Iudæi, vt alacriter tua
Mandata, quod adhuc præſtitêre, exhauriant.
A. *Fortaſſe. Verbum eſt peruetus: calcaria*
Currentibus. T. *honorare cæleſtes heros*
Nimium nequis. Quin quando peragis omnia
Quæ potes, ibi præſtare plus te conuenit,
Tuæ ſalutis nempe defenſoribus,
Tui imperij cuſtodibus, & auctoribus
Totius orbis, omniumq́ gentium.
A. *Prudens Philophone hic ſermo.* P. *Prudentiſſimus.*
Colis deos? cole magis, amplius cole.
Iudæa ſacra peroſus es ſacerrima?
Magis oderis. Solon, Lycurgus, & Numa
Leges tulerunt, his ſceleſti obtemperent.
Diſcant vereri quos veretur Rex deos:
Porcos ſacrificent, & coacti deuorent
Porcinam apertis vi, manuq́ faucibus.
Ne te miſereat nationis impiæ.
Pulicem velut qui reſtiterit interfice.
Quod ſi vniuerſum nomen Iſacidûm quoque
Ferro, fame, bello, horridiſq́ cladibus
Deleueris, num idcirco cælum concidat,
Mundusq́ in antiquum reuertatur chaos?
A. *Ita mihi dij benefaciant, vt audiens*
Dictis ero veſtris: ad interitum ruet
Miſerabilem, tormenta quam diriſſima
Tolerare habebit, qui eſſe perdurauerit
Iudæus. Inceptum eſt, oportet progredi.

Iuſtum

Iuſtum ſit, an non iuſtum, ego penſi nihil
Habeo. Imò iuſtum: hac fixa ſtat ſententia.
T. *Vox Rege digna, indexq́; celſi pectoris.*
P. *Sic te Antioche beabit alma Fauſtitas.*

DIONYSIVS, ARISTAGORAS, LEONTIVS deſertores Iudaiſmi.

D. *Quid eſt amici, rebus in mortalibus,*
Quod prædicauerit aliquis beatius,
Quam omni ſolutum, ac liberum formidine
Nullo imminente nec leui periculo,
Vitam in paternis exigere penatibus,
Cum re mediocri, & liberis ſuauiſsimis,
Chariſsimáque coniuge, & familiola
Fideli, & ad nutus herûm celerrima.
A. *Nil comparo huic.* L. *ſed, quorſus iſta locutio*
Pertinet? D. *vt hinc felicitatem intelligas*
Quam ſumus adepti. Perieramus funditus,
Niſi periiſſemus. L. *teneo quorſum tu eas.*
Hoc dicis: vxorem, domum cum liberis,
Ipſam inſuper animam fuiſſe nos ſimul
In Iudaiſmo perdituros. D. *attigit.*
Hoc eſt, Leonti, quod volebam dicere.
A. *Nunc religio ſuſcepta poſtquam eſt purior,*
Securitate viuimus in altiſsima.
D. *Sic vt ſine omni dormias moleſtia,*
Nodis religionum ſolutus omnibus.
L. *Nulla extimeſcimus arma, non ieiunia,*

Non lotiones, non dies feſtos, neque
Sabbatha, & prohibita tot genera animalium
Curamus, aut ſexcenta legum millia.
Conſulta Moyſis aut nimis difficilia:
Aut ridicula nimis: aut nimis puerilia.
D. *Vultis ne mecum magnam inire gratiam*
Ab rege? A. *nos verò volumus, & plurimam,*
Si poſſit, vt pro vtroque tibi reſpondeam.
D. *Eleazarum noſtis?* L. *Sacerdotem coma,*
Barbáque promiſſa, decorumq; facie,
Ætate confecta virum? D. *hunc ipſum puta.*
Hic delitet domi, vnus omnium Dei
Sui colentiſſimus: ſed oſor peſſimus
Noſtri Antiochi, & ipſius æterni Iouis.
L. *Vera autumas, mihiq; perſpectiſſima.*
A. *Quid tum?* D. *fatue, quid tum? reperta occaſio eſt*
Pulcherrima, improbum ſenem accuſabimus.
A. *Quid audio? vos hunc ſenem accuſabitis?*
Nefas. L. *apage, animum geris, vah, muliebrem.*
A. *Quid fecit, aut quam impoſuit illi iniuriam?*
D. *Cum iſtis faceſſe interrogationibus.*
A. *Humanitas ſi qua ſupereſt, ſi quid valet,*
Valere quod apud Sarmatas etiam ſolet,
Hominem eſſe natum ex hominibus, deponite hanc
Audaciam. L. *quin tu hinc abis, ô miſericors.*
Nobis duobus hoc relinque negotium.
Quænam mala ſuperſtitio ſe obiecit viro?
A. *Amabo Dionyſi, & Leonti, parcite*

Ciuem nouo exemplo, & hominem integerrimum
Spoliare vita, proditum indigniſſimè.

D. *Tanti eſt placere Diis, & ipſi Principi.*

A. *Ne tam impiè ſenem hunc ad exitium date.*

L. *Vbi tua miſeratione haud opus eſt,*
Ibi miſeraris quemlibet pluſquam ſatis.

A. *Sic aucupari gloriam ſinite alios.*

D. *Tu quoq; alios nequam hunc ſinas defendere.*

A. *Fugienda nobis ſemper importunitas.*

L. *Nobis colenda ſemper auguſta pietas.*

A. *Magnum hoc ſi agatis vos ſequetur dedecus.*

D. *Quin hoc agentes nobile ſequetur decus.*

L. *Heus tu, tace, & recede ſis, ſi adeo times*
Culpam hocce facto. A. *Triſtis abſcedo domum.*
Date obſecro locum meis precibus, date.

D. *Niſi hinc abis, certè malum tibi dabimus.*

A. *Vobis perinde eueniat vt meremini,*
Amentia quorum miſeret, ac me pudet.

D. *Vade in malam rem homo nihili.* A. *valete vos.*

L. *Ille abiit, hem tollamus ergo omnes moras,*
Ducamus orſa optabiles ad exitus.

D. *Fiat, gradum tendamus hinc ad regiam.*

L. *At prodit Rex in publicum. Nunc te para:*
Fac ſis apud te. D. *venio meditatus nimis.*

DIONYSIVS, ANTIOCHVS, LEONTIVS.

D. *Regi ſalutem diis ab immortalibus,*
Auriq; montes, & trophaea ingentia,

Ac ſem-

Ac ſempiterni celebritatem nominis.
A. Dij vos ament. D. ſi non grauere aures dare,
Breue eſt, quod expromere tibi huc acceſſimus.
A. Dabo, & ſecundas. D. Ambo Iudæo ſumus
Semine oriundi, patrios ſeruauimus
Hucuſque ritus, donec edictum tuum
Meliora perſuadens tenebras diſpulit
Noſtris ab oculis, lumen vt clariſſimum.
Et cùm deorum ſimus addictiſſimi,
Tuæq; maieſtatis almo numini,
Pati nequimus eſſe nos ludibrio
Vetulo cuidam, nomen eſt Eleazaro.
Hic legum auitarum manet amantiſſimus
Atque tenaciſſimus, & deos, téque pariter
Conſputat. Id ſi tu potes diutius
Perferre, mirabimur. Et addit cæteris
Animos ſua hac audacia audaciſſimos.
Moriatur ergo; ſi recuſet obſequi.
Hac victima diis nulla erit iucundior,
Hac cæde partam exaggerabis gloriam.
A. Antiqua quod valere iuſſiſtis ſacra,
Feciſtis hercle facinus inſigniſſimum,
Reſq; in ſtatu locaſtis veſtras optimo.
Et quia mei, diuûmq; cunctipotentium
Vos cura tenet eximia, dignor vos meo
Fauore, amicitiaq;. D. Dij ferant tibi
Optata ſemper. L. viuat Antiochus. A. age
Tribune, tecum ducito lorarios,

 Et hos

Et hos amicos ſequimini ad domicilium
Capitis nefandi. Vinculis conſtringite
Arctiſſimis ceu beſtiam. Perducite
Ad me volentem, rapite nolentem. Canis,
Quid ſit docebo edicta regum ſpernere.
Dabit aliis tua documentum inſania.

ELEAZARVS.

Miriſſime parens, arbiter iuſtiſſime,
Per temet ipſum, per thronum ſanctum tuum
Defige metam calamitati. An ſauies
In omne tempus? miſericordias tuas
Non ſentiemus amplius? noli Deus
Hæreditatem quam redemiſti tibi
Iactare trucibus deuorandam belluis.
Miſerere ſeruorum tuorum, & reſpice
Aliquando amaras ſingulorum lacrymas.
Querimonias audi, intuereq; gemitus
Mœſtiſſimos, quos continenter fundimus.
Satis ſatis iam præmiorum cepimus,
Commiſſa luimus. ô flagellum proiice,
Gladiumq; noſtro inebriatum ſanguine
Vagina recipiat. reos fatemur, &
Agnoſcimus: peccauimus cum patribus,
Mala geſſimus, & iniquitatem fecimus.
At tu obſecro domine à furore tempera,
Vultum priorem oſtende placatiſſimum:
Conuerte luctus omnium grauiſſimos

In per-

Jn perpetuum, & in ſingulare gaudium.
Finem tyrannus ſortiatur debitum,
Doleat ob innumerabilia maleficia
A ſe impiè, ſuperbè, auarè, immaniter,
Diuq́; dèſignata, fruſtráque doleat.
Morbo putreſcat, quem manus nulla medici
Leuet, ipſe fœtorem ſuum ferre nequeat,
Viuentis vermes nutriantur carnibus:
Opem tuam implorans nihil opis ſentiat:
Fœdiſſimo lethi genere reddat animam.
Pernoſcat hoc animal ferum, & dilucidè
Intelligat te Principem eſſe Principum,
Abs te poteſtatem venire quamlibet,
Cœlum, terrasq́; in tua vnius manu
Conſtare. Deinde virium tantum, precor,
Largire, & impertire mihi robur animi,
Néue cruciatus, néue qua aſſentatio,
Néue vlla res amore me abiungat tuo,
Et ſanctionibus atauûm ſalubribus.
Vtique melius eſt emori cauſſa tua,
Quam te repulſo in longa viuere ſpatia.
Nam quæ ſine Deo vita nobis degitur,
Mors viua rectè, & vita fertur mortua.
Nil aliud ego, quod poſtulem te, reperio:
Niſi vt neceſſe ſi fuerit occumbere,
Fortiter occumbam tuis pro legibus,
Atq; ob tuum nomen, quem amo ſuper omnia.
Quæ ſum precatus annuat tua bonitas.

ACTVS TERTIVS.

Tribvnvs, Lorarii, Eleazarvs.

T. *Grandem feram in ſuo latentem latibulo*
Comprendimus: tenete prenſam, vincula
Aſtringite vehementius, cauete ne
Magicam per artem è manibus ipſis auolet,
Similiter vt auis è cauea. Ibi tum l[illegible]es
Per terga veſtra ſalient liberaliter.
L. *Si Iupiter magnus fores, non te in fugam*
Hodie capeſſas, flagitium hominis. E. *itáne*
Eleazarum nihil repugnantem, nihil
Penitus reclamantem, volentem denique,
Quinimo gaudentem ligari hoſtiliter?
T. *Scilicet in optatis fuerunt hi tibi*
Nodi. E. *fuerunt: nec reuinciri modò,*
Sed verbera quoque, vulneraque volo perpeti,
Sed huius etiam lucis vſuram libens
Lætusque reddere patriis pro legibus.
T. *Senem ſtolidiorem extitiſſe non reor:*
Quem nauigare potius illam in inſulam
Referat, vbi elleborum vorant, cerebrum quibus
Sanum eſt parum. Quanquam arbitror triplici fore
Anticyra opus, ſanetur vt ſtultum hoc caput.
Temnit ſalutem, exitium amat. E. *narras malè.*

Purga-

Purgatione iſta magis opus eſt tibi.
Non tenuit, aut tenet vlla me veſania.
Amo ſalutem, odi meum exitium. T. *igitur*
Dubitare noli, quin tua ex ſententia
Cooperiendus ſis acerbitatibus
Cruciatuum quamplurimorum vſq; ad necem.
E. *Quod imperator cælitûm permiſerit,*
Id corpori meo facite: melior mei
Pars interire neſcia, æternùm vigens
Viuensq; permanebit in ſuperis locis.
T. *Specioſa dicta funditare deſine.*
Viden'? fores reſerantur, & rex conſidet
Antiochus in ſolio, vt ſolet. tranſegimus
Tua iuſſa rex, grandæuus ecce ſiſtitur.

ANTIOCHVS, ELEAZARVS.

A. *Leuate manicis, liberum aſtare ſinite.*
Tun' ille quem vulgus vocant Eleazarum?
E. *Certè ille.* A. *quidnam functionis obtines?*
E. *Quod antecellit cæteris præſtantia:*
Munus ſacerdotis obeo. A. *Sacerdotis? hem,*
Non vnus es de grege, ſed ipſemet gregis,
Quantum audio, magiſter, & cuſtos. Placet.
Memora mihi, quam fueris in vita diu.
E. *Triceſimus ter annus agitur, cum parens*
Me depoſuit. A. *eſt viridis hercle, & erudior*
Senecta, quam anni flagitant: nec vultus hic
Ætatis hanc maturitatem nunciat.

Verùm iſta prateriens, rem ad ipſam deferor.
Neſcire qua ſit conditio tua non potes
Eleazare: vides quo loco ſint res tua,
Arbitrio verſaris in meo, mea eſt
Tui poteſtas omnis. E. *haud negauerim.*
A. *Vtrum ergo me experiri amicum, & beneuolum*
Mauis, an inimicum, & ſeuerum vindicem?
E. *Quod melius eſt, & longius abeſt à malo,*
Id malo, beneuolum: fatenda eſt veritas.
A. *Quando igitur optimum quod eſt, eo cares,*
Nimirum vt ipſe noueris, qua recta ſint,
Saltem id quod huic vicinius complectere;
Audi monentem honeſta, ne fanaticum
Rerum aſtimator te bonus definiat.
E. *Cognoſſe feſtinat animus quid conſulas.*
A. *Venerabiles canos tuos, atque ſenium*
Maturrimum reuereor, & benefacere
Cupio tibi, per ipſum Iouem, qui perſpicit
Mentem meam, atq; ſenſuum abditiſſima.
Tantum hoc agas, facillimum, leuiſſimum:
Guſta ſuillam in hac ſacrificatam arula.
Quid horruiſti ad rem puſillam Eleazare?
Serua tibi te, ne morere tam turpiter.
Ætas ſenilis multa multos perdocet,
Quam omnes magiſtram dictitant prudentia:
Te ſtupeo, qui in diem hunc ſapere non didiceris.
Adhuc opinionibus praepoſteris
Patrum inuolutus, tota aberras à via.

Cibos repudias eſui quàm aptiſſimos,
Donumq́ naturæ, & voluptatem probam
Sanè proteruè reſpuis. Quid quod mea
Præcepta, ſuppliciaq́ in alios quæ hactenus
Expendimus, nonne ſopore altiſſimo
Merſum excitarunt? nunc dies iſthæc nouum
Vitæ genus, nouosq́ mores poſtulat.
Circumſpice infelix, veternum diſcute,
Da tute tibi conſilium, & attentus vide
Quonam ruas, peſtem tibi quam compares.
Miſerare canitiem tuam: dulciſſima
Lux hæc, eam túne ſine ratione fugies?
Nec porrò debet te metus hic inceſſere,
Ne in aliquod incurras periculum, mihi
Si parueris: interminatio grauis,
Et dura mortis propoſita neceſſitas
Culpæ impetrabunt (ſi eſt aliqua culpa) veniam.
E. *Si copia datur, eloquar contra, meus*
Quæ animus hortatur. A. *datur, loquere, licet.*
E. *Quod tantoperè te mea ſenectus commouet,*
Eiusq́ cauſſa velle dicis parcere,
Grates ago, miſericordia haud vtor tua.
Nec mihi iuuentus, aut ſenecta antiquior
Vnquam eſſe poſſit ſacroſanctis legibus,
Seruare quas magis neceſſe exiſtimo,
Quam viuere. At tu edere ſuillam ne putes
Crimen adeo leue: non leue eſt perrumpere
Legem à Deo latam, vel in re paruula.

 Nam

Nam cogita. Tu, Antioche, Rex magnus, potens,
Syris tuis barbam vetaſti radere,
Hic iuſſus eſt tuus, Syri hoc omnes ſciunt.
Tamen aliqui rem ceu minutam negligunt,
Raduntq́ barbam, quanquam id ingratum tibi.
Non cenſeas auctoritatem hîc regiam
Eſſe violatam? non iniquo animo feras?
Non imperabis tradi eos in carcerem?
Non exulabunt? non capite pœnas luent?
Atqui tu homo es Deo inferior, ob, partium
Pluſquam trecentis millibus. Legem in tuam
Non ita grauem ſi quiſpiam offendit ſemel,
Vt ſpretus ipſe vindicas acerrimè:
An minus erit ſpernere Deum, quam lædere
Regem? minusq́ puniat ſontes Deus?
Statuis ineptè nos philoſophari, quia
Natura quæ nobis beneficia præbuit,
Minimeq́ vitioſam voluptatem odimus.
Cæca laboras prorſus ignorantia.
Nam noſtra lex dum non ſinit edere omnia,
Quæ venter, & gula appetunt, veram docet
Nos temperantiam, & cupidinem monet
Habere domitum, ac imperare libidini.
Dicam inſuper, quo res pateſcat clarius,
Cur nos ſuilla temperare iuſſerit
Deus. Luto eſt amica ſus, & beſtia
Immunda; nunquam ad aſtra ſubrigens caput,
Semper in humum proiecta toto corpore,

Ven-

Ventriq́ꝫ ſolum, pabuloq́ꝫ ſeruiens.
Aptaq́ꝫ macello, prpterea ad aliud nihil.
Hac ergo Deus ambage quadam præcipit,
Ne nos voluptati, ac libidini velut
Porci velimus tradere, obliti ætheris,
Omniúq́ꝫ iuſtitiæ, & perennibus ideo
Tanquam ſues pœnis necandi apud inferos.
Haud vlla verò me ratio, nullus color
Abſoluet, vt tu credis, à piaculo,
Quamcunq́ꝫ legum rupero almi numinis,
Pro quibus ad omne me offero lethi genus:
Seu me illiges rotæ, ignibus ſeu concremes,
Seu fuſtibus mactes, meum ſeu verticem
Gladio reuellas: in lucris hæc deputo.
Intaminatus ad auos proficiſcar meos,
Immanitate ſuperior tyrannica.

THEOMACHVS, PHILOPHONVS, ELEAZARVS, ANTIOCHVS.

T. *Modeſtia ſenex præſtat arrogantiæ.*
Ridere ſupplicia queas, cum haud ſentias:
Cùm ſenſeris, tum cantilenam aliam canes.
Non tu ex chalybe, non ex ſilice compactus es.
P. *Patientia regis te abuti non decet,*
Neq́ꝫ peſtifera præponere ſalutaribus.
Dimitte faſtum, & tempori expergiſcere.
E. *Equidem vigilo, & omnem in Deo fiduciam*

Repono,

Repono, ab illo præſidia mihi ſpondeo.
O ſancta lex, qua ſum inſtitutus ego puer,
Quam lacte cum nutricis infans imbibi:
Non te tueri, & prædicare deſinam.
O ſancta parſimonia, ô frugalitas,
O temperantia, ô ſacra moderatio.
Dum ſupero, ſemper habebo vos chariſſimas.
Verè ſacerdotum decora dignitas:
In ſempiternum non pudebit me tui.
A. *Beſtia, quid ais? hoc ne voluit mea lenitas?*
An quia ego placidus, ideo tu es factus ferox?
Obtempera architecte ſcelerum, ne palam
Coram omnibus nunc nunc volens nolens edas
Porcinam. E. *Edere profectò nolo, age quod lubet.*
P. *Tantúmne facinoris eſu in hoc eſſe ſtatuis?*
E. *In lege frangenda ſcelus conſciſcitur.*
P. *Veniam dabit timore peccanti Deus.*
E. *Si dat nihil timere, quò venia mihi?*
P. *Ne cæteros præfractiores feceris*
Cum iſta obſtinatione inexpugnabili,
E. *Per fortitudinem datam diuinitus*
Animoſiores facio populares meos.
A. *Iam conticeſcet lingua petulantiſſima.*
Morem geres, an non geres? E. *Deo geram,*
Vt geſſi adhuc. A. *Ego faciam vt nobis geras.*
E. *Sua eſt voluntas cuique, cogi non poteſt:*
Si cogitur, non eſt voluntas amplius.
A. *Seu tu voles, ſeu non voles, ſuillam edes.*

Túne

Túne vt mihi quoad placeat illuſeris?
Senum omnium nequiſsime ſenex, fac modum
Inſaniendi, atque obſecundá regibus.

E. *Illic meus Rex habitat, & dominus meus:*
Illi obſecundo, & obſecundabo libens.

T. *Res in acie eſt nouaculæ, quod dicitur,*
Accede ad aram, & ſume carnis fruſtulum,
Valere tantiſper Moyſen tuum iubens.
Quid regis iram pergis, oro, accendere?

E. *Captare ventos retibus conamini.*

A. *Satellites, ocyus ad aram impellite*
Sacrificulum hunc ſuperbia intolerabili.
Curate corpus ne moueat, aut brachia.
Tribune, tu vi ſumma in os carnem ingere.
Patebit vtrum ſit penes victoria.

TRIBVNVS, ELEAZARVS, ANTIOCHVS, THEOMACHVS, PHILOPHONVS.

TR. *Eſcam cape tibi grunientis bellua.*
Cur me obtueris ſic atroci lumine?
Quin os apertum ſit facis? citò, age, aperi os.

E. *Non aperio.* TR. *aperi os, os aperi, & hoc glutias.*
Silet nebulo, & immobilis manet vt lapis.
Ede ede improbe. E. *ob laborem inanem ſuſcipis.*
Non comedo, quod comedere nos prohibet Deus.

A. *Vrgete magis homunculum nefarium.*

TR. *Quin*

TR. *Quin tu hoc edis furcifer, ede.* E. *ô violentia*
Non manderim, quaſcunq; tandem machinas
Admoueritis. In corpus haud credo meum
Buccella deſcendet etiam minima minor.
TR. *Impurus, en vt excreat: animam ſimul*
Heus excrea; vt te dij, deæq; perduint.
E. *Cælum ante fiet peruium celocibus,*
Et aſtra ſalſis emicabunt fluctibus,
Cum nocte fœdus iunget æternum dies,
Mors vita, vita mors erit. Nolo facere
Quod Regis impietas in ipſumet Deum,
Qui procreauit, & gubernat omnia
Me poſtulat cum facinore ſceleſtiſſimo
Committere: prius fruſtilatim ſiuero
Velliq;, laniariq; corpus hoc meum.
TR. *Rurſum, vora.* E. *apage cum nefandis carnibus,*
Non comedo: ceſſa. Per Deum qui me aſpicit,
Qui præſidet meo arbiter certamini,
Guſtare nolo, quod ſacræ leges vetant.
Vos iſta veſtris ventribus largimini.
TR. *Nihil agimus, Rex ipſe teſtis es, ſenis*
Adamanta vincit mira contumacia.
A. *Méne ergo captis (ô malum) deſiſtere*
Vt victum, & expugnatum ab hoc deterrimo?
Nec poſſe perſuadere verbis mollibus?
Nec poſſe dictis cogere minaciſſimis?
TH. *Nullam ſceleſtus meritus eſt clementiam.*
P. *Ex hominibus tollatur huius memoria.*

A. *Adeſte*

A. *Adeſte tortores, manus conſtringite,*
Abducite, flagellis in ipſum atrociter
Inſurgite, laniate carnes approbè:
Siquidem ipſe carnes ita refugit mandere.
Tanquam fabri incudem, ita boum tergoribus hunc
Validiſsimis plagis ferite grauiter,
Vt multus è viſceribus exeat cruor,
Torrentis in ſpeciem: ac niſi exuat animum
Illum priorem, coniicite in altam pyram,
Vertatur in fauillam, & in cinerem abeat.
Ipſos quoque cineres in vndas mittite.
Et oſſa permiſcete pecudum cum oſsibus.

P. *Haud quicquam atrox nimis fieri in iſtum poteſt,*
Qui regem, & omnes incolas ſummi atheris
Ridere non formidat, & contemnere.

TH. *Peccata grauia vindicanda grauiſsimè.*

E. *Viro bono, & amanti Deum, nec mortuo,*
Nec viuo aliquod obtingere quit incommodum.
Viuátne, an ad plures ierit, haud intereſt.
Domini ſui eſt cum ſpirat, & poſt funera.

A. *Periiſtis, hunc niſi ſubitò ex oculis planum,*
Aretalogum, labem lutumq; abducitis.

ACTVS

ACTVS QVARTVS.

TRIBVNVS, ELEAZARVS, DIODORVS, MEMNO, familiares Eleazari.

T. *Ecquid hodie bonum antepoſitum eſt prandium*
Eleazare tibi? ecquid epulis genialibus
Differtus es? num te flagris recreauimus
Quod expetebas? an aliquid deſideras
Quod noſtra poßit ars tibi hoc facere amplius?
E. *O procreator, ô ſalus rerum Deus,*
Spes Iſraëlis, vita, conſolatio,
Quî potero iuſtas gratias perſoluere,
Cùm me beaſti liuidis vibicibus,
Cùm artus dediſti immanè vulnerantibus,
Hæ margaritæ ſunt meæ, hæc monilia
Mea, omnis hæc gaza, omneq́ patrimonium.
D. *Mi Eleazare, mi Eleazare, agnoſce rogo te*
Agnoſce nos. E. *Noſco viros ampliſſimos,*
Mecumq́ familiaritate arctiſſima
Confœderatos. M. *ô quod hodie vidimus*
Spectaculum non abſque multis lacrymis,
Cùm tu flagris coopertus es crudelibus.
O noſter Eleazare, miſeret ambos tui,
Quantum exprimere non poßit vlla oratio.
E. *Miſeremini miſerorum, ego non ſum miſer,*

Tolerare

Tolerare namq; immerita, malaq; perpeti,
Quia renuas agere malum, hoc in maxima
Felicitatis parte ponendum autumo.
T. *Vt largiloquum apud hunc ſenem reſponſio*
Nunquam imparata eſt, integrum ſolet diem
Blaterando lacerare. D. *ſine nos quiddam leue*
Abs te impetrare. T. *quid eſt?* D. *vt hunc ſine vinculis,*
Atque arbitris vobis ſcorſim congredi
Patiare nobiſcum. T. *licet, reſoluite*
Heus vincla. Vos abſcedite hinc, nos hoc loco
Dum terminatur ſermo conſedebimus.
M. *Eleazare huc concede ſis pauxillulum.*
E. *Verò, ac libenter: ſi quid opus eſt, dicite.*

DIODORVS, ELEAZARVS, MEMNO.

D. *Quæ rebus in multis tua eſt, Eleazare,*
Spectata nobilitatáque ſapientia,
Noſti ipſe amicitiam, & fidem firmiſſimam.
Veriſſimamq; iudicari, quæ velut
Aurum in camino, ita in amici duriſſimis
Temporibus elucet: nec vnà diffugit
Florente cum fortuna. E. *idem affirmauerim.*
D. *Nos ergo qui te amore cumulatiſſimo*
Dileximus, charumq; ſemper habuimus,
Deeſſe tibi in hoc triſtiſſimo caſu tuo
Noluimus. M. *eheu, Regis imperia ſtatim*

Ab initio exſecutus eſſes, heu, tibi
Obtemperandum cenſuiſſes, nunquam ita
Conciſa pellis eſſet à carnificibus.
E. *Tormenta, ſi vitare cum poſſem, tuli,*
Mihimet tuli; mihi dolet, ſi quid dolet.
D. *Nobis dolent etiam dolores hi tui,*
Credas velim indubitata teſtificantibus.
Siquidem ea lex amantium eſt, gaudere ſic
Bonis amicorum, & malis dolere ſic,
Quaſi propriis. Verùm quoad permittitur
Libera poteſtas, dum in pyra nondum vreris,
Decede ſuſcepta parùm à ſententia,
Diminue modicùm hanc tetricam conſtantiam,
Emolliatur pectus hocce ferreum.
M. *Truculentus hoſtis tibimet euadere potes?*
Quò mens bona receſſit? datur viuere, mori
Cur deſtinaſti? quis iubet? quis optat? aut
Quis imperat? quis cogit hanc te abrumpere
Lucem? D. *quod haud vllum facit animal, hoc facis.*
E. *Qui.* D. *tuentur beſtia pro viribus*
Vitam ſuam, extingui timent mirum in modum:
Tu ſolus inuentus, necem tibi qui ſtruas,
Tu qui ſciens, videns, volens te ipſe iugules.
E. *Errratis, optimi viri, multum à ſcopo*
Abeſtis, ac ſeruare me dum tenditis,
In fraudem apertam impellitis. M. *meliora dij.*
D. *Si tu paterna religione obſtringeris*
Vehementer adeo, vt conſtitueris omnia

Lethi

Lethi genera, tormenta ſufferre omnia
Prius, quam ab illa tantulum deflectere,
Ne comede porcinam, tamen domo è tua
Carnes quibus veſci haud nefas, ferri impera,
Easq́ deguſtando te ediſſe ſimula
Porcinam: vt ita ſupra tuum aſtantem caput
Peſtem ſupremam effugere poßis, quod potes.
Simulare tantum ſuadeo, quid hoc mali?
M. *Eleazare, ſimulare diſſimulareq́*
In tempore, ſapientis eſſe prædicant.
E. *Prô ſancta lex, prô ſancte legis conditor,*
Quas fabulas recitatis? aut quæ ſomnia
Eloquimini? quæ conſilia depromitis?
Non ſic mihi ætas acta ab incunabulis,
Non moribus vixi hactenus tam perditis,
Poßim hoc vt in me ſcelus inexpiabile
Admittere ſine ſempiterna infamia.
Nec ſpiritus hoc ſanguinis clariſſimi,
Nec iſta canities, & ad gradum vltimum
Senecta propagata mihi conceſſerit.
Honeſta mens, quam vita turpis nemini
Non debet eſſe millies optatior.
Meam igitur animam prodigere ſatius erit,
Quocunq́ cruciatu, Antioche, decreueris,
Quam illa via, quam vos mihi proponitis,
Exaſperare Deum, & iuuentutem meo
Docere facto ſanctitates patrias,
Rempublicamq́ prodere. D. *Oh, quonam modo?*

E. *Si ſinxero, quod fingere cohortamini.*
Ratiocinabitur vtique adoleſcentia
Secum hiſce verbis. En hic annis obſitus
Eleazarus, præfectus aris, & ſacris
Interpretandis legibus, grauis, pius,
Prudensq́ vir ritus Syrorum amplectitur,
Noſtris ſalutem dixit. ô nos ſimplices,
Et mente captos, quid moramur inſequi
Veſtigia ſenis? cur trucidari iuuat
Tanquam pecora? ſolis fruamur lumine:
Ne quis cadere velit ante fatalem diem:
Edamus eſcas, totus orbis quas edit.
Papæ, mihi qualem maculam ego inuſſerim?
Quam ſordidam labem ſenectæ aſperſerim?
Et quid habet vtilitatis elapſum è manu
Mortalium ſupplicia cauiſſe breuia,
Quando manum Dei, & furorem, & improbis
Pœnas ab ipſo excogitatas non queo
Neque viuus effugere, neq́ etiam mortuus?
Idcirco alacriter, animo promptiſſimo
Pro legibus, quarum auctor ipſemet Deus,
Grauiſſimis, ſanctiſſimisq́ legibus
Ad mortem eo, qua glorioſior altera
Non eſt, nec ad noſtros nepotes clarior.
Sic ego ſenectuti, ſenectus ſic mihi
Honori erit, petentq́ iuuenes à ſene
Exempla fortitudinis pulcherrima.
D. *Tute nimium inimicus tibi es, Eleazare.*

E. *Odiſſe qui ſe neſcit, hic non bene ſe amat.*
M. *Tam nihil apud te noſtra valuiſſe monita?*
E. *Quia vox Dei valet, apud me quàm plurimum.*
D. *Omninóne voluntariam ad mortem rues?*
E. *Vitam in beatam propero per mortem ingredi.*
M. *Quî nam dolores ſuſtinebis ignium?*
E. *Diuina virtus potentior eſt ignibus.*
D. *Orbari amicis nonne res miſerrima?*
E. *Miſerior eſt orbare ſeſe ipſum Deo,*
Qui ſolus in re incerta amicus certus eſt.
M. *Laniatus es flagris, rogum quare ſitis?*
E. *Ceſſet tyrannus perſequi, haud ſitiuero.*
D. *Cruciatus eſt horribilis in flamma emori.*
E. *Pœnæ graues fermè breues, longæ leues.*
Apud inferos maiora ſunt incendia.

TRIBVNVS, DIODORVS, MEMNO, ELEAZARVS.

T. *Iam deſinat veſtra iſta fabulatio,*
Nos tædet hîc trahere moras in veſperam.
Tum vos, quod apparet, agitis nugas meras,
Cum neſcio quid huic vultus infundere ſeni.
Eſt æthiops, non fiet vnquam candidus.
Heus vos, ligate malum, vt ante duriter.
D. *Canos veremini.* M. *hominem habete mitius.*
T. *Quem tu benignum reperias, ſi inſenſus es*
Ipſe tibi, vt hic ſibi eſſe nondum deſinit?
M. *Vel nunc precamur, quid futurum expendito:*
Serò ſapere diſcas, modo aliquando ſapias.

D. *Per ego deos, homineſq́ te obteſtor, fuge*
Et mortem, & atrociſsimum mortis genus.
E. *Mutare generoſam haud libet ſententiam,*
Sint præparata mortium mille genera.
Quare ſuperſedete vos negotiis.
T. *Ducite, rapite, trudite Acherontis pabulum.*
Aſſandus eſt veruex. E. *valete.* D. *aue, & vale.*
M. *Ah qui valebit, quem rogus depaſcitur?*

Diodorvs, Memno.

D. *Spes noſtra Memno nos fefellit, ſumpſimus*
Laborem inanem, veterem amicum, æquiſsimum
Atq́ humaniſsimum virum, heu, amiſimus.
M. *Damnum haud mediocre fecimus, Eleazari*
Sermonibus dulcedine ſuperantibus
Mel omne, vultuq́ illo amabiliſsimo,
Et ſuauitate morum, & innocentia
Priuati. D. *an inuenire virtus huic parem*
Vnquam poteris? M. *haud poterit vnquã, exiſtimo.*
D. *Huius memoriam mihi dies nullus auferet.*
M. *Facilius obliuiſcar ego mei, quam vt hunc*
Sinam è meo effluere animo. Siue vigilem,
Siue capiam ſomnos, videbo Eleazarum,
Amplectar, oſculabor, colloquar ſenem
Poſt fata quoq́ longè mihi chariſsimum,
Virtutis & ſatellitem rigidiſsimum.
D. *In regiam redeamus, id tempus monet.*
Præſtitimus herclè Eleazaro, quæ potuimus

Officia,

Officia, quæq; debuimus. M. *ita eſt, & hoc*
Iucundum erit meminiſſe, conſcientia
Officij alit mentem ſtabili bilaritudine.

ACTVS QVINTVS.

IOSIAS, ELISEVS, IACOB.

Io. *Hoc igitur vnum ſcilicet noſtris malis*
Vexationibusq;, & aduerſiſsimis
Rerum calamitoſiſsimarum caſibus,
Quibus tyranni incredibilis, & omnibus
Iam nota terrarum angulis immanitas
Multauit, occidit, necauit, perdidit
Stirpem tuam Abrami Deo chariſsime:
Hoc deerat, inquam, Eleazar vt noſtrum iubar,
Noſter neceſſarius, & alter ceu parens,
Communionem propter arctam ſanguinis,
Vir omnium quos ſol videt honeſtiſsimus
Iuſtiſsimus, multoq; ſapientiſsimus
Raperetur ad tribunal, ad flagra, ad rogum.
I. *O hunc diem infelicem, & illatabilem,*
Quo tale columen horrifica frementibus
Euris ſolo proſternitur: quo tanta lux
Occumbit. IA. *ego memini dolor quantus meum*
Cor vellicauerit, vbi Regis impij
Os illud importunum adire coactus eſt:

Vbi flagellis ſectus eſt atrociter,
Totumq́ corpus eſt cruore perlitum,
Spectare qua nos contigit cum lacrymis.

IO. *Spectaculum mœſtiſsimum intuiti ſumus,*
Cautibus item, & leonibus miſerabile.

E. *Stadio in eodem forſitan ſpectabimur,*
Perinde ſi Deus vt prius conniuerit.

IA. *Deus cum ſit Deus, facit quæcunq; vult,*
Reprehenſionem incurrere nec vllam poteſt,
Si quid vel agat ipſe, vel agi non probibeat.
Tradamus hortor nos ei, quanti ſumus:
Si occiderit etiam, nocere non poteſt.
Signum ſacerdos militare ſuſtulit
Altiſsimè, ductum ipſius fidentius
Sequamur, & ruamus in arma media.

E. *Summoperè nobis quempiam dari obuium*
Deſidero, qui nuntium ad nos afferat
Super Eleazari vltimo certamine,
Aſtare cui nos vetuit immenſus dolor.

IO. *Quanquam arbitror, prorſusq́ mihi perſuadeo*
Similem fuiſſe ſibi virum fortiſsimum:
Nihilominus tecum velim pernoſcere
Quî tota res proceſſerit. IA. *idipſum ardeo*
Compertum habere, etſi abſq; gemitu, & lacrymis
Audire funeſtum haud licebit exitum.
Viuentium fletus decora morientium
Sunt, & ſuper amico atq; ſocio ſanguinis
Vt debitum eſt plorare, ſic ſuauiſsimum eſt.

E *Sed*

E. *Sed enim quis hic, quem cerno dirigere gradum*
Huc rectà? IO. *hic ipſe nuntius quos quærimus*
Fortaſſe nos afficiet. IA. *mœſtus eſt homo,*
Fixos tenet oculos humi: apparet aliquid
Secum volutare, atq; id haud lætiſſimum.
E. *Aurem adhibeamus, nam loquetur quippiam.*

NVNTIVS, IOSIAS, IACOB, ELISEVS.

N. *Si ego cruciatum ob inexplicabilem iſtius*
Eiusq; virtutem, & obitum doloribus
Ferueo, neceſſitudo cui nulla cum eo,
Cognatio nulla fuit, ah, vt ſe gerent
Cùm didicerint, quos ille familiariter
Dilexit, aut quorum propinquus extitit?
IO. *Dixíne vobis?* E. *nouit hic rei ordinem.*
IA. *Vin' alloquar?* E. *nondum: audiamus cætera.*
N. *Non me latet Eleazaro eſſe tres viros*
Cognatione copulatos, quos reor
Ad ſe venire aliquem cupere, qui aſpexerit
Quintum quaſi actum huius nouæ tragœdiæ.
Senem bonum, ſenem optimum in flammis diem
Conficere extremum. E. *quieſce.* N. *Cuius ex*
Sermone penitus acta quæ ſunt omnia
Percipere detur, luctuoſa quamlibet.
E. *Heus tu, mane parumper, in eos incidis*
Quos conuenire vis, vt aiebas modò.

 N. *Ipſiné*

N. *Ipſiné vos, quos quæritabam?* Io. *ipſiſſimi.*
N. *Iam agnoſco facies: nil potuit hodie magis*
Accidere charum. Vos volo, ſimul commodè
Vos obtuliſtis. E. *túne præſens omnibus*
Coram affuiſti, Eleazarus poſtquam ad pyram
Largiſſimè flagris onuſtus raptus eſt?
N. *Nempe affui, oculis & meis, & auribus*
Vidi, notaui facta, dicta ſingula.
Ia. *Ordire ſis narrationem lugubrem,*
Fletuſq; grauidam, tibi animos attendimus.
N. *Vix eſt vt exponendo poſſim conſequi*
Proteruitatem, & inſolentiam, & nouam
Petulantiam, quam itinere quo pertractus eſt
Vſq; ad rogum, ſatellites tortoribus
Dum paria faciunt, in virum hunc exprompſerint.
Niuium alius ſimilem capillum vellere;
Barbam alter in pectus fluentem carpere:
Hîc in caput pugnos vibrare; at hic genas
Et os ſacratum verberare identidem.
E. *Duræ necis procemia, ô duriſſima.*
N. *Dicenda plura. Hic partem in illam, iſte in aliam*
Raptabat. Ille retrotrahere audaciter,
Antrorſum alius, retrorſum alius impellere,
In crura calces, inq; latus impingere.
Io. *O ſæuitia.* N. *quid contumelias, probra,*
Maledicta, ſcommata memorem, toties quibus
Hominem laceſcebant procaces admodum?
Ia. *Et hæc ferebat mente ſedata ſenex?*

N. *Se-*

N.*Sedatiore tuliſſe quidquam neminem,*
Nec poſſe ferre opinor. Vt vaſtiſsima
Rupes procellis imbrium atq; grandinis,
Rabieq; ventorum tumultuantium
Dum quatitur aſsiduo, reſiſtit fortiter,
Immotaq; manens ridet omnes impetus:
Sic ille ſumma præditus conſtantia,
Iſtis nihil ceſsit, nihil turbatus eſt.
An ille cedat his? flagellorum ictibus
Horribilibus non ceſsit, igni denique
Flammas vomenti ad ſidera nihil ceſsit. Io. *ah,*
Si paſſus eſt hæc innocens, nocentibus
Mercedis ergo quid erit? Ia. *inceptum precor*
Pextexe ſermonem. N. *in locum venêre, vbi*
Electum arietem concremari oportuit.
Struem ordinatam, ligna pice ſudantia
Monent vt aſpiciat. Obedit, aſpicit
Interritus, vultuq; planè immobili.
E. *Nihilné verborum edidit, dum iſta fierent?*
N.*Pauciſsima, & quæ celſitatem pectoris,*
Roburq; ſingulare ſatis oſtenderent.
Conſiderate porrò, quam nil mouerit
Eleazari fortuna carnifices truces.
Fœtore nares illius olentiſsimo,
Plenoq; peſtilentia atq; ſulphuris
Audent replere homines inhumaniſsimi.
Poſthæc pedes ligatum, & à tergo manus
Conſtrictum, in ipſum ſic rogum immittere virum

Pergunt,

Pergunt, & ad medio eminentem ſtipitem (heu
Dolor propemodum intercipit vocem mihi)
Corpus ter, aut quater alligant contentius.
Tum è ſilice ſcintillam ignis excutiunt, & hanc
In fomite rapiunt, & arida ſubitò
Alimenta circundant. Pyram inde faſcibus
Crepitantibus nituntur altam accendere.
Subtexit æthera fumus, & fumo comes
Repentè flamma attollitur ſublimius.
Hortatur alter alterum ad rogum probè
Augendum. Ibi bacchantur omnes gaudio,
Canunt triumphum. Eleazarumq́; opprobriis,
Dictisq́; conſcindere ſtudent iocularibus.
IA. *Nullámne vocem miſit in flamma ſenex?*
Non eiulauit? N. *neutiquam. Prioribus*
Cruciatibus qua mentis altitudine
Reſtiterat, etiam huic omnium ſæuiſſimo
Reſtitit, & eſt perfectam adeptus gloriam.
Verum hîc ad ea, quæ extrema ſunt, attendite.
Memorabo quam precationem effuderit
Ipſum ad Deum, cum iam vſtulatis artubus
Oſſa intima ignis edacitas allamberet.
Itaq; oculos, quoniam manus præ vinculis
Nequibat, ad cælum efferens ſic fatus eſt.
Supreme Rex, quem nil fugit, quiq́; omnia
Quæ præterita, futura, quæ præſentia
Solus tenes, noſti meos ſenſus, meum
Erga te amorem, ergaq́; mandatum tuum.

Ob quem

Ob quem nec illibenter, vltroq́ haurio
Supplicia crudelia, & obeo crudeliter,
Cum potuerim pœnis carere his omnibus,
Multisq́ perfrui bonis. Nunc te pater
Suppliciter oro, tribue miſericordiam
Populo Iſraëli, quem tibi eſſe proprium
Statuiſti, & aliis prætuliſti gentibus.
Quas meritus eſt pœnas luit, parce obſecro,
Sanguis meus, tormenta mea, mors hæc mea
Miſerrimis mortalibus veniam impetrent.
Hæc prolocutus conticuit, & piam animam
Effudit: hic finis laborum, hic terminus.
Præclara mors vitam ſecuta eſt inclytam:
Habetis à me quæ cupiſtis diſcere,
Abibo curatum negotia mea: vos
Quæ decuerit viro huic date parentalia.

ELISEVS, IACOB, IOSIAS.

E. *Ite ite iam profuſiores lacrymæ,*
Dudum repreſſæ proſilite largius.
IA. *Heu heu madeſſunt ora ſalſo flumine.*
IO. *Eleazare, ah ah abſtinere fletibus*
Et gemitibus te ſic perempto quis queat?
E. *Doctore ſpoliati ſumus doctiſſimo.*
IA. *Cum Eleazaro exuſta eſt omnis fælicitas.*
IO. *Canus capite, & intelligentia quoque*
Canus, ſacerdos antea ſacrificiis,
Et precibus operabatur, vt populo Deum
Placabilem redderet, is hodie en hoſtiam

Se ipſe

Se ipſe immolauit, macula ab omni liberam,
Plebiſq; totius expiatricem. E. *ô virum*
Magnum, ſuaq; dignitati haud imparem.
Cibo execrando polluere dentes ſacros,
Et os colendo exercitatum numine
Fœdare noluit. IA. *ô magiſter optime*
Cæleſtium myſteriorum, qui tuo
Quæ alios docebas approbaſti ſanguine.
Habent ſacerdotes quod imitentur probè.
Tu perdoces parere rationi, doces
Motus domare turbidos, præcordiis
Ex intimis Deum diligere. E. *Ampliſſimum*
Decus Eleazarus Hebreis intulit.
O debitam naturæ, at ipſi patriæ
Mortem potiſſimum ſolutam, ô qualia
Virtute fiunt? IO. *proſequentur poſteri*
Grata memoria facinus excelſiſſimum,
Æternitas quod omnis intuebitur.

IMMO-

IMMOLATIO ISAAC.

PERSONAE.

PROLOGVS.
ABRAHAMVS.
SARA coniux.
EVILAS ſeruus atrienſis.
SERVVS corruptus.
ISACIVS.
VOX DEI.
NATVRA.
RATIO.
ANGELVS.
FAMVLI duo.
DOMESTICI.

EPILOGVS.

PROLOGVS.

QVOD mihi, gregiq́; noſtro, vobisq́; omnibus
Fauſtum eueniat, ſpectatores lectiſſimi,
Huiusq́; ciuitatis ipſa lumina;
Antiquam rem nouam, haud ignoratam prius,
At non (vt reor) oculis vſurpatam antea,
Veſtri cauſſa in ſcenam deducemus hodiè.
Argumentum eſt breuiſſimum, & pulcherrimum,
Grauitatis multæ plenum, ac ſuauitudinis.
Id dum percurro, quæſo aurem adhibete vacuam.
Abrahamus ſingulare Hebræorum decus,
Fuit in amore ſempiterno numini.
Hunc Sara coniux ſterilis & ſenex, ſenem
Fecit vt eſſet genitor vnius filij,

Per

Per quem auctum iri populum ſpoponderat Deus
Mirum in modum. Poſt hæc autem quid accidit?
Dicam planiſſimè, ſi animos attenditis.
Togam virilem iam ſumpſerat Iſacius,
Cum Abrahæ fidem Deus & obedientiam
Explorans, ſacrificari mandat filium.
Obſequitur ille iubenti, & ſe oblitus patrem,
Nec cum quoquam deliberans domeſtico,
Ad monſtratum ſibi montem properare properat:
Vbi aram componens, & acinacem vibrans
In ceruices vnigenæ, mox diuinitus
Ictum ſuſpendere iubetur. Tum laudibus
Eximiam ob virtutem tollitur ampliſſimis.
Hinc ſe continuò cum nato rurſus domum
Capeſſit lætus, totam exhilarans familiam.
Valete, bonam boniq; date operam bonis.

ABRAHAMVS, SARA.

A. *Nunquam mihi (vt quod res eſt promam audacius)*
Placere potuit quorundam hominum natio,
Qui ſeſe optant fieri ſenes, factos dolent,
Atq; in ſenectutem crimina multa congerunt.
Quæ, ſi animo vtaris æquo, minima, aut nulla ſunt.
Ille ærumnarum condimentum eſt optimum,
Humana incommoda perferens humaniter,
Nullumq; fortunæ exhorreſcens impetum.
Aiunt ſe cogi nuntium remittere
Voluptatibus, & æuum in luctu degere.

Equidem

Equidem ego non habeo ſenectutem meam
Quod accuſem, quam nec oneroſam ſentio:
Quippe velut ſarcinam ſuſtineo leuiſſimam:
Nec paret, quas voluptates amiſerim.
Vnum ſenio meo erat perpeſſu aſperrimum,
Vnum, inquam, perpetuo exedebat cor meum,
Quoniam ex te nullos procreâram liberos:
Omni hoc ducebam diritate dirius.
Dimidium tantum viuitur abſque liberis.
S. *Haud iſtuc mi vir tibi fuit acerbum magis*
Quam mihi. Voluiſti audire pater? bene tu quidem,
Ego item genetrix dulciſſimorum liberûm
Vt redderer, quas non factitaui preces?
Quibus gemitibus non fatigaui polum?
Atqui non aliam ob cauſſam indulſi Agar tibi
Ancillulam, niſi vt ſuſciperem filium
Alieno ab vtero, quando non poſſem meo.
Nimirum has coniugibus inter ſe amantibus
Opes, diuitias, theſaurumq́ nobilem,
Hoc præcipuum ornamentum vitæ exiſtimo.
Gratus ſol, grate cæli lampades aureæ,
Cum nox amictu terras inuoluit ſuo:
Tellus grata variis redimita floribus:
Similiter alia quæ memorem, ſi opus foret:
Nihil tamen ſic venuſtum eſt mortalibus,
Quam ex ſe natorum lucem contemplarier,
Propriiq́ ſanguinis animatos floſculos.
A. *Rectè, ſi modo mentem animi poſſident probam*

Si ſe futuros frugi ſpem oſtendunt bonam.
S. *Id ſemper exoptandum duxi ante omnia:*
Alioqui expediet nullos eſſe, quam improbos.
A. *Quid de Iſacio communi cenſes filio?*
Quidnam ſentis vxor mea? S. *oh, caue roges,*
Quod ad vnguem noſti. Præpotens rerum ſator
Noſtrum Iſacium, nouum vtriuſq; gaudium
Nobis incolumem præſtet. A. *Præſtabit Deus*
Propagatorem infinitarum gentium.
S. *Adoleſcentem malarum fugitantem artium,*
Verecundum, prudentem, iuſtum, ſobrium,
Parentibus dicto audientem ſedulò.
A. *Nil perperam profata es, teſtatiſsima*
Sunt quæ dixti, prolem nacti ſumus optimam,
In qua mirificè conquieſcit mens mea,
Cuius ſermo aſpectusq; omnem ægritudinem
Exturbat mihi. Non angor in ætate vltima
Hunc partum nobis donatum, quia talis eſt.
Neque valde concupiſco plures filios:
Quoniam in Iſacio filiorum myriadas
Ineſſe cerno, quas pollicitus eſt Deus.
S. *Me verò in vita oblectat, paſcit, recreat*
Natus ſolum: ille requies & ſalus mea.
A. *Amemus, ſicut amamus, filium, & Deum*
Laudare nullo intermittamus tempore,
A quo demum hoc obtinuimus beneficium,
Qui cuncta quæ vult vno nutu perficit.
S. *Etiam, mi vir.* A. *Ego rus ibo, viſam pecus,*

Paſtori-

Paſtoribusq́ dabo mandata, & villico.
Vale interibi Sara. S. *Deus te cuſtodiat*
Marite mi. A. *Nunquid vis?* S. *cito redeas.* A. *licet.*

ABRAHAMVS.

ILLA *hinc abiit, ego rus tendo iter, vt dixeram,*
Inſtabo operis, & perluſtrabo ſingula,
Attentum patremfamiliâs me hodie geram.
Deus, Deus haſce curas, hæc negotia
Fecit tibi: illum in vtraque fortuna ſatis
Condidiciſti vehementem, ſed fidum tamen.
Hem vt longis, vt laborioſis oppidò
Migrationibus tolerantiam tuam
Tentauit? quam multis idem periculis
Tuam obiectari paſſus eſt vitam? domum
Paternam, cognatos, affines, patriam
Deſerere iuſſit, & locos incognitos
Petere. Quam iſthæc parum iucunda euenerint,
Memoria meminiſti Abrahame. At contra mihi
Recenſeas, ſi pote, quibus etiam bonis
Te cumulauerit. Hic omnis facundia ſilet,
Centum linguæ non poterunt omnia effarier.
Quoties promiſſa dedit, qualia nulli prius
Mortalium dederat, de meis nepotibus,
Qui ſe ſtellis æquabunt multitudine.
Me propter reges attriuit, mihi ſuum
Auxilium affirmauit quam præſentiſſimum.
Ego benedictus, ego victor regum, ego pater

Multarum gentium, ego denique regum pater,
Ditiſſimus agri, rerum felix omnium.
Quid præterea requirat vel auariſſimus?
Aut quid ei magnum tandem, cui iſthæc parua ſunt?
Inſuper habes, quem meritò hæredem inſtitueris
Ex aſſe, tuum gnatum, verè vnum & vnicum,
Tuum Iſacium, blanditias mellitiſſimas.
Mori Abrahame potes, nec enim eris beatior.
At enim ſegnius ingredimur, addamus gradum,
Viam voremus reliquam, quò maturius
Nos recipiamus ad grandæuam coniugem,
Et ad natum, commune amborum corculum.

SERVVS corruptus, EVILAS Atrienſis.

S. *Vt atrienſem iſtum malè perdat, quidquid eſt*
Diuorum in cælis, ita me plagis contudit.
Dolent ſcapulæ, dolet caput, dorſum dolet,
Dolent brachia, dolent crura, dolent omnia.
Ægrè incedo. Quaſi incus eſſem, ſic homo
Nefarius me cooperiebat fuſtibus.
Clamabam obteſtans per ſuperos, & inferos
Ne ſæuiret: ventis loquebar ſcilicet.
Poſt vix me liberaui, & conieci in pedes,
Tergumq́; delaſſatum mandaui fugæ.
Scitetur quis, cur verberauit? neſcio.
Quia gratia multum apud heros intelligit

Se poſſe,

Se poſſe, idcirco ſuperba tollit cornua,
Ac nos conſputans triobolares ſeruulos,
Sexcentoplagis pulchre nomen indidit.
E. *Quid blateras malè conciliate? quid hic reſtitas*
Ante ædes? quin fugis maſtigia? S. *obſecro,*
Quid commerui? nolo profectò. E. *Tenebrio,*
Vis exponam merita tua? S. *ſcio me bonam &*
Fidelem ſeruitutem hero ſeruiſſe meo.
Ad quem, vbi redierit, deferam nomen tuum,
Qui ſeruum innoxium ſic mulctes. E. *fur, trifur,*
Vini calamitas, helluonum ſignifer,
Venter edax, ipſo ſomno ſomnolentior,
Abi in malum cruciatum. S. *quod capiti tuo*
Siet. E. *ita gratias agis? ob hoc en rurſum tibi.*
S. *Perij, ob, ob. Ego ſi viuo te vlciſcar probe.*
Sine veniat modò ſenex, efficiam vt mei
Atq; adeo huius diei ſemper memineris.
E. *Te herus in carnificinam dabit, cum redierit.*
Quare ſi ſapis, in conſpectum ei ne prodeas.
S. *Minæ tuæ ſunt ex pelui tonitrua.*
Formidas ne virtutes enarrem tuas,
Et ille dedat te in priſtinum vſq; ad necem.
E. *Tace ſcelus, abſcede à foribus.* S. *Quod rectius*
Videbitur mihi, id agam. Conſternor miſer,
Totus tremo, iam fuiſſe quam eſſe mauelim,
Suſſultat cor meum intus præ nimio metu,
Iam nunc membra gelida quatit horror frigidus,
Ne me ob flagitia, quæ atrienſem non latent,

Herus reuerſus diſcipulum tradat cruci.
Sanè tenaces vngues, viſcoſas manus
Sæpe habui, & me inuitaui ſæpe pluſculum,
Somnoq́; & otio primas ſæpe abſtuli.
Iam è dignitate mea futurum iudico,
Vt ego nunc iſtis ædibus longum vale
Dicam, & alicubi mendicorum numerum augeam.
Sic fuerit conſultum meis rationibus.
Nam mendicus ideo interire non poteſt,
Quia totius mundi ciuis, & alumnus eſt.
Vale, & ſalue domus herilis, tuq́; Euila
Quære alium, cui ſudorem abſtergas fuſtibus.

SARA, ISACIVS.

S. *Non dubitas, gnate mi, cunctis cum animantibus*
Sui fœtus ſint chari, tum vero hominibus
Inprimis eſſe amabiles quos genuerint,
Quibus nihil dedit natura dulcius.
Nec illud ignorare potes, quin matribus
Sint chariores liberi, quam patribus.
I. *Nequaquam ignoro, mater mea.* S. *nec te fugit,*
Quæ cauſſa amoris tanti. I. *Quia ſunt mulieres,*
Quarum animus tenerior, & ad amandum pronior.
Dein liberorum per ſe ſunt auidiſſimæ,
Supra viros. Adhac cum geſtant in vtero
Prolem, & quando enituntur, & quando educant,
Dolorum, curarum, laborum plurimum
Suſtentant: quæ res illas ad amorem magis

Irri-

Irritant. Poſtremo auget hunc aſſiduitas
Conſuetudinis. Etenim comunt, pectunt, lauant,
In vlnis portant, & papillas porrigunt,
In lectulis locant, è lectulis leuant.

S. *Quam doctè fili, & matrum congrua ſenſibus?*
Veruntamen multa ſunt cauſſa, ob quas ego
Plus quam ſuos alia matres te diligam.

I. *Haud aliter vnquam cogitaui, niſi tibi*
Chariſſimum me eſſe, vt tu mihi chariſſima.
Nihilominus libenter cauſſas audiam
Quas autumas. S. *Animule mi, haud humanitus*
Vt cæteri, ſed cæleſti miraculo,
Cæleſti prorſus munere progeneratus es,
Nimis annoſa matre, nimis annoſo patre.
Vix ipſa credidi peperiſſe filium,
Etſi fouerem gremio, nutrirem vbere.
Tum dixi, quod repetendo dicam millies:
Riſum fecit mihi dominus. I. *Teneo patri*
Promiſſum me, cum olympo delapſi angeli
Ad vos diuerterunt: & natum gaudeo.

S. *Dein datus es, ſenibus eſſes vt ſolatium,*
Leuamentum, feſtiuitas, ludus, iocus.
Hoc quoq; non nihil eſt Iſaci, quòd vnicus,
Ne ſe meus amor in plures diſpertiat.
Tuo item patri tam ſimilis es moribus,
Atque ingenio, vt lac lacti non ſit ſimilius.
Hæc ſunt, ô dulce caput, ob quæ plus ardeo.

I. *Quanquam, parens amantiſſima, ſemper tibi*

Vt me probare poſſem ſtudui gnauiter:
Tamen cum aduertam me plus oculis, & anima
Charum tibi, nunc multò id conabor magis.
S. *Facis omnia quæ decent, nil poſtulo amplius.*
Aſt illud me ſollicitat, ne graue quippiam
Contingat tibi, quod miſeræ mihi mortem afferat.
I. *Non eſt quod de me quidquam formides graue:*
Dominus auertet, ſi quid impendet mali.
S. *Impendere videtur aliquid.* I. *Cur hoc ais?*
S. *Huius me noctis territant inſomnia,*
Pectusq́; timidum curis mordent anxiis.
I. *Ehem, quid ſomniaſti mater? ne tegas.*
S. *O rex æterne cælitûm, prohibe nefas:*
Defende cladem multò truculentiſſimam,
Mihiq́;, & huic gnato meo, qui ſolus eſt
Lux mea, columenq́; familiæ, dexter veni.
I. *Per me, quem amas, pia mater ſupplex rogo,*
Quæ ſunt hæc ſomnia? S. *Iam prima quies cœperat*
Concubia nocte omnes per artus ſerpere,
Gremio complecti viſa ſum meo hœdulum
Belliſſimum, quem deprecanti aggreſſus eſt
Rapere mihi, & rapuit ipſius pater tuus,
Diſtricto vt enſe daret Tonanti victimam.
Quid hoc præſagit? I. *Ludunt mentem ſomnia,*
Et quæ nunquam fient, nec facta ſunt, iubent
Horreſcere pauidos. Age expelle hunc metum,
Atq; ominare fauſtius, ne adduxeris
Me tecum pariter in eandem moleſtiam.

Valeant

Valeant nocturnæ imagines, eant, eant,
Iſthæc inania pectorum ludibria.
S. *Tua me cauſſa laxabo his mœroribus:*
Parebo, gnate, ſuadenti: at parebo ſic,
Timere vt aliquantulum ſaltem me ſinas
De charo capite tuo. I. *miror quam maximè,*
Cur iſtum hœdillum me putes. Quid ſi hoc idem
Matri offeratur alteri per ſomnium,
An tu voles ſic illam interpretarier?
Multi ſe dormientes aut ſubmergi aquis,
Aut gladiis confodi, aut ruinis opprimi
Putauerunt, qui vitam ſoſpites agunt.
S. *Dimitte curam fili: nam ſomnia neque*
Sunt vera ſemper, neque ſemper mendacia.
I. *Certè: ſed longè mentiuntur ſæpius.*
S. *Succedamus tectis, & maneamus patrem,*
Quem celerius rebus confectis ſuſpicor
Domi affuturum. I. *vt vis mater.* S. *prai, ſequor.*

ABRAHAMVS, VOX DEI, NATVRA.

A. *Num me fefellit aliquid cogitatio,*
Quam dudum ſecum verſabat animus meus?
Nec omnes ſeruos impigros, nec deſides
Omnes offenſurum autumabam: factum ita.
Hos laudaui, hos caſtigaui. Quæ debui
Conſtituere, conſtitui: iuſſa dedi ſingulis.

Fiduciam indipiſcor, ex ſententia
Rem proceſſuram. Nunc domum Abrahame repeda
Quantum es potis feſtinuſ. Nam te filius
Et coniux ſcis quam dudum exſpectent cum metu,
Quibus videris annum abfuiſſe integrum.
Ecce autem portentum ſubitò. Quid ſibilus
Significat? vah quid vult fragor? quid fulgura?
Deum immortalem. vix aſto ob formidinem.
V. *Abrahame, Abrahame, audi Abrahame.* A. *au,*
vox hac Dei eſt.
Pæne morior. V. *quidquid tibi imperauero,*
Tranſactum fac reddas. A. *domine Deus, impera.*
V. *Illum ipſum quem Sara genuit ſolum tibi,*
Chariſſimum, ſuauiſſimumq́ filium
Iſacium tolles, eundemq́ manibus tuis
Iugulatum adolebis hoſtiam gratam mihi,
Nempe in loco illo, quem mox indicauero.
A. *Papa, noua, miranda nimium miris modis.*
Veréne accepi vocem miſſam ex æthere?
An me ludificat ſimilitudo quæpiam?
Audiuin', an potius audiſſe me puto?
Num vigilo? num conſiſto? num vérba facio?
Apertis ne ſum oculis, apertis auribus?
Quid dicam, quidúe inceptabo? ſtupeſco, hæreo.
Quo me vertam? quem interrogem? quem conſulam?
N. *Faceſſant quæſtiones, iſthanc conſule,*
Fideliorem qua non aliam reperies,
Quam à paruulo ſenſiſti ſtudioſam tui.

A. *Agno-*

A. *Agnoſco vultum.* N. *Quid iuſſus teter, ferox,*
Crudelis, importunus, exitiabilis
Te Abrahame percellit, velut hoſtem numinis?
Etenim ſi odiſſet, quid mandare atrocius
Poterat, quàm dilaniares vt tua viſcera?
Ah, ah, forſan conſciuiſti ſcelus aliquod,
Quapropter tales abs te pœnas exigat.
A. *Scelus nullùm concepi, quod quidem ſciam.*
N. *O rerum maximarum inſperatæ vices.*
Olim pollicitis te mulcebat affatim,
Amabat vnum præ ſexcentis millibus:
Hodie diuerſum ſeſe declarat Deum,
Oblitus iuſtitiam tuam penitiſſimè.
A. *Difficile cernas, quorſum collimet Deus.*
N. *Quorſum collimet? nihil hoc vno facilius.*
Priuare te vult filio quem diligis,
Quem aſpexti natum inuſitato gaudio.
Satíſne latinè? A. *Intelligo: at nondum queo*
Deſpicere, quid futurum ſit. N. *Peribitis*
Ambo, tam dulci deſpoliati pignore:
Nunquam feretis huius pueri abſentiam.
Heu heu, Sara Sara mulierum ſanctiſſima,
Et coniugi fidiſſima, & gnati tui
Amantiſſima, te miſeram miſeror, ter quater
Miſeror. A. *Non ridebit, certum eſt, flebit diu.*
N. *Vbi promiſſum de naſcituris gentibus?*
An alterum Iſacium Sara dabit? non dabit.
Melius erat non generaſſe, & ſine filio

Diem

Diem clauſiſſe ſuum, quam perdere filium,
Teq́ ipſum nati imbuere ferrum ſanguine.
A. *Acres mihi admoues ſtimulos, & acriter*
Oppugnas, ſed nondum expugnas. N. *anne ſilices*
Circum præcordia geris? A. *en Ratio venit:*
Ea dictis (quod ſpero) tibi linguam occluſerit.

RATIO, NATVRA, ABRAHAMVS.

R. *Quid fabulare, quid hic tibi eſt negotij?*
Impoſtrix apage & Abrahamum miſſum face.
N. *Nugæ, perinde hîc ius meum eſt, ſicut tuum.*
Age res tuas, ſi vis: me ſinito agere meas.
Incommodas ſemper mihi. R. *par refero pari.*
A. *Operæpretium eſt ambarum audire iurgium.*
R. *Ab initio quæ effudiſti, audiui omnia.*
N. *Quid te occultabas igitur?* R. *Vt profunderes*
Quæ velles libere: ego contra liberrimè
Poſt id te confutarem conſiliariam
Amentem, vecordem. N. *maledictis tempera,*
Ne Ratio rationis egeas. A. *Ventum ad manus.*
R. *Túne vt crudelitatis incuſes Deum,*
Cauſſasq́ mandati perſcrutere altius?
Quid? num tyrannis conueniat vlla in Deum?
Et auctor cauſſarum abſq́ cauſſa aliquid agat?
N. *Cur ergo iuſsit tam inſolitum, ac dirum nefas?*
R. *Eia nefas. O verbum impium: nihil poteſt*

Præci-

Præcipere Deus, quod factu non ſit optimum.
Præterea exercet ille non rarò ſuos,
Et quem diligit, eum non tractat molliter.
Credò experiri iſtius virtutem viri
Voluiſſe, an morem geſturus foret ſtatim:
Non quia deſiderârit hominis ſanguinem.
A. *Haud abſurdè. Veruntamen ne me orbitas*
Excipiat metuo. N. *Faceret hoſti tamen idem*
Quod amico. R. *Non pœna, ſed cauſſa apud Deum*
Diſcernunt homines. Patitur bonus, itidem malus
Patitur: hic vt pro facinore ſupplicium luat:
Ille, vt probatus maiora ferat præmia.
Et audebis, peßima, Deum mutarier,
Aliumq́; factum quam fuerit mentirier?
Non eſt ſimilis hominum, manet immutabilis,
Tametſi non ſemper idem iubeat. N. *Interim*
Amittet Abrahamus amorem ſuum vnicum,
Atque in nihilum promiſſum cæleſte recidet.
R. *Prius ſæuitiæ, ſed nunc vanitudinis*
Condemnas veritatem. Citius machina
Mundi euaneſcet omnis, quam fallacia
Diuina ſint promiſſa. N. *morietur tamen*
Iſacius. R. *hoc pro certo ne affirmaueris.*
N. *Vtiq; morietur.* R. *Deus ergo hoc dixit tibi?*
N. *Interfici iußit, nec mandabit aliud.*
R. *Faciet autem aliud forſitan.* A. *Vtinam quidem.*
Macte natum manibus iſtis horreo.
N. *Viuum non ſeruabis: morietur Iſacius,*

Si faxis

Si faxis modò, quod vt facias, Deus imperat.
Interea vbi nam gentes innumeræ? A. *Heu, quam dolet,*
Cum mortem afferre tibi compellor, gnate mi.
R. *Nondum eduxiſti gladium, quid fruſtra times?*
Atque vt neceſſe prorſus ſit eum interfici,
Non hunc rediuiuum ex mortuo reddere poteſt?
Nonne alium tibi dare filium poteſt Deus?
N. *Vix hunc dedit.* R. *nugatrix nugaciſsima*
Tace. De lapidibus homines creare poteſt,
Quanto magis ex hominibus quamcunque ſenibus?
Tu Abrahame, vide vt fideliter, & citra moram
Imperium cæleſte peragas. A. *Vt conſulis.*
Sed me eſſe hominem ſentio. N. *at hæc eſſe poſtulat*
Te adamante & chalybe duriorem. R. *quin abis?*
Quin te hinc moues? N. *Abrahamum non deſero meum,*
Rumparis licet inuidia. R. *Porrò nos domum*
Pergamus. N. *prô quid Saram dicturam putes,*
Cum ex te cognôrit rem longè mœſtiſsimam?
Vt omne tectum vlulatibus implebit ſuis?
A. *Iſtucne pandam coniugi, an ſilentio*
Compreſſum teneam, non liquet. R. *totum ſile:*
Cela mulierem, turbas vt ne concitet:
Quin lætitiam vultu aſsimula, quantum queas.
N. *Quod paulò poſt ſciet, cur non ſciat ſtatim?*
R. *Sciet quando impedire non poterit virum.*
N. *De nato communi ſtatuant communiter.*

R. *Plus*

R. *Plus patri in filios, quam matribus licet.*
N. *Sed liberos occidere patri non licet.*
A. *Vt non enuntiem quod ſummus arbiter*
Mandauit, quamuis difficile eſt: nihilominus
Occultum habebo apud vxorem, & domeſticos.
Aſt vultum fingere lætum cum corde intimo
Premas dolorem, non eſt hoc cuiuslibet.
N. *Humani Abrahame alienum abs te ducas nihil.*
R. *Caue, caue, ne percontando exſculpſerint*
Confeßionem. A. *Curabo.* R. *En prodit foras*
Mater cum filio, comitantur ſeruuli.

Sara, Isacivs, Abrahamvs, Natvra, Ratio.

S. *In horas expectatus ades, marite mi.*
Saluus ſis Abrahame. I. *O ſalue ſalue pater.*
Iuuat amplexari, & dexteras coniungere.
A. *Salute viciſſim vos omnes impertior,*
Teq́ inprimis dulce decus, & lumen meum.
I. *Vbi tam diu moratus es quæſo pater?*
A. *In agro fili, quò me hinc ire dixeram.*
S. *Non aliâs tantum conſumpſiſti temporis*
In villa obeunda. A. *non ſemper negotia*
Æqualia ſunt: hodie morandum erat amplius.
R. *Bene reſpondes.* N. *de vultu quærent pallido:*
Quam vellem cauſſam ediceres. R. *non, ſed alia.*
S. *Heu turbidior hæc facies quid nam vult ſibi?*

A male,

Amabo, quid tantum abes ab hilaritudine?
Quid ex alto ſuſpiria ducis pectore?

I. *Mi pater, ah mi pater, cur triſtibus oculis*
Me luſtras? A. *curæ grauiores ſæpe faciem,*
Quod noſti, commutare ſolent. I. *Aſſentior*
Pater: ſed iam curas pelle precor tetricas,
Ac te totum da nobis. S. *in nos tuum animum*
Transfer. A. *quin totus in vobis meus animus*
Moratur, nec alibi vſpiam. I. *ergo exporrige*
Frontem, & ſupercilium remitte pater.

R. *Simula te lætum.* A. *Ecce faciem ſine nubilo,*
Qualem optas. I. *lætor. At quare nam lacrymis*
Videntur impleri lumina? S. *Cur denuo*
Trahis gemitum? N. *Quoniam partes agit meas.*

A. *In lætitia quoq; ſe profundunt lacrymæ,*
Suſpiriaq; cient diffuſi ſpiritus.

R. *Nil reſpondiſſe contra poteras aptius.*

S. *Omnino quippiam nouum occurrit tibi.*

R. *Huic nodo in procliui eſt inueniſſe cuneum.*

A. *Hominibus indies ferè obtingunt noua.*

I. *Audiſti, aut vidiſti aliquid, quod nolles, pater.*

N. *Audiuit quod tu nolles, ô dulcis puer.*

A. *Vt inſtant, vt perurgent? vix contineo me*
Quin erumpam. R. *Rege animum, rege, ne incenderis*
Domum luctibus. I. *Hem, quò vultum auertis pater?*
Si quidquam in te peccaui, emendabo lubens.

A. *Nihil peccauiſti.* S. *egóne peccati rea?*

A. Nec

A. *Nec natus, nec mater, nec deliquit pater.*
N. *Si qua eſt culpa, ea reſidet penes ſolum Deum.*
I. *Ne quæſo noſtrum gaudium contamines*
Mœrore tuo. A. *mi fili, vſq; adeo ne videor*
Mœſtus tibi? I. *vt ante hac nec ſemel.* S. *Nil*
certius.
A. *O vis naturæ valida.* N. *ô ſpicula, ô faces.*
A. *Si triſtis ſum, vos mihi triſtitiam demite.*
I. *Medicina vt morbo incognito fieri nequit,*
Ita dolore ignorato, ſolatia nihil
Conferre poſſunt. A. *Sapienter chariſſime*
Fili, & veriſſimè dicis, & iſthoc magis
Conuulneras animum, quo intelligentior.
N. *Morietur hic adoleſcens prudentiſſimus.*
R. *Præcide ſermonem.* A. *ne curioſius*
Quæratis quæ cognoſſe vos parum intereſt;
Mihi rem totam relinquite, & hilarem hunc diem
Sumamus. R. *perplacet.* A. *concedamus ſimul*
In ædes. S. *Omnipotens auerruncet malum,*
Quodcunq; aut filio, aut mihi, aut viro ingruit.

Aliquantiſper canendum loco exodij, vocibus aut fidibus, nempe in medio dramatis.

NATVRA.

ERrare homines in vita fati neſcios,
Sortiśq; futuræ ignaros, atque proſperis

Nec vnius quidem eſſe pater permittitur?
Miſeret Abrahami: ſed Saræ miſeret magis,
Quæ hoc eſt felicior, quod nec dum proſpicit
Quid ſit maritus perpetraturus hodie.
Quod ſi prænoſſet, nunquam iſtuc fieri ſinat,
Et vlnis charum circumfuſa filium,
Cum reſonis tales ploratibus edat ſonos.
Eheu, quod tantum moliris piaculum?
Naturam reſpice, & hominem eſſe te ſciæ.
Hunc ſolum & vnum habes natum, abſtine manus
Cruentas à carne tua, ne ne polluas
Tam infanda cæde mucronem, ne obſecro mei
Partus dolores hac mercede remuneres,
Néue educationi hæc ſolue præmia.
Hunc peperi primum, eundemq́ peperi vltimum,
Præter quem non eſt miſeræ vllum ſolatium,
Nulla ſoboles reſtat, quæ me matrem vocet.
Quis nunc ſedebit in medio noſtrûm ad epulas?
Quis turbatos leniat, iratos mitiget?
Quis iam noſtræ curam ſenectutis gerat?
Carentes luce quis ſepulcris inferat?
Conſidera formam iuuenis, quam hoſtis quoq;
Reuereatur. Conſidera animiq́ indolem,
Vitam integram, mores incorruptiſſimos.
Hic ſcilicet precum mearum fructus eſt,
Hæc illa noſtri generis illa immenſitas.
Tepefac prius in me ferrum, deinde quod lubet
Huic facito, & communi ambos compone tumulo.

Ah ne intuear necatum à patre filium,
Néue ſuos Abrahamum iugulantem liberos.
Hæc Sara iurè lamentando dixerit.

RATIO, NATVRA.

R. *Iterum lamenta, iterum nouas querimonias*
Congeminat diſputatrix callidiſſima.
Ocyus hinc te aufer, nil tibi hîc reliquum eſt loci.
N. *Quid tibi curatio eſt, quid ego dicam, aut querar?*
R. *Quia totum quod agis, eſt mihi contrarium,*
Inimicumq́ meo regno, nec poſſum tibi,
Hac præſertim in re, vllo coniungi fœdere.
Poſtulo ego vt Abrahamus perfectè pareat
Deo iubenti, & occidat gnatum ſuum,
Nec quæritet ſecum, cur Deus id voluerit,
Nec quomodo propagandi fuerint poſteri,
Neue hîc vxorem adhibere in conſilium velit:
Nam in conſultando vix bilum mulier ſapit.
Volo obſecundet regnatori maximo,
Nec in eo ſpem deſiſtat vnquam figere.
Qui neq; amat omnes, quos impunitos ſinit:
Nec odit omnes quos punit ſeueriter:
Datam nec fallere fidem, ac promiſſum poteſt.
Quæ verò abſtulerit, ea cum quæſtu vberrimo
Reddit, parua bona bonis penſans maioribus.
Tu contra nihil horum tecum ſtulta reputans,
Amiſſionem filij quiritaris, &
In ſuſpicione cuiuſdam truculentiæ

Ac per-

Ac perfidiæ inſiſtis ponere diuûm patrem:
Et quod non capis, in eo es littore loquacior.
Apage præſtigiatrix procul hoc à limine.

N. *Me abſente cum Abrahamo video quid egeris,*
Illum ſolidè captiuum fecisti tuum.

R. *Mei captiui ſeruitutem neſciunt,*
Veriſsimæ ſunt libertatis compotes.
Qui autem ſequuntur cæcam te cæci ducem,
Hi quamuis liberi ſunt, ſeruiunt tamen,
Sibimetipſis iniiciunt arctas compedes.

N. *Actum ago, recedam pauliſper, regnum tibi*
Relinquam: erit Abrahamus adhuc memor mei.

R. *Siue adſis, ſiue abſis, nunquam ſuperaueris.*
Tandem tandem effeci, vt abiret crepitaculum.
Nihil hoc monſtro blandius eſt, aut diſertius,
Nec cuius per venas medullasq; intimas
Citius permanet oratio. Ob hocce grauius
Timeo, ne Abrahamo, ſi redeat, os ſublinat
Suis offuciis. Quem ni diligeret Deus,
Non hunc inauditis exerceret modis.
Cuius virtutem ingenti afficiet gloria,
Vt eius nomen nulla obliuio deleat.
Scit ipſe quid faciat, & quodcunq; egerit,
Nos æquum eſt rectè factum confiterier:
Nam diuina voluntas ſibi ipſi eſt regula.
Huic quo quidq; magis conſonũ, hoc bonum eſt magis.
Sed eccum Abrahamum, progreditur ex ædibus,
Virum colloquar, vt extremã operi addam manum.

A. *Macte indole: hoc officium eſt filij boni,*
Parentibus ſeſe vt praſtet promptiſſimum.
R. *Pauciſſimos reperias nunc Iſacios,*
Facilius albos coruos, & cygnos nigros.
A. *Corripiamus viam: ſequimini: tu ad latus*
Meum ambula. I. *Sic, mi pater.* A. *nunquid prope*
Iam contueris collem amœnum atq; viridem,
Leni aſſurgentem cliuo? I. *Sanè.* A. *hic ipſus eſt,*
Super quo me ſacris fungi Deus iubet.
I. *Super hunc ne pater?* A. *Ita fili, vt dicebam, hunc ſuper.*
Heus vos, lignorum faſces hîc deponite,
Et nos, donec redeamus praſtolamini:
Litantibus nobis volo adeſſe neminem.
R. *Teſtis ſat magnus fueris ipſemet tibi.*
A. *Age fili, tu hanc ſolus portato ſarcinam,*
Pauxillum itineris reſtat, non multum premet.
Senectus mea non eſt ferendis oneribus.
I. *Ego portabo pater, etiam ſi maior foret.*
Leuiter incedo, non grauat onus. A. *venimus*
Ad deſtinatum. Conſcendamus gnate mi.
Nunc ex humeris faſcem reiicito. I. *reiicio.*
Verùm aſpicio ligna, ignem, gladium denique:
Quaero vbi ſit, quam domino immolabis victimam.
A. *Dominus ipſe ſibi prouidebit victimam,*
Ne iſtuc moueat, fili. I. *nihil iam ſciſcitor.*
A. *Neceſſe eſt rurſum vt adificemus arulam,*
In qua occidatur, & cremetur hoſtia.

I. *Miniſtro me vtaris pater, ſi quid voles.*
A. *Ara excitata eſt, nunc diſſolue ſarcinas:*
Nunc ligna in ordinem ſtruamus deſuper,
Vt vbi ſubiectum poſtea ignem arripuerint,
Impoſita repente conſumatur victima.
I. *Et hoc factum, pater mi. Sed iam victima*
Vbi eſt quaſo? nullam hic pecudem cernere queo.

NATVRA, RATIO, ABRAHAMVS, ISACIVS.

N. *O durum imperium, ô duriſſima neceſſitas.*
Tuum nunc ferrum in igne eſt. R. *hem, ne concidas*
Animo, tu amolire. A. *Ah, fili dulciſſime,*
Ah fili mi. N. *nouam rem pandet tibi pater.*
R. *Audacter Abrahame.* A. *mi Iſaci Iſaci, Deus*
Iubet, Deo reſiſtere nec paulùm licet.
I. *Eho quid gemitus, & quid ſuſpiria volunt?*
Mi pater, oro, dic claris verbis quidquid eſt.
N. *Miſer eſt pater, miſera mater, natus miſer.*
R. *Fælix mater, fælix natus, fælix pater.*
A. *Mi Iſaci, poſtquam te votis creberrimis*
Ex coniuge ſterili ſum adeptus filium,
Omni te cura, & charitate feruida,
Si quis pater in terris alius enutrij:
Cupiens id vnum, vt cum te feciſſet virum
Ætas matura, noſtrum inſtaurares genus,
Hæres mearum ſolus opum: & promiſerat

Deus

Deus id mihi: ſed aliter quando viſum eſt ei,
Nempe vt ſe tibi reſtituam hoc ipſo tempore,
Iuuentutis in ipſo flore, haud me refugere
Ac detrectare iuſſa domini conuenit,
Nec quaſi gigantem aduerſus eum bella gerere:
Præſertim cum recorder quæ in me effuderit
Beneficia. Quia igitur te ſibi poſcit Deus,
Mi fili, debes æqua mente id perpeti.
Homo eras, homini moriendum tibi fuerat ſemel,
Et ſemita lethi calcanda velut cæteris.
Nunc gratulere tibi, quoniam præter hominum
Morem aliorum morieris, atq; ipſi Deo
Fies libamen, qui te pluris æſtimat
Quam vt morbo, aut bello, aut huiuſcemodi caſibus
Vita emigres: inter preces, & vota vult
Ad ſe transferre ſpiritum tuum. Itaque ne
Crudelem me erga te putes: aſt in Deum
Magis pium. R. *Vt decuit locutus es Abraham.*

N. *Ah Iſaci, quod reſponſum dabis patri?*
Téne ab eo iugulari, cuius ſatu editus?
Illum tibi eripere vitam, qui debuit
Vitam defendere tuam? R. *adoleſcens optime,*
Imitare patrem, & complectere nutum Dei.
Ille Deo te occidit libenter, tu Deo
Libenter occidi velis. Erit hoc tibi,
Vt illi, poſt mortem æternùm memorabile.
De poſteris ſecuri eſſe, ipſe viderit.

I. *Tametſi naturà iniucundum eſt emori,*

Ornatiſſime adoleſcens, quid commerueras?
Cur adeo fundi oportet ſanguinem tuum?
Purpureum, caſtum, & innocentem ſanguinem.
I. *Etiam pedes liga ſis pater, vt victimam*
Perpulchrè æmuler. A. *ô quantum aueo pro te mori?*
Fili mi Iſaci, Iſaci fili mi, quis hoc
Mihi tribuat, vt pro te moriar, heu gnate mi.
R. *Ne quid nimis Abrahame.* N. *talis filius,*
Tam formoſus, tam moratus, adhæc vnicus
Lugeri non poteſt ſatis. A. *nunc Iſaci,*
Supereſt, vt te extremum affatus ſuper rogum
Iam collocem. I. *mihi longa eſt omnis mora:*
Proficiſci ad dominum ſummoperè geſtit animus.
A. *Vale ſolamen, vale ô dilecta ſoboles.*
Ora valete ô chariſſima, quæ de cætero
Nuſquam contemplabor. N. *telum in pectus adigi*
Videtur, cum hæc intueor atque audio: nimis
Miſeranda, & acerba ſunt. R. *Tamen exequenda ſunt,*
Deus iubet. I. *Vale cum matre, mi pater.*
Non poſſum brachiis collum ſtringere tuum,
Sed oſculum ſupremum hoc à me ſumito.
Iterum iterumque vale. A. *cor mihi diſcinditur.*
Multumque reluctanti proſiliunt lacrymæ.
R. *Reſiſte dolori, néue quid contra Deum*
Iniquum, ac peruerſum fac vnquam cogites.
N. *Ecce vt ouis placidiſſima, in ara componitur,*
Superſtruem. R. *quid tergiuerſaris, age, age,*

Educ vagina gladium, vt amputes caput.

A. *Eheu quam torpida manus, quam digiti rigent?*
Verùm Deus hortator ſuggerit audaciam.
O cæli rex, ô rerum ſancte conditor,
En mandatis morem gero tuis, & meum
Gnatum vnicum, quem me ipſo amaui impenſius,
Tibi holocauſtum offero. Tu ne me deſeras
Clementia tua: nam tu ſolus mihi
Præſidium, auxilium, ſpes, robur, & ſalus.

R. *Diu tardas, dies abit.* N. *factum bene,*
Quod aliquando ceſſas, & hinc abis.

A. *Iſaci Iſaci, iam te commendes Deo,*
Tuumq́ ſpiritum: nunc nunc ferio. I. *feri.*

Angelvs, Abrahamvs, Natvra, Isacivs, Famvli dvo.

An. *Abrahame, Abrahame.* A. *vnde hæc vox aures verberat?*
Quis me appellat? An. *Abrahame audi.* A. *Audio, & ſimul*
Perfuſus horrore aſto. An. *ne percuſſeris*
Iſacium, vagina extemplo redde gladium,
Mihiq́ animum arrectis aduortas auribus.
Hæc per me nuntiat diuûm atq́ hominum parens.
Quando hanc rem difficilem, & dictu grauiſſimam
Es auſus aggredi, nec filio tuo,

Quem

Quem præter nullum creâras alterum,
Voluiſti parcere, quin vti mandaueram
Iſto litares mihi, teſtem nunc inuoco
Memet, perq́ meum numen adiuro tibi,
Benedicam te, vt alium benedixi neminem,
Tuosq́ tantum multiplicabo poſteros,
Quantus ſtellarum eſt numerus innumerabilis,
Aut quantus arenarum eſt ad pelagi littora.
Gens belli ſtudiis aſpera, & intractabilis
Regnabunt longè dilatatis finibus,
Populosq́ victores ditione barbaros
Tenebunt, atque reges ſeruitio prement.
Hanc ego mercedem virtuti remetior,
Tuæ pietati talem refero gratiam.
A. *Súmne an non ſum, qui paulò ante fui? num mei*
Sum compos? ô Deum immortalem, vt hoc nouum,
Ingens, immenſum, inſolitum, & admirabile
Eſt gaudium? quod animus non capit meus.
N. *Euax, triumphemus, triumphemus, datur*
Nunc exultandi occaſio largiſſima.
Lætentur quotquot ſunt lætitiæ. O mira res
Inopinataq́. A. *Non occurrit, quidnam eloquar,*
Nec gaudia vocibus iter præbent peruium.
Iſacius viuit mortis ipſo à limine
Patri reſtitutus. N. *ab ipſis orci faucibus*
Redditur Abrahamo filius. Iô, iô Deus
Has miſericors conciliat nobis ferias.
Diſſolue nati vincula, & complectere
A mortuis reuocatum. A. *mi Iſaci, Iſaci*

F. *Quæſumus here, vt nobiſcum rem communices,*
Vt nos quoque tuum gaudeamus gaudium.
A. *Domi audietis. Pracurrite, Saram viro*
Atque Iſacio prodire iubetote obuiam.
F. *Fiet, volamus.* I. *Quare cum me abduceres*
Id eam celabas? A. *Occidiſſet nuntius*
Tam infauſtus, Iſaci, afflictam matrem tuam,
Vlulatibus pulſaſſet ipſa ſydera.
De filiis lædendis qui cum coniuge
Conſilium init, pugnam ſibi atrocem creat:
Sic efflictim partus ſuos mater adamat.
I. *Prudenter tacuiſti, & factum probo, pater.*
Nunc ſenſi non vano fuiſſe ſomnio
Exterritam. Nam ſibi viſa eſt gremio ſuo
Fouere hœdillum, quem diligeret teneriter,
Et illum abs te rapi, & ad aras interfici.
A. *At ego me viuum te reducturum domum*
Nec vigilans credere potui, nec ſomnians.
Aperitur oſtium, hem mater cum familia.

Abrahamvs, Sara, Isacivs, Natvra, Domestici.

A. *Satin' ſalue? vxor mea.* S. *ſatis: hilaror nimis*
Cum te, marite, & Iſacium hunc gnatum meum
Aſpicio reduces. Sed ſacrificium, rogo,
Quo pacto proceſſit vobis? A. *dexterrimè:*
Nam victimam immolauimus, & eam victimam
Viuam nihilominus reducimus domum.

S. *Qua*

S. *Quæ portenta hæc? aut quando hoc vnquam contigit?*
Quæ ætas talem accepit aliquando fabulam?
I. *Sic eſt, mater mea: verum prædicat pater.*
S. *Quid memoras fili? non ſanè aſſequor, & mihi*
Dari verba puto. A. *non aliter ſe res habet,*
Quam vt nos affirmamus. S. *Quæſo melius explica.*
A. *Auſculta dum.* S. *Auſculto libens.* A. *vides*
huncce puerum,
Deliciolas noſtras? S. *Video.* A. *hunc ſibi cælitus*
Pro victima cæſum manibus iſtis meis
Sacrari præcepit Deus. S. *quomodo?* A. *Scies*
A Principio. De villa regrediens domum,
Solus eram in agro, cum increbreſcente ſonitu,
Et fulgure, & tonitribus, crepitu atq; ſtrepitu,
Ruentem in terram vox affatur numinis.
Tolle, inquit, quem tantoperè amas Iſacium,
Et hoſtiam mihi macta, in loco tibi
Quem demonſtrâro. Quid cenſes? tremor, ſtupor,
Pauor, admiratio me tum circumſtetit,
Ratiocinabar mecum, ſed vicit Deus.
Atq; hoc te neſcire fuit commodum, quia
Tibimet plorando detrimentum iniungeres.
Ergo te ignara proficiſcimur ad locum
Monſtratum, vbi cum iam ferire victimam
Hanc vellem, quam altare ſuper collocaueram,
Cæleſtis clamor prohibuit, & hinc laudibus
Ob ſtudium parendi ſum euectus maximis,
Factaq; rurſus promiſſa ingentia mihi.

Quæ

Quæ tum ibi gaudia? qui complexus? quæue oſcula?
Tu reputato: en ſaluum tibi natum ſiſtimus.
N. *Iam ſe matrem oſtendet Sara.* S. *anima mihi prope*
Deficit hæc audienti. O melliculum meum,
O deſiderium, ô vnica voluptas mea.
Teneon' ego te complexa nate? ô nate mi.
Videte mihi reductum à morte filium.
DOM. *Videmus bene, & lætitiis exultat animus.*
S. *Tantóne in diſcrimine fuiſſe te?* I. *fui,*
Mater chariſſima; at me tibi reddit Deus.
S. *Accipio, accipio donum præſtantiſſimum,*
Auro, lapillis, & gemmis pretioſius,
Et ſi quid aliud homines numerant in bonis.
Sine rurſum amplecti nate, & pangere ſuauium.
Aliter facere haud queo ſanè. I. *Quantum voles:*
Nam tu hodie mortuum me, viuumque recipis.
S. *Ter ſanctum numen, quas ſoluam grates tibi,*
In eodem cum me partu bis matrem facis.
Nunc multo lætius de vita exiuero,
Quandoquidem de te iſtuc actum eſt, ocelle mi.
A. *Adeque mors iam nunc mihi eſt optabilis,*
Mi Iſaci, poſtquam iſtuc rarum miraculum
In nobis perpetrauit altitonans pater.
Solatium hodie, Sara, maius contigit
Ambobus, quam cum hic de ſterilibus natus eſt.
N. *Diem feſtum hunc agamus, ducentes choros.*
I. *Dulciſſimi parentes, & gaudeo mihi,*
Et vtrique veſtrum vitam gratulor meam.
A. *Eamus intro.* S. *mi vir, eamus ocyus.*

EPILOGVS.

Foras huc prodeo ſpectatores optimi,
Tribus vt verbis vobiſcum pauca diſſeram.
Spectaſtis modò ſpectaculum gratiſſimum,
Paternis, & maternis grauidum affectibus,
Diuina bonitate refertum, & ſapientia.
Quin veſtrum quiſq; proprios adamet liberos,
Vt Sara, & Abrahamus ſuum, nihil ambigo.
Vnum velim vos obſeruare ſingulos,
Id quod Abrahami cunctos exemplum monet:
Nempe vt iubenti, quacunq; iubet Deus,
Obtemperetis quam poteſtis alacriter,
Reponentes in eo ſolo fiduciam:
Seu dura iuſſerit ille, ſiue mollia,
Seu ſuauia, ſeu amara, facilia, difficilia.
Quid durius, amarius, aut quid difficilius,
Quam natum cælitus genitum, tot gentium
Futurum patrem, natum poſtremò vnicum
Mactare ad aram? fecit tamen iſtud Abraham.
Idcirco cum eſſet antea charus Deo,
Euaſit longè charior, & adeptus eſt
Nullis honorem intermoriturum ſæculis.
Nunc quiddam vos orare noſter grex ait.
Si non diſplicuimus cum iſta actiuncula,
Signum mittatis. Bene viuite, & applaudite.

STRA-

STRATOCLES SIVE BELLVM.

Argumentum.

ADoleſcens ingenuus literarum pertæſus, acrem militiā parat, libros loricis, galeis, enſibus mutare cogitat: eum Doctor nullis argumētis dimouere ab inſtituta ratione poteſt. Secum ducit alium adoleſcentem, cui odium literarum perſuaſerat. Militarē in modum ornati dum viam ineunt, obuios habēt duos milites fugitiuos, ſibi olim nō ignotos, veſtitu laceros, eſuritione confectos, & illuuie immundos. Horum oratione vitam caſtrenſem inſectantium, ac deplorātium, vt qui in re pręſenti fuerint, adoleſcētes ambo ſic permouentur, vt veſtigia relegant, & ad ſtudia contempta, ac deſerta reuertantur.

PERSONAE.

STRATOCLES ex ſtudioſo miles.
EVBVLVS Magiſter.
POLEMIVS alter ſtudioſus, miles.
TREMONIVS } fugitiui milites.
MISOMACHVS } fugitiui milites.

O rem iocoſam, & ridiculariam affatim.
Quadam in ſchola ſediſſe quendam prædicant
Lapideum auditorem toto ſeptennio.
Ego ſum, οὗτος ἐκεῖνος. Vt validè triui aſſerem?
Orbilius noſter valde plagoſus homo erat,
Meum ſæpe in ruborem mihi corium dedit,
Sæpe haud ſedere quiui præ vibicibus.
Ita puerile ſcinditur corpuſculum.
Omnes parietes fletu & flagris perſonant.
Ecce ſtudiorum belliſſima primordia.
Grammaticam quid deinde ſequitur? Poetica.
Iſta Poetica nihil eſt ſacratius.
Montes, & fontes, Muſas, & Apollinem
Colunt poetæ: hinc verſus tam dulces fluunt.
Quingenta carminum illis genera, Dij boni.
Mendaciorum quas appellant fabulas,
Trecenta plauſtra. Troporum dena millia.
Ineptiarum numerus infinitus eſt.
Hic etiam fuit hærendum multo tempore,
In Herculeis laboribus, & Atlanticis.
Domina Calliope, quam eſſe narrant virginem
(Si virgo eſt, quæ Linumq́; Rheſumq́; peperit)
Quamuis rogata, ſi memini, plus millies,
Fauere non vult. Nec fauebo illi amplius:
Immò medium digitum mulieri porrigam.
Rhetor etiam fui totum quadriennium.
Quid didici? accipite vno verbo, nihil, nihil.
Exordiorum ibi aſpexi ingentem ſtruem,

Capitis dolorem, tuſſim, maciem, atq; ſcabiem,
Morbos perennes, extremam ignorantiam.
Deinde parentes ad paupertatem protrahunt,
Quia ſuſtentantur intolerandis ſumptibus,
At publicæ rei nec hilum commodant,
Quæ non libris, potius armis defenditur.
Nunc ergo hoc mihi viſum eſt factu longè optimum,
Studiis iſtis vt ego remittam nuntium.
At rectà militatum proficiſcar aliquò:
Nam hîc vitam perdo, gloriam, & pecuniam.
Hoc facere certum eſt, ita me amabunt cælites.
Vade liber peſſime, alium tibi quære dominum:
Si rebitas ad me, in latrinis faxo iaceas.
At ät, quænam hæc barba eſt, quæ iſtinc prodit foras?
Præceptor eſt. Scio probè quid ſibi velit:
Etſi quid ipſe acturus ſit, nec dum ſciat.
Frequenter abeſſe à ludo ſollenne eſt meum,
Atq; in caupona perpotare ad veſperam,
Vt hodie diligentes diſcipuli ſolent.
Ea cauſſa me quæſitum proceſſit domo.
Mirabitur, de bello quando audiuerit.
E. *Saluus ſis Stratocle.* S. *Et tu per me ſaluus ſies.*
E. *Quid ſolus hîc tecum es locutus tamdiu?*
Vbi nam vagatus continuos dies nouem?
Quid molitus? cur non dediſti mihi operam?
Reſponde, quid taces? S. *Edictabo tibi*

 Quod

Quod res eſt, vt ſciens ſis, quam planiſſimè.
Non iam diſcere lubet, bellare lubet magis,
Rotare enſes, telis, & ferro ludere.
Satíſne apertè dictum? ecquid me intelligis?

E. *Propemodum Stratocle. Pro deûm atq; hominum fidem,*
Quid audio? S. *Quod verum eſt.* E. *verum?* S. *veriſſimum.*

E. *Dormitas adoleſcens, loqueris per ſomnium.*

S. *Non ſum in ſchola: vigilo, & vigilans fabulor.*

E. *Id eſt quod puto, te mihi narrare fabulam.*

S. *Quod ipſus facit, omnes facere hoc exiſtimat:*
Dies, & annos fabulatur fabulas.
Rem dixi Eubule, ſi credis, credas licet.
Si non credideris, ego credam, nil te moror.

E. *Ergone tu in bellum?* S. *Certè.* E. *quid monſtri tu alis?*
Quaſi hîc ad te tumulandum humus non ſuppetat.
Canibus & volucribus vis dare conuiuium?
Refer ſine fuco, mi Stratocle, quid cogites.
Pugnámne? S. *Pugnam.* E. *cædes?* S. *cædes.* E. *vulnera?*

S. *Vulnera.* E. *iámne igitur penitus ſtatuiſti mori?*

S. *Videte vt mortem pertimeſcant philoſophi.*
Mori non equidem ſtatui, ſed viriliter
Stare in acie, ac hoſtilem elicere ſanguinem,
Et hac multos dextra ſub Orcum mittere.
Quàm inuiti credimus, quod factum nolumus.

E. *Dic age. Tu literas deſerere fixum habes?*

S. Ha-

S. *Habeo.* E. *Tu caſtra tendis,& Martem ſequi?*
S. *Ita,ita,ita:bem quoties iam ſum confeſſus tibi?*
E. *Sanúſne es? S. ſaniſſimus. An ad bella veniunt*
Etiã ægroti? E. *Haud iſtuc rogo.* S. *Dic quid roges.*
E. *Sanúſne mentis es?* S. *Apage ſis, qui me tuis*
Inſanum verbis concinnare poſtulas.
Fui inſanus,qui ætatem egi in literis.
Quod ſtultè feci,nunc ſapienter corrigo.
Sapio, quanquam ſerò, & reduco calculum.
E. *O Stratocle, ô Stratocle,auſculta pauliſper tuum*
Præceptorem,qui fidus tibi ſemper fuit,
Qui te dilexit ceu germanum filium.
S. *Quæcunq; animus fert loquere,promptus audiam.*
E. *Primum omnium labores cur perdas tuos*
Tot annis poſitos in præclaris artibus?
Præſertim cùm non mediocres effeceris
Progreſſus,idq; noſtro teſtimonio,
Quibus per philoſophiam nec mentiri integrum eſt,
Nec palpari aliquem,vt eſt moris adulantium.
Subita conſilia raro ſunt felicia.
Cur iſtuc aures eſt præteruectum tuas,
Quod vulgus iactare ſolet in prouerbio?
Tria eſſe,quæ deliberanda ſint diu:
Profiteri monachum,ducere vxorem domum,
Et,quod præcipuum,militiæ nomen dare.
Nunc te, mi Stratocle,per tuum genium obſecro,
Vt de re tam ardua amplius deliberes.
Noli exſpectare,dum te euentus monuerit.

Euentus namq; ſtultorum magiſter eſt.
Deſpice paulum, quot incommoda Mars afferat.
Principiò, quod erat libertatis proprium,
Id funditus ſublatum eſt: viuere vt velis.
Ducum imperia pro lege habenda ſunt tibi.
Pugnare vis, manere te in caſtris iubent.
Excedere prælio cupis, pergere iubent.
Exuuias, & ſpolia vis legere, illi vetant.
Niſi obedias, repente ſuffigunt cruci.
Vitam hominis, atq; belluæ iuxta æſtimant.
Excubiæ ſunt agendæ in noctes ſingulas,
Viuendum ex rapto, eſuries patienda, & ſitis.
Bibendum flumen turbidum, & panis niger
Vorandus, ipſo ferro & chalybe durior,
Longiſſima pedibus conficienda itinera.
Menſes in multos non dabitur ſtipendium:
Nec minus eò laboris imperabitur.
In tergo etiam numiſmata cudentur tuo.
Ecquid probatam ducis hanc pecuniam?
S. *Verbera gratis ego inueniam quàm facillimè.*
E. *Quid de ſqualore dicam, quid de ſordibus?*
Quid de vermiculis, immò de pediculis?
Quorum cateruas denſas milites alunt.
Tonſoribus haud vtuntur, tondent mutuùm
Pulcherrimè: namq; enſes ſunt nouaculæ.
Quibus abradunt cum crinibus totum caput.
Crebro item è venis mittunt putrem ſanguinem.
Sed (quod parum ſalutiferum medici canunt)

Venas recludunt, & reſecant multas ſimul.

S. *Tales chirurgos nunquam ego mihi optauerim.*

E. *Heu quantos æſtus, quam atrox frigus ſuſtinent?*
Pro delicatis pellibus arma horrida gerunt,
Arma ænea, & ipſo pondere quam grauiſſima.
Sub ætheris axe nudo quid non perferunt?
Omnes moleſtias, omnes iniurias,
Pluuias, niues, tonitrua, nimbos, grandines,
Fulgura, fulmina, ventos, procellas, turbines.
Iam quoties morbi graſſantur in exercitum?
Quàm ſæpe caſtra inuadit peſtilentia?
Adhæc in bello prô quantum caſus valet?
Communis Mars, bellorum incertus exitus.
Cadunt magnanimi, timidi ſunt ſuperſtites.
Victorem quoties vis fortuna perculit,
Tergumq́; victus dare coegit improba?
Age verò, interfectis quiſnam funus facit?
Vbi nam amicorum mœſta comploratio?
(Hoc ſiquidem non negligendum duxit Solon,
Vacare fletu qui non vult mortem ſuam.)
Eſto autem quis fiat redux in patriam,
Deum immortalem, quam deformatus redit?
Cicatricibus inſignis horrendum in modum,
Plenus dorſus, pleni pedes, plenum caput,
Mutilata facies amputatis auribus,
Prætruncatus naſus inhoneſto vulnere.
Interea coniux alteri nupſit viro,
Aut quæſtum fecit proſtituto corpore:

Nati

Nati viuunt aliena miſericordia.
Si forte redeat illæſus membra omnia,
Contemnit populus omnis,& pro ignauo habet.
O quàm exploratum ſuccinit parœmia?
Bellum dulce eſt inexpertis. Dicas mihi,
Túne igitur nullum vis vnquam bellum geri?
Vis nos inermes hoſtibus dare iugulum?
Minimè volo: eſt quando bellum geri expedit,
Et verò debet: ſed te, ſimiles ac tui
Adoleſcentes, præſtanti mactos indole,
Columina familiæ, egregium decus vrbium,
Hos, inquam, à caſtris abſtinendos autumo.
Quapropter, Stratocle, ſi quis eſt precibus locus,
Muta conſilium in melius, & hancmentem exue.
Quod tibi ſuadeo, meo ſuaderem filio.
Fallit te ſententia, non rectam inſtas viam.
S. *Tua dicta, Eubule, nec tantillum me mouent.*
Ventis trado, cœptis nequeo deſiſtere.
Siue mihi mens iniecta eſt hæc diuinitus:
Siue potius mea mihi cupido fit Deus.
Clarè ſonantem exaudio taratantaram,
Micantes cerno clypeos, & gladios truces.
Nobile facinus, certando vitam amittere:
Effeminatum, in pluma, & in roſa emori.
Carebo ſepulchro? nullo virtus indiget.
Et quiſquis vrnam non habet, hunc cœlum tegit.
Tu cupiebas magnum me fieri philoſophum,
Factus ſum, vitam & mortem contemno pariter:

Opes

Opes irrideo: dura poſſum perpeti:
Amo patriam, cui conſecro meum ſanguinem.
Hæc quicunq; didicit, eruditus eſt ſatis,
Atq; haud inutilis patriæ ciuis alitur.
Quis autem eſt hominum, qui viuat ſine legibus?
Qui planè nullius imperio ſit ſubditus?
Malo imperare mihi fortiſſimum ducem
In caſtris, quam turpem domi ſocordiam.
Porrò animoſum nunquam oderit dux militem:
Ignauum, vt tu diſcipulum, non poteſt pati.
Sitis, fames, paupertas, æſtus, frigora,
Omnia virtutis iſthæc inſtrumenta ſunt.
Maior apud vos pediculorum meſſis eſt.
Etiam in mediis morbi vagantur vrbibus,
Sæuaq; peſtilitas ciuitates opprimit.
Nec vos ab omnibus exempti eſtis caſibus.
Iam quòd cicatricum bene completa facies
Deformis apparet tibi, quàm ridiculus es?
Turpia dices monumenta fortitudinis?
Et te tantoperè pulcher aſpectus capit?
Mihi quidem ob vulnera crebra conſutum caput
Conſuta malæ, frons, & nares deniq;
Gratiſſimam videntur preferre faciem.
Vxorem non duxi, non genui liberos,
Nihil timendum interea, quid fiat domi.
Bellum eſt in votis, in bello mihi omnia.
Ad bellum currere mei geſtiunt pedes.
E. *Et ad hæc dicturus quid tandem eſt ſenex pater?*

Quid

Quid pia mater, cui tu vnico es magis vnicus?
Parentes ante obitum cur ſic orbos facis?
Cur illis de te tam ingentes luctus cies?
Non me, putas, iratus obiurget pater?
Non à me repetat filium cum iurgio?
Non clamet? redde natum, redde liberos,
Quos fidei iam pridem commiſeram tuæ.
Quid contra fabor, mi Stratocle? arrogans fuit,
Superbus, confidens, proteruus, contumax,
Meos exploſit monitus pertinaciter.
Amanter hominem collocutus, omnia
Tentaui, me miſerum habuit ludibrio:
Non potuimus mentem expugnare ferream.

S. *Faceſſant oro lamenta, & querimoniæ:*
Quamuis cælum ruat, non aliud ſtatuero.
Ac iam iam, ſi parumper hic me manſeris,
Reuerſus apparebo ornatu militis.

E. *Nihil ago, exſpectabo tamen, actutum redi.*
Hodie experior, ſi quidquam expertus ſum prius,
Ad veritatis vt bene collimet ſcopum,
Rebus qui ſcripſit geminis auerti à bono
Iuuentutem; imprudentia atque viribus.
Iſtis nam elati, audent bellum capeſſere:
Illa impediti, quod frugiferum eſt, non vident.
Nec admiratione eſt quidquam dignius
Adoleſcente in quo eluceat prudentia:
Facilius eſt coruum reperire candidum.
Qui ſtultos dixerit omnes, errabit parum.

Inde

Inde eſt quod ſapiens ſapienter ſanxit Solon,
Vt ne iuuenes aliquem magiſtratum gerant,
Neu conſiliis vnquam adhibeantur publicis.
Ætas iuuenilis eſt inconſtantis animi,
Leui momento huc illuc mox impellitur:
Et cum quouis flectatur non ægerrimè,
In vitium, vt cera, flectitur facillimè.
Innumeras voluit ſecum ſemper ineptias,
Noctu diuq́; continenter ſomniat.
De conſequentibus malis, de funere,
Deq́; ſenectute nequit audire verbulum.
Omnes delicias, & voluptates amat.
Canibus, & equis alendis gaudet maximè.
Feſtiuis intereſt auidè ſpectaculis.
Potat libenter, & bene ludit aleam.
Spernit Iunonem, ſpernit ipſam Palladem:
Ac Venerem multò pulchriorem iudicat.
Non etenim diligit valde ſapientiam.
Nil eſt ſollicita vt magnas ſibi congerat opes.
Molles riſus, & molles ſermonum iocos,
Et ſtrepitum citharæ amplectitur ſupra modum.
Monitores aſpernatur, & prorſus fugit.
Minatur damna, & exilium cenſoribus.
Iras & animum in fronte & ore geſtitat.
Loquacula eſt, & tantum præbet, quantum habet.
Maioris non ſunt vſpiam ſpes & fides.
Credit iuuentus multum, ſperat omnia.
Suis amica nimium eſt laudatoribus.

Qui-

Quicunq; verò illius ſtudia non colunt,
Cum huiuſmodi nullam ſocietatem coit.
Iniurias placato animo haud ſciunt pati,
Eas quam poſſunt vindicant acerrimè.
Inducere illos ad fraudem nullus labor:
In hora circumſcribuntur vel centies.
Hæc ætas deniq; incerta, & multum eſt vaga,
Mutationibus ſubiecta plurimis,
Iamq; hunc propendet, iam illuc, iam aliò reſpicit,
Nec quis adoleſcentis futurus exitus,
Quis terminus, bonus an malus, dici poteſt.

Explodit bombardulam egrediens Stratocles.

S. *Magiſter, ſyllogiſmus hic dexter fuit*
In poſterum tales facturum ſpondeo.

Educit pugionem.

Hæc maior propoſitio: iſthæc erit minor:

Educit gladium.

Hæc concluſio, quæ rem conſummatam dabit.
Dic mihi, Eubule, placet ne hic tibi ornatus nou'?
Meo iudicio non fui venuſtior.
E. *Meo iudicio non fuiſti turpior.*
Caligæ ſunt diſſectæ, diſſectus calceus,
Diſſectus thorax. Scin' quid hæc præſagiant?
S. *Quidnam?* E. *Tuum corpus ita diſſecabitur.*
S. *Non hercle, quin multos prius diſſecuerim,*
Et gladium hunc tepidis condiderim in pulmonibus.
E. *Formido ne Mars iam nunc in lingua ſiet:*
Poſtquam inſtabit conflictus, recidat in pedes,

Ac tu

Ac tu fugitor magnus fias pro milite.

S. *Dij meliora. Eubule iſtuc noli edicere,*
Quinimmo victorem multarum gentium,
Opimis indutum ſpoliis, ſi dij adiuuant,
Viſurus es aliquando Stratoclem. E. *ſcilicet,*
Multis onuſtum vulneribus, & ſceleribus
Ego videbo. Sed te per caput oro tuum,
Et quidquid in hac vita tibi eſt chariſſimum,
Te circumſpice, ſaltemq́ ad punctum temporis
Prudentem cogitationem ſuſcipe,
Mi Stratocle: ne tantum dolorem inuſſeris
Parentibus, quorum perit ſolatium
Te amiſſo. Per Diuos omnes quaeſo, rogo,
Per caelum, & terram te obteſtor, ne feceris.

S. *Hoc vnum tibi negare cogor: caetera*
Quae à me voles impetrare, feres ocyus.

E. *Quonam ibis? ſub quo duce facies ſtipendia?*

S. *Ibo in Pannoniam auibus quam faeliciſſimis,*
Ibi occidam Turcarum multa millia.

E. *Satis Thraſonicè.* S. *nunc, quod reliquum eſt, vale,*
Mi Praeceptor, mi cuſtos, mi dulcis pater.
Nam ſi fuiſſem ex te natus, non potueras
Plus quam feciſti amore me amplexarier.
Multa in me conſtant fateor tua beneficia,
Quorum mihi memoriam nulla eripiet dies.
Quoad anima ſuperabo mea, tui memor
Ero, mi Eubule: & te rogo quàm maximè
Per bonitatem tuam, quam ſenſi crebrius,

Vt negligentiam meam, atque ignauiam,
Omneſq́ culpas condones humaniter.
E. *Propemodum lacrymas tua verba excutiunt mihi,*
Quando ingenuo vt adoleſcenti pulchrum eſt facis,
Agisq́ mihi tam liberales gratias.
Vtinam hoc tuum exemplum ſequantur cæteri:
Atque vtinam in te merita mea augere liceat.
Quod quia non licet, age Stratocle, ſalue & vale:
Nam poſthac vtrum te viſurus ſim, ambigo.
S. *Ego nihil ambigo.* E. *Deus te ſeruet.* S. *Vale.*
Ille hinc abiit: volo ego mecum hic meditarier
Accuratè, quo pacto me in acie geram,
Etenim imparatum ſeſe hoſtibus opponere,
Si rectè cogito, præſens periculum eſt.
Ad hunc ergo modum volo enſem ſtringere,
Ita pedem læuum, ſic firmabo dexterum,
Immobilis conſiſtam vt inſtar Herculis.
Petitiones ſic verò aduerſarias
Eludam. Ita hoſtes cæſim ſummis viribus,
Lacertis retrorſum ductis ritè feriam,
Eoſdem punctim tali tetigero impetu,
Enſem per coſtas exigens ſæuiſſimum.
Multorum viſcera hoc ferrum rimabitur,
Vnde cerebrum fluet atro miſtum ſanguine.
Nonnullis digitos, aliis ceruices metam,
Atq; his vt caules detruncabo brachia.
Claudos efficiam cæſo quoſdam poplite.
Cadentum gemitus aurea tangent ſidera.

Sed

Sed vnum pæne oblitus ſum, quod maximum eſt,
Et quàm quiduis aliud mage neceſſarium.
Quo pacto vertar in fugam? ſic, æſtimo.
Parum ſcitè curro: non eſt opus modò:
Quando erit opus, pedibus alas dabit timor.
Sed antequam vrbe excedo, ſodales mihi mei
Salutandi ſunt, & complectendi vltimùm.
Quid enim, ſi ſeſe monitis impulſus meis
Addat ſocium vnus, & alter ad rem bellicam,
Mecum vt facinora faciat immortalia?

TREMONIVS, MISOMACHVS.

T. *Iû.* M. *Iû.* T. *Salue ô patrium ſolum.* M. *Salute vos*
Lares paterni, quos hoc per triennium
Non vſurpaui luminibus, iamq́ eminus
Intueor, præ lætitia vix credens mihi.
Quot ſæclis à veſtro ſinu procul abſui,
In extera regione, quo me inſania,
Furorq́ vecors rapuit? Quare vt hoc meum
Ignoſcatis peccatum, etiam atq́ etiam precor.
Si tale quidquam in poſterum attentauero,
Diſperεam exemplo peſſimo. T. *Beatius*
Haud aliquid omnes philoſophaſtri finxerint,
Quam eſſe in tuto, longè à caſtris, longè ab acie,
Longè à vulneribus, longè ab Orci faucibus:
A quibus abſunt profectò propius milites,
Quam nauigantes, qui à morte digitis tribus
Duntaxat diſtant. M. *Mars mors ô vale, vale.*

Abi Mars, nil tibi mecum rei eſt, abi, vale,
Te perdat ipſe Iupiter: cruoris es
Nimium auidus, & homicida crudeliſſimus.
T. *Praeclari bellatores fuimus.* M. *maxumè.*
Quos cepimus occidimus, & quos non cepimus
Adhuc habemus. T. *ha ha ha, pediculi,*
Veſteſq́ lacerae noſtra ſunt ſtipendia.
Moriar, ſi in ſacculo habeo aſſem vel vnicum.
M. *Curaui ego, vt mea praegnaret crumenula.*
T. *Curaſſem ego quoque, ſi furandi occaſio*
Oblata fuiſſet. M. *Quin tu linguam comprimis?*
Nolo mihi mea ſtrategemata memorarier.
Stolidè nimirum fecimus, qui in tam graue,
Praeſensq́ diſcrimen animas obtulerimus.
T. *Tantosq́ labores hauſerimus ſine gloria.*
M. *Nunc paſſim à notis conſcindemur ſibilis:*
Ludus erimus apud ciues, & iocus affatim.
T. *Vah, melius opinor ſibilari centies,*
Quam iugulari ſemel. Vita nil carius.
Proin quantum dolebimus ludibrio,
Tantum laetemur nos viuere, & hoc amplius.
Pergamus porrò. M. *Qui ſunt, qui veſtigia*
Contra ponunt? duo adoleſcentes ſcilicet.
T. *Quaſi in bellum profecturi, atq́ amentia*
Noſtri futuri ſucceſſores. M. *alloquar.*

MISOMACHVS, STRATOCLES, TREMONIVS, POLEMIVS.

M. *Heus iuuenes, ſic, quæ vultis, eueniant bona,*
Quò tandem? quò tenetis iter? at at ſcio
Iam qui ſint. S. *Et nos qui vos.* T. *Dij veſtram fidem.*
Stratocles tu es, & hic Polemius patruelis tuus.
P. *Et tu es Tremonius, miles nunc, olim aulicus.*
S. *Tu faber ille fabrorum alpha, & homo horarum omnium.*
M. *Iungamus dextras.* S. *Vnde vos tam ſqualidi,*
Pannoſi, puluerulenti, ac ſordibus obſiti?
T. *Rogas? inde vbi vos duo perire ſtatuitis.*
P. *Perire? non perire, pugnare volumus.*
Faceſſe tu hinc cum dictis delirantibus.
S. *Quin meliora ominare.* M. *Rem verbis tribus*
Omnem effudit. Nulla eſt, nulla eſt bello ſalus.
Bellum eſt miſeriarum pelagus altiſsimum:
Bellum malorum innumerorum compendium.
S. *Ignauis atq; imbellibus.* P. *Ita ſuſpicor,*
Et vos eſſe credo fugitores acerrimos.
Strictorum aſpectu concidiſtis enſium.
Fuerunt vobis in pedibus præcordia.
Premi poteſt vir fortis, ſed non opprimi. S. *hem*
Polemi, hoc verbum centum talentis emerim.
P. *Ineſt in hoc corpore virtus, ineſt tibi*
Teſtata magnis ſæpe rebus indoles.
Nos quo inuitat virtus, & immortalitas,

Eò diuis fauentibus concedimus.
Durum bellum? dura pati prægeſtit animus.
Tecum Stratocle caſus in omnes iuerim:
Habeat nos ſocios mors eadem, aut victoria.
T. *Qui ſapiunt, illi ex alienis incommodis*
Sua norunt pulchrè præcauere incommoda.
Sunt multa, quæ nunquam cuiquam experiunda ſunt:
In his qui bellum numerat, non malè numerat.
M. *In pace clarum fieri non minus licet*
Quam in bello. S. *Scimus hoc.* M. *At illa neutiquam*
Scitis, quæ nos perpetiendo cognouimus.
P. *Narrate, dabimus operam.* T. *nox citius diem*
Abſtulerit, ſi memorare velimus ſingula.
Atq; illud primùm eſto: tales redibitis,
Quales videtis nos. Hui, contemplamini
Vtriuſq; cultum, vt placet? S. *apage cum iſta tua*
Prædictione: auis ſiniſtra es, nihil agis.
P. *Ad Perſas, & Turcas cum iſtoc vaticinio.*
Torquati, & annulati, & operti purpura
Cum diis volentibus in patriam redibimus.
M. *O adoleſcens, tui te fallent ſpiritus,*
Dabuntq; malum tibi, tuisq; grauiſſimum.
Quæ gloria bello capitur victis hoſtibus,
Ea penes imperatorem, non militem
Eſt: ille felix, ille victor dicitur:
Illius eſt triumphus, præda illius eſt,
Illius ſunt captiui: noſtra vigilia,

Humicubationes, non in lectulis,
Crebra itinera, frigus, aſtus, eſuries, ſitis,
Vulnera demum, & cades. T. *Et his plura inſuper:*
Nec vlla aliquando referri gratia ſolent.
Canibus, equis, aſinis vtuntur mitius,
Quàm nobis, quos tanquam pilas habent, & huc
Et illuc iactant longè importuniſſimè.
Si declinaris à praſcripto paululùm,
Neque id conſultò, ſed per imprudentiam,
Indicta cauſſa mox ſuſpendunt arbori,
Quamuis diues, formoſus ſis, ac nobilis:
Quamuis per omnia ſacra lacrymans obſecres.
M. *Sexcentos vidi raptari ad ſuſpendium,*
Ætate, & forma iuuenes florentiſſimos,
Vobis aquales, quorum nos valde miſeret.
Quin mihi his, térue iniecta iam reſtis fuit.
Cum me lethali viuum de periculo
Diuina ſors quadam ſeruauit. Hanc ſibi
Sperantem adire diſcrimina, non mentis eſt
Sana. Quando viſum eſt ſuperis, ferunt opem,
Non quando homines eorum auxilia poſtulant.
S. *Memini hoc ipſo die à docto quodam viro*
Similia multa audire, & exponi mihi
Ad terrorem incutiendum copioſius,
Quibus ſcateat bellum calamitatibus: & hac
Oratio veſtra, vt oculatorum teſtium,
Quorum vel vnus ſuperat auritos decem,
Animum meum labaſcentem aliquantum impulit.

 P. Quid

P. *Quid hoc Stratocle? ſiccine leues ratiunculæ*
Argumenta tibi videntur firmiſſima?
Tolle moras, fiat quod cœptum eſt viriliter.

S. *Non hæc tantum, nec illa tantum me mouent,*
Verum vtraq́;, Polemi, quando ſimul pondero.
Nunc demum intelligo, quàm ſapienter meus
Magiſter mihi caſtra, & bellum diſuaſerit.
Cacus qui eram, nunc diſpicio clariſſimè.

P. *Rem portentoſam: hic vir erat, nunc eſt fœmina:*
Arma fremebat, calathos, & lanam cogitat.
Quod malè amicum numen vos adduxit hodie?
Qui ex re confecta facitis infectiſſimam,
Sermonibus iſtis multò mendaciſſimis.
Agite negotium veſtrum, finite via
Quam ingredimur nos proficiſci rectà ad Hungaros:
Nam vos è Belgica, vt reor, repedaſtis huc.

T. *Idem Mars hic, idem Mars ibi, eadem mala*
Bellum bellantibus affert vbiuis gentium.
Et nos animo bono, ac veſtri cupidiſſimo
Conamur vos abducere ab hac ſententia,
Quæ de manſuetis reddit rabioſiſſimos,
Ex ouibus pardos, & leones, & lupos:
Hæc monſtra rapto viuunt, atq́; ſanguine
Aliarum animantium, quod faciunt milites.

M. *Geratur bellum ab iis, defendendi ſui*
Quos compellit neceſſitas, hi mutuò
Seſe diſcerpant, dilanient, ferro necent.
Quis hic furor, atram bello mortem accerſere?

Immi-

Imminet, ac per ſe tacitis venit ipſa pedibus.
Quod fatum eſt, tantis vos ingeniis præditos,
Tam illuſtrium hominum filios, tam diuites,
Ætate tam virenti in media arma ruere,
Nulla læſos iniuria? dum tempus eſt;
Conſilia, obteſtor, ſaniora capeſſite.
A nobis mutuam ſumite prudentiam,
Si ipſi caretis: temeritas ſæpe nocuit.

T. *Redite redite ad intermiſſam Palladem:*
Ego rediturus ſeruitutem ad aulicam:
Ad incudem hic, & malleum ſe recipiet,
Deſertam ad vxorem, & deſertos liberos.
Cui dulce eſt prælium, nec pueri inſtar ſapit.

S. *Quid adhuc Polemius?* P. *Eundum eſt, ſurdo fabula*
Canitur. S. *ô qui ſecutus es me deuium,*
Sequere in viam redeuntem. M. *Ne quid hæſita,*
Largire vitam, annosq́ tuos patriæ magis,
Quam incognitis, de te qui meruerunt nihil.

T. *Gaudebis ſemper, ſi hos monitus audiueris.*
Si proieceris, æternùm te pœnituerit.

P. *Volenti nolenti perſuadetis mihi.*
Quoniam igitur vobis videtur omnibus,
Mihi literas, & me reſtituam literis.

S. *Factum optimè. Vos ſequimini, vt labore pro*
Veſtro detur vobis cœna extructiſſima.

T. *Bene profectò: etenim iam diebus plus decem*
Incœnatus durat vterq́. M. *Ego viſam prius*
Vxorem, tum ad vos accedam. S. *pietas iubet.*

M. In vita nihil vnquam adeo optatum contigit,
Nihil æquè fauſtum, lætum, & gaudij plenum,
Mea vxori vt hodie mea hæc reuerſio
Continget improuiſa: de collo meo
Pendebit, os & lacrymis opplebit ſibi.
Accurret ad genua mea dehinc puſillus grex
Natorum ingeminantum pater, pater, pater.
Ipſe quoque mihi iterum natus videbor, &
Complexuum, oſculorumq́ haud ſatiâs erit.

Hic

Hic Inſtitutionum poeticarum LIBER, quem R. P. IACOBVS PONTANVS in vſum ſtudioſæ iuuentutis in lucem emittit, ob ſingularem vtilitatē quam eiuſdem accurata doctrina cōtinet, typis hic INGOLSTADII mandari poteſt.

PETRVS STEVARTIVS Leodius, Collegij Theologici Decani vices hoc tempore gerens & Acad. RECTOR.

RERVM

RERUM ET VERBORUM INDEX IN POETICAM.

p, principium, m, medium, f, finem paginæ ſignificat.

A.

ACHILLIS *tumulus.* 213. p
Ἀδύνατα *velle exprimere erroris eſt.* 46. f
Aeneis Virgilij libera oratione ſcripta, utrum eſſet poema. 31. m
Aeſchylus, Sophocles, et Euripides inuicem comparati. 115. m
Aetates hominum quatuor ſecundùm Pythagoram. 230. m
Amor, parentum in liberos ſummus. 219. f
Anacreontei verſus lepos, & gratia. 138. m. *ſuauitas.* 139 f. *& ſequent.*
Animus pacatus, ad omnia aptus eſt, ſicut anxius ad nihil. 40. p. m
Anſer ex arbore pendens iaculis petitur. 194. f
Apes in ſcribendo imitandæ. 33. p. 39. m
Apophthegmata ornant Elegiam & alia carmina. 127. f
Archilochus amarulentus poeta. 157. m
Argumenta leuiora & ſponte ſuſcepta primis poetis utilia. 35. m. f. *Expendendum priuſquam ad ſcribendum incumbas.* 36. p
Ariſtarchum ſibi fieri, 49. f

Ars

Ars dux certior. 2.*f.* *naturam humanam adiuuat.* 15.*m.* *meritò etiam tradenda in poeſi.* 24.*m*
Aſinius, furatus Catullo mappam. 176.*f*

B.

BElli virtutes duæ. 210.*p.* *ſeq.* *incommoda.* 212.*p*
Bucolica poeſis: perſonæ. 120.*p.* *argumenta.* 120.*m.* *genus carminis.* 120.*f.* *dictio.* 121.*p*

C.

CAlliphanes ineptus poeta. 50.*f*
Carmen propriè adhibetur à Poeta. 10.*f.* 11.*p.* *ſuauitas.* 17.*p.* *Non licenter ſcribendum & ſine cura.* 47.*p.* *Bonitas, non multitudo cõmendatur.* 24.*f.* 25.*p.* *Vitia & quomodo caſtigentur.* 47.*f.* *ſeq.* *Carminis cuiuſq; proprietas.* 133.*p.* *melicum.* 133.*f.* *in quo præſtet ſolutæ orationi.* 9.*m.* *optima quomodo ſcribamus.* 25.*p.* *dupliciter ex poetis peti poſſunt, & in noſtram ſcriptionem inſeri.* 28.*p.* *Carmen ſuis pedibus illigare non ſatis poeta.* 37.*f.* *otium & mentem ſcribentis pacatam deſiderat.* 40.*p.* *m.* *ſeq.* *immatura carmina premenda.* 50.*m.* *Dactylicum carmen.* 74.*p.* *Spondaicum.* 74.*p.* *m.* *Leoninum in vitio eſt.* 81.*f.* *in participium deſinere non eſt vitioſum.* 83.*f.* *in monoſyllabã deſinere non eſt vitioſum.* 84.*f.* *ſeq.* *Verſibus Euripidis multi ab hoſtibus liberantur.* 117.*p*
Caroli V. tumulus. 207.*p*
Caſtitas floribus comparatur. 221.*p*
Catelli laus mira. 179.*f*
Cauſſarum tria genera. 175.*f*
Centones viles. 27.*f*
Character poetandi triplex. 36.*f*
Chorus olim maximè maledicebat, quomodo fuerit compreſſus. 90.*p.* *m*
Cicero vtrum in ſuis Dialogis ſit poeta. 11.*p.* *laus illius à Catullo.* 179.*m*

Cinna

Cinna nouem annis poema ſcripſit. 52.f
Comici. eorum opera & actio vnius aut duorum dierum. 46.p. *erratis illorum ignoſcendum.* 46.m
*Comœdia definitur.*87.*Partes.*100.m. *Prologus.*100.m.*Protaſis.*101.m.*Epitaſis.*101.f.*Cataſtaſis.*101.f. *Cataſtrophe.* 101.f. *Actus quid.*102.p. *in ſcenas diuiditur.*102.f. *Actores.*103.p.m. *perſonæ quomodo diſtinguantur.*103.m. *quot ſimul loqui debeat.*104.p. *A Tragœdia in quibus & quomodo differat.*113.m.*ſeq. Inſcriptio cuiuſq; Dramatis vnde petẽda.*118 f.*Comœdia actiones humiles imitatur.*56.f. 57.m.*In comœdia res agitur, nõ exponitur vt in* ἐποποιΐᾳ. 56.f. *Comœdia origo.* 88.f. *Tempus quo inceperit.*89.m. *genera varia.*91.m.*ſeq. Antiqua* 174.f. *Palliata.*91.m. *Togata.*91.f. *Prætextata.*91.f. *Trabeata.*92 p. *In Tabernariis, Attellana.*92.p.*Rhyntonica.*92.m.*Planipes.*92.m. *&c. Quatuor ſpecies.*94.p.m.*longitudo.* 95.f. *Fabula comœdia.*94.p. *Actio.*94.p.m. *mores perſonarum.*96.p.*ſententia.* 98.f. *dictio.*99.p.*apparatus.*m. *veſtes.*99.f. *Vide, Tragœdia.*
Conſolatio, ſuper obitu filia. 178.f
Conuiuij rex. 196.m

D.

DEcianus à Martiale laudatur. 179.m
Defuncti: ſtatua, laudationes funebres. 201.p. *leuem terram precari.*238. *Vide Epitaphium, & Laus.*
Demoſthenes, loco obſcuro & ſolo elucrabat. 41.p
Deus, SS. Trinitas quomodo ſimul; & quomodo ſecundùm perſonas, & proprietates hymnis celebranda. 144.m
Dialogiſmus non idem quod Dialogus. 185.m
Diſpoſitio, lux orationis. 34.m
Dithyrambica poeſis, carmen ſonorum & tumidum. 22.f
Doceri ab aliis, & emẽdari noſtra nũquã erubeſcendũ. 45.p
Docilis & attentus auditor qui reddatur. 60.f
Doctorum hominum ordines varij. 216.m.f

E.

Echo, quid, & eius vſus. 186. *m. ſeq. in ſimili ſono extremarum, non primarum poſita eſt.* 188. *m.*

Elegiæ materia olim triſtis. 122. *m.* 123. *p. Vnde dicta.* 122. *f. oratio ſeu dictio qualis.* 124. *f. decus præcipuum antiquitatis aſperſio.* 125. *p. ſeq. quæ huius carminis delicias remorentur.* 126. *p.*

εἰδύλλια, *quid.* 134. *m*

Emblematis notatio. 188. *f. in pariete vermiculatum; in pauimento teſſelatum, in lignis ſegmentatum dicitur.* 189. *p. Quid ſit. ibid. m. tria genera Emblematum.* 189. *f. non quæuis res in Emblema cadit.* *ibid. f.*

Emendare, & illuſtrare plus eſt, quàm componere 50. *p. cura nimia in vitio ponitur.* 53. *p*

Empedocles Phyſiologus non poeta. 7. *m*

ἐνθουσιασμὸς *quid.* 1. *m.*

Epicedium, ſeu ἐπικήδειον *quid.* 202. *f.*

Epica poeſis varias perſonas loquentes facit. 22. *p. m*

Errat aliquando ob longitudinem operis. 46. *p. principium quale requirat.* 59. *p. m*

Epigrammatis Notatio. 165. *f. ſine numeris poeticis primo ſcriptum. ibid. Quibus rebus olim fuerit inſcriptũ.* 166. *p. Vſus eius varius ac multiplex.* 166. *m. laus, & in quo reliqua poematia ſuperet.* 166. *f. materia.* 167. *m.* 174. *p. Difficultas.* 167. *f. finis.* 167. *f. confertur cum magna ſcriptione.* 168. *p. Definitio.* 168. *f. genera duo.* 169. *p. ſimplex.* 169. *f. compoſitum.* 170. *p. Diuiditur ſecundum tria genera poematis.* 172. *p. Secundum tria genera cauſſarum.* 175. *f. Nomina ficta pro veris aſſumit, vt vera reprehendat.* 175. *p. A turpibus & laſciuis abſtinendum.* 175. *m Epigramma, in quo paria paribus, & contraria contrariis referuntur.* 182. *p. Dialogicum.* 183. *m. Duæ virtutes argutia & breuitas,* 190. *f. ſeq. ſuauitas & reliqua eius ornamẽta.* 192. *f. finis ſeu cõcluſio.* 199. *p. cõfertur cũ ſcorpione.* 199. *m. quæ ponenda in cõcluſione.* 199. *f. Epigrãma ſemper licet ſcribere.* 27. *f.*

Ἐποποιία definitur. 56. m. argumentum vnde petendum. 57.p.m. vnde exordiendum. 65.f. 70.f. Epopœia tres partes. 60.f
Ἔπος & ἐποποιία quid. 54. m. propriè verſibus hexametris tribuitur, & cur id. 54.f
Ἐπιτάφιος λόγος. 201.m. materia multiplex. 203.f
Epitaphium quid. 201.f. Documenta ad ſcribendum Epitaphium. 236.m. Imperatorum, regũ, etc. 206.p.ſeq. Ducũ ac militũ. 210.p.ſeq. iocoſum & ſalſum. 234.f. vide, Laus.
Errorũ infiniti lapſus in poeſi, ſi iudicium nõ aduoces. 43.p.f quinam præcipui & quomodo emendari poßint. 48. p.m. 51. p. 52. p. m.
Euripides præſtans Tragicus. 116. m. ſeq.
Exercitatio maximè poetæ neceſſaria eſt. 24. m. multiplex in carmine ſcribẽdo. 26.p.ſeq. prodeſt ſi imitere ſimul. 29. m. Prima fit in rebus paruis. 35. m
Exordia, orationum qualia eſſe debeant. 58.f
Exordia poetarum Epicorum. 65.f

F.

Fabula, argumentum poeſeos. 9. p. Fabuloſa fictio anima eſt poeſeos. 8.f. mirè oblectat. 17.f
Fœminæ ſanctæ quomodo laudentur. 216.p
Fingere quid. 3.f
Fortuiti euentus. 172.m
Fur mapparum. 176.f. 177.m

G.

Græca ad Latina transferre, & hæc viciſsim ad græca perutile eſt. 26.f

H.

Hectoris tumulus. 212.f
Herculis labores à variis ſcripti. 27.p
Heroicum carmen, cur ita vocetur. 55. p. materia huius carmi-

carminis. 55. m. f. ſeq. ſit quàm ornatiſſimum. 59. p. Vide, Carmen.
Hexametrum carmen; in varias conuenit materias. 55. f. leges quibus elegans haberi poſsit. 73. f. ſeq. de terminatione illius vitioſa. 83. m. Vide Carmen.
Hiſto. laus. 87. p. nō habet imitationē. 8. p. vtilis Poetis. 67. m
Hiſtorico nefas à veritate recedere. 8. m. amat verba poetica. 66. m. f. in quo differat à poeta. 8. p
Hiſtrionica. quomodo imitetur, & artificium. 19. p
Homerus Poeta ſine praeceptis. 2. p. praeter metrum nihil habet. 7. m. ſcientia ſumma. 15. m. diuinus poeta ſine imitatione. 29. p. vincit Virgilium ingenio & natura praeſtantia: Virgilius vincit iudicio. 42. f. Eius carmina ad tubam cani voluit Alexander ob maieſtatem. 56. p. ſedatè incipit Odyſſeam. 59. f
Horatius in lyricis excellit. 37. f. primus latinorum lyricus. 157. m
Hymnus quid. 142. f. antiquitas. 142. m. inuentores Hebraei. 143. m. Caelites his maximè decorandi. 143. f. in Deum quales. 144. m. ſeq. in DD. Caelites. 147. f. ὁμοιοτέλευτα fugienda. 150. f. in D. Matrem. 150. f. duo genera in illam. 151. m. infeſta illius. 151. f. metra hymnorum. 153. f. longitudo. 154. m

I.

IAmbus conuitiis aptiſſimus. 123. m. f. 155. m. 158. f. antiquitas. 155. f. vtilitas. 156. m. argumentum. 156. m. pes pro ipſo verſu accipitur. 158. p
Imitatio maximè in Poeſi cernitur. 6. m. neceſſaria Poetae 7. p. à morum doctrina non ſeparanda. 17. m. laus poetae praecipua ſi imitetur. 22. m. quaenam in poetis, & quomodo imitanda. 28. m. 30. m. Horatius quoſnam imitatores irrideat. 30. f. imitandi optima ratio duplex. 32. m. digerendum ſtylo, quod alio traxeris. 33. p. in ἐποποιΐᾳ maximè neceſſaria. 56. f

Ingenium excolitur ſicut terra. 26. p. *abeſt ſæpe à iudicio.* 42.m.f
Inſula. 196.p
Inuocatio neceſſaria in Poematis exordio. 62. p. *in ipſo opere quando liceat adhibere.* 62.f. 63.p. *Chriſtianorum poetarum qualis.* 63.m
Irati ſermo abruptus eſſe debet. 79.p
Iſocrates in epidictico genere illuſtris. 63.m. *ſuarum orationum diligens emendator.* 52.m
Iudicij neceßitas, & quot hic errores committantur. 42.m. *oculus eſt ingenij.* 43.p. *neceßitas, & eiuſdē difficultas.* 47.m. *alterius ad noſtra cenſenda adhibendum.* 49.f
Iuriſconſulti laus. 218.p
Iuſtitiæ ſimulacrum. 184.f

L.

Lacedæmones. 300. *occiſi apud Thermopylas.* 213.f
Lamenta, ſeu querela S. Ambroſij in Satyrum fratrem defunctum. 226.p.ſeq.
Laus Imperatorum, Regum, &c. defunctorum. 206.p.ſeq. *nobilium.* 207.f. *Sanctorum.* 215.m. *Religioſorum.* 215.p. *Doctorum.* 216.m. *conſanguineorum.* 219. f. *amicorum.* 233.p. *patris.* 223. p. *fratris.* 223.f.ſeq. *fœminarum religioſarum.* 216.p. *Virginum.* 220. f. *matrumfamiliâs.* 225. p. *filij.* 227. f. *paruulorum.* 228. m. *infantium.* 229. p. *amici.* 233.p
Lectio aßidua, & obſeruatio ſtili. 28. f. *excitat ſpiritum poeticum.* 39. m. *facit nos ſimiles optimis poetis.* 40.p
Loca amœna apta verſibus pangendis. 41.f
Lucanus tumidus in principio ſui operis. 60.p.m
Lucianus poeta comicus, quâ materia. 10.f
Lyrici materia. 22.f. 136.p. *præſtantia.* 131.m. *ſuauitas propria lyricis verſibus.* 133.m. *vnde ſic dicti.* 133.m. *dictio qualis.* 137.f

M.

M.

Martialis Epigrammata plena turpitudinis & nequitiæ ſcripſit. 175.m
Materia Poetæ ampla.13.f. apta ſumenda poetæ. 34.p
Mathematici laus. 218.m
Medici laus. 218.m
Miles à quibus laudetur. 210.m. 211.m.f
Mortis inuidia in genus humanum. 229.m. 230.p

N.

Narratio poetarum in quo differat à narratione Oratorũ. 64.f. 66.p. ſeq. 68.f. Narrationis tres virtutes. 71.p. quomodo breuis. 71.m. perſpicua. 71.f. ſeq. ſuauis. 72.m. Narrationis Epicæ ordo, & quæ illam aliquando antecedant. 63.f
Nænia quid. 203.m
Natura an potior ſit arte in poeſi. 2.m
Naturæ vnamquamq; rem attribuere decet. 78.m
Nobilitas laudatur ab antiquitate. 207.f
Nox apta verſibus & lucubrationibus. 41.p

O.

Obſcuritas fugienda poetæ in propoſitione. 61.m
Occaſionis iconiſmus. 184.p
ᾠδὴ & ᾠδάριον quid.133.m. Odarum partes. 154.f.ſeq.
Oratio rebus & verbis cõſtat.39.p. hiſtoricorum & oratorũ grauis. 70.m. numeroſa, & in qua contraria contrariis, &c. referuntur. 181.p. funerea quando habita olim. 202.f. materia. 203.f.ſeq.
Oratoris laus. 218.m. qui in vnoquoq; genere cauſſarum maximè excelluerint. 36.m
Ouidius ſuorũ Poematum nimius amator. 44.p.m. in Metamorphoſi hiſtoricus fabuloſus. 65.p

P.

Pœnitentia iconiſmus. 184 m

Parnaſſus, Helicon, Muſa, &c. quid per huiuſmodi à poetis ſignificetur. 1. p

Pentameter Verſus ſolus non reperitur. 121. f. *inciſio & exitus.* 128. m. *ſeq. monoſyllaba quomodo ornent, & quomodo vitient hunc Verſum.* 130. p. *triſyllaba Vtrum locum habeant in exitu huius carminis.* 130. f. 131. p

Philoſophi laus. 218. f

Plauti ſales frigidi. 95. p. *cum Terentio comparatur.* 104. f. *laus.* 105. f

Plutarchi auctoritas in litteris grauis. 8. m

Poema, poeſis, poeta quomodo differant. 20. m. *Poema lectum recreat.* 39. f. *Vtilitas.* 58. p. *tria potiſſimum genera.* 173. f. *differt à poeſi.* 19. f. *definitur.* 20. m. *Poematis per imitationem exempla.* 21 f. *Poematum appellationes variæ græca & latina.* 23. p. διηγματικὸν. 23. p. δραματικὸν. 23. m. μικτὸν. 23. f

Poeſis è præceptis percipienda. 2. p. *ingenium quale requirat.* 3. m. *artis neceſſitas.* 2. m. *definitur.* 5. p. *anima poeſeos, quæ.* 8. f. *pictura loquens. ibidem. Omnia explicata ſunt carmine.* 14. p. *quomodo hominũ actiones imitetur.* 14. m. 16. m. *imitatio tacita eſt.* 19. p. *eſt quædam Philoſophia tecta fabulis.* 15. p. *differt à poemate.* 20. m. 19 f. *ampla eſt, aliiq; ad aliud dicendi genus nati.* 36. f. 37. p. *Ad Philoſophiam proximè accedit.* 69. p. *præſtantior quàm Hiſtoria.* 69. f

Poeta vnde & quid. 3. f. *afflatus furore diuino.* 1 m. *naſcũtur.* 2 p. *Cyclicus.* 59. f. *In ſingulari Vniuerſale proponit.* 68. f. 69. p. *Poeta ſua aliter tractat, quàm alij, licet eadẽ tractet.* 69. f. *lacte & melle dicuntur veſci.* 3. m. *impuri arte abutuntur.* 5. f. *abſq; imitatione non eſt poeta.* 29 p. *Poetæ nomen propriè & impropriè ſumptum.* 4. p. 10. m. *Humanarũ rerum ſtatum variè ob oculos proponunt.* 6 p.

Verſi-

Verſificatores qui.6.f. neceſſariò imitatur.7.p.13.p. 16.p. metrum neceſſariò faciet. 11.f. Poetarum ordines Varij. 12.p. Poetarum tria genera.13.m. materiam habent diffuſam & amplam.13.f. contractior qua. 14.m. qua ſcientia præditi eſſe debeant. 15.m.f. finis eſt docere & delectare.16.m. Varios motus excitando ſemper delectat. 18.p. difficultas ſumma in Varietate perſonarum & affectionum exprimenda. 18.f.19.p. Poetarum oratio triplex à Platone affertur. 21.p. Vt excellat, excellentes quoq; ſibi proponet. 29.f. præpropere appetunt famam. 51.f. Ne onus impar humeris ſuis in ſcribendo imponat.34.m. Poetarum tyrocinia qua.35.m.f. Poeta cum Nauarcho, poeſis cum ipſo mari confertur. 38.f. Iudicium illi opus eſt acerrimum.43.f. 44.p. de poetis Varijs, & eorum operibus iudicia Varia. 38.p. Poeta numquam plus ſibi ſuſpectus ſit, quàm in proprio partu diiudicando.44.p.f. Peccatis eorum quibus ignoſcendum, & quibus non. 45.m.f. poteſtas illuſtrandi, Vel inuertendi hiſtoriam. 57.f. Vt in ſua poeſi excellat: obſeruabit numerum. 77.f. Verba.78.f. ſonum. 80.p. tumulus ſeu Epitaphium poeta. 216.f. 218.m

Ποιεῖν. *propriè & per excellentiam poetis tribuitur.4.f.eſt metra fundere.* 6.f

A. Politiani tumulus. 216.f

Principis ornamenta. 206.f. *Virtutes eorum Iſocrates deſcribit.* 207.p

Propoſitio in Epico carmine qualis. 61.p.m

R.

Religioſi notio. 214.f. 215.p. *laus hominis religioſi Vnde ducatur.* 215.p

S.

Sacerdotis dignitas. 217.f

Satyra materia. 55.f. 161.f. *nomen & origo.* 159 p m. *natura.*

tura. 161. *m. in quos intorqueri poßit.* 162. *p. finis.* 162. *m.*
Vtilitas. 162. *f*
Satyra quo artificio tractanda. 163. *p. ſeq.*
Satyri in Tragœdiis, & cur inducerentur. 160. *p. miſcebantur Comœdiis.* 160. *f. Chorus ſatyricus ſublatus è Comœdiis.* 160. *f. Satyrici poetæ.* 161. *p*
Scriptioni accuratæ aſſueſcendū. 24. *f. ſcripturo prius rerum & verborum ſupellex paranda.* 39. *p. m. f. quinam ſcriptores ſua diligentius perpoliuerint.* 52. *m. f*
Senibus inuocanda. 229. *m*
Sermo mentis noſtræ interpres. 18. *f*
Socrates fabulas Aeſopi pro argumento carminis ſcribendi ſumpſit. 9. *p*
Solon leges ſuas Elegiis complexus. 123. *f*
Sophoclis præſtantia & laus. 116. *p*
Statius tumidus in principio Achilleidos. 60. *m*
Stylus optimus magiſter. 25. *p. Quintiliani de ſtylo præceptum.* 25. *m. non minus agit cùm delet.* 50. *p*

T.

TErentius confertur cum Plauto. 104. *f. laus.* 105. *p*
Theologi laus. 218. *f*
Tragœdia vnde dicta. 107. *m. definitur.* 108. *f. materia.* 110. *m.* 174. *cur delectet.* 108. *f. crudelia ab oculis remouentur.* 111. *p. affectus.* 114. *f. dictio.* 111. *f.* 114. *p. actio.* 112. *m. perſona.* 97. *f.* 114. *p. à Comœdia differt.* 113. *m. vtilior quàm Comœdia.* 115. *p*
Tragicocomœdia quid. 87. *f*
Tragœdus perfectus. 37. *p*
Tyrtæus poeta res bellicas Elegia conſcripſit. 123. *f*

V.

VEr. 194. *f*
Verba accommodanda naturæ rerum. 78. *m.* 80. *p. verba pariunt ſonum.* 80. *p*

Virgilius. eius ſcientia ſumma. 15. m. laus operis illius. 31. m. imitatio ſummum effecit. 29. p. Opus ſuum à nauigatione incepit. 64. p. Homerum & Empedoclem expreſſit. 7. f. Aeneidem ſolutis verbis ante compoſuit. 11. m. Aliena carmina felicius in ſua opera tranſtulit, quàm ipſi auctores in ſuis poſuerint. 32. p. Cura in emendandis Georgicis. 51. m. In reprehenſionem vocatur, quod Aeneam ceruos figentem faciat in Africa. 46. m. Ob Didonem amore Aeneæ incitatam. 57. f

Viri illuſtres qui, & quomodo laudandi. 208. m. f

Viri ſancti qui laudari poſſint. 215. m

Vita humana ſcelera & calamitas. 231. p.

ERRATVM.

Pagella 313. verſu 1. Syntaxeos, lege Synaxeos.

[illegible]